

Dramatum Sa
crorum , ex ue
teri testamento
desumptorū to
mus secun
dus.

Diametrii 25

clorum, ex iie

ctii celiaturo

dumbatorio

mis lecni

qus.

PRAECLARAE INDO.
LISPVERO LUDOVICO HO.
sero, sibi charissimo, Xystus Be.
tuleius Augustanus S.D.

AVita uirtus, Ludouice candide,
Quæ multo retrò tempore
In ciuitate nostra floruit uirens,
In te relucet uiuida.
Proauis, auusq; sceptra Reipublicæ
Gessere cum prudentia,
Cum gloria, suis perchari ciuibus,
Meriti de quo uis optimè.
Hos era gens est nobilis uirtutibus,
Et æquitate dextera.
Hæc ornamenta sunt multò clarissima,
Multisq; splendent sæculis,
Ad posteros transmissa magnis laudibus,
Et splendida cum gloria.
Istius es uirtutis hæres maximæ,
His dignus & natalibus.
Fuerit tuum uidere, ut his respondeas,
Neu sis iners, aut degener.
Deus tibi bonus præclara munera
Mentis dedit, atq; indolis.
Documenta sunt uirtutis in hoc dramate,
Ciuilis & prudentiae.
Hinc disce auitis ingredi uestigijs,

Hoc nostra uult dicatio.
 Quæ pignus esto amoris integerrimi,
 Quo te domi complectimur.

P E R S O N A E
 Dramatis.

Rex Solomon	Sadocus sacerdos
Iosaphat cancellarius	Zabuthus regis socius
Azarias aulicus	Chirami regis Tyri
Achifar præfetus aule, sive Atriensis	legatus
Tecnophile meretrix	Regina Sabea
Tecnophone meretrix	Eunuchus reginae
Præco	Marcolphus
	Satelles.

SAPIENTIA SO-
LOMONIS, DRAMA COMICO-
tragicum, Xysto Betuleio
Augustano autore.

PROLOGVS.



Cripsere multi multa passim prin-
cipis
Regis' ue de iusti boniq; munere:
Faciunt probè quidem, nam nil sa-
lubrius

Mortalium rebus, quam si princeps siet
Ornatus æquitate, cum prudentia.
Probè docent, qui uinclo non solubili
Partes honesti inter se se reuinciunt.
Non iustus est quisquam, ni prudens is siet,
Fortis, modestus: sic prudens nemo tibi,
Sapiens' ue , ni iustus, fortis, modestus hic
Idem sit. Atq; sic in orbem complices
Faciunt honestum principem in Republica.
Sed ni pius sit, & synceris cultibus,
Pura fide, nec non addicto pectore
Summum Deum colat, si mera uanitas:
Sterilisq; uirtus, que non ueri timcta sit
Cultu Dei. Quapropter hæc parentibus
Sit prima cura, ut à primis cunabulis
Natos suos magistris tradant optimis,

6 SAPIENTIA

Vereq; doctis, & Christum sapientibus.
 Sed finis his studiorum sit Republica.
 Si natus est, non natus est (credas) tibi,
 Sibi ue tam, quam singulis quibuslibet,
 In ciuitate in uniuersum ciuibus.
 Ut si Deus uolet, uel ad munus suæ
 Ecclesiæ, uel ad rem forte publicam
 Ipsum uocare, sit is instructus, ut queat
 Pro dignitate hoc officio perfungier.
 Hoc rectius non ex alijs perdiscitur,
 Quam uel sacris, uel non prophanis, credito;
 Libris. In his est exemplorum copia,
 Cuiusmodi uobis acturi nunc sumus,
 Ex tertio Regum, Sapientiæ pie
 Solomonis id, quod uos nunc hic spectabitis.
 Fauete linguis. Summam paucis dicio.

ARGUMENTVM.

In urbe sacra Rex Dauidis filius
 Solomon pius, sapiens, cordatus, diues est,
 Potensq; cui uotum Deus uolens dedit.
 Optauit is sapientiam, sceptris suis
 Idoneam. Voti compos fit Rex statim.
 Sapientiam sortitur summam, qua regit.
 Dicitq; ius longè suis dexterrimè.
 Mulieribus duabus lis grauißima est,
 De filio superstite atq; mortuo:
 Simulatione expiscatur, quæ mortui
 Sit mater aut uiuentis, isthac ordine.

Hiram

S O L O M O N I S.

7

Hiram Tyri rex postquam factus certior
De regis unctione, nū sit illico
Ad ciuitatem sanctam oratores suos.
Solomon petit cedros, Tyrius morem gerit,
Surgitq; opus templi. Sabaea uentitat
Regina, ut audiat regis sapientiam.
Intelligetis rem cunctam, quemadmodum
Peracta sit, sacro & pio isto dramate.

C H O R V S, E X C A P.
proverbiorum VIII. Sub perso-
na Sapientiae.

Ode tricolas tristrophos, sicut illa Prudentians,
Per quinquennia iam decem.

Sic fatur Sapientia,
Celsa uociferans uertice sic tonat,
Et uoces foribus grandiloquas dat uenerabilis:
Exaudite meam uiri
Vocem, & uos pueri, queis sapientia
Non in corde suo est, non animis ullus ineft uigor.
Sunt quæcunq; loquar bona,
Non est in labijs certe aliud meis,
Quam uerū: impietas est procul à gutture noxia.
Sermo iusticiam meus
Optatam sapit, haud est dolus in meis
Peruersus labijs, dogmata non falsa meis logis.
Doctrinam accipite hanc meam,
Aurū quæ rutilum, quæ superat suo
Argentum precio, quæ superat largifluas opes.

aa 4 ACTVS

SAPIENTIA
ACTVS PRIMI,
SCENA I.

Duo aulici mirantur regis Solomonis sa-
pientiam & diuitias.

Achisar præfектus aulæ, siue
atriensis. Satelles.

Gompluribus uidetur hæc ad gloriam,
Laudemq; sola et uera commendatio,
Que bellicis ex rebus euenit uiris,
Forti manu præstantibus quod contigit
Præ cæteris Regis patri, qui gloria
Superauit ipsum Saulem, sic quam plurimi ex
Maioribus nostris. Sed en hoc tempore
Rex noster successor sceptri patrij,
Tantam sibi parauit gloriam et fidem,
Quintam prioribus non quisquam seculis,
Non rebus id gestis, non fortitudine,
Opinione sed quadam prudentiæ,
Qui pollet annis hic iuuenilibus quidem.
Accedit æquitas dextra prudentiæ,
Quædam pia et morum grauis mo destia.
Maturitas est rara: sed serenitas
Vultus amabilis inuitat omnium
Mentes, rapitq; eas certè uiolentia
Quædam sua, ut mirentur ipsi plurimum
Virtutis ipsius tantam præstantiam.
Ex arce sed Satelles en celerrimè
Descendit. s. a. Inueniendus est aulæ mihi
Præses.

S O L O M O N I S.

9

P̄f̄ses. Sed istic ambulat, ni luminum
 Ne fallit hebetudo. sed certe ipsus est.
 AC. Me uult, et haud dubie me accersit nuncius
 A rege missus. En accedit. SA. Regiae
 Iuſu uoco te Maiestatis splendide
 Vir, magna sunt apud regem negotia.
 AC. Quid nā? quid est? qd Rex molitur inclytus?
 SA. Epulum sacrum instituit quam splēdidissime,
 Ad hoc tua utetur nimirum industria.
 AC. Sed tempus hinc ad aulam me nunc auocat.

SCENA II.

Iosaphat. Azarias.

EN Azarias, en Regi charissimus,
 Meusq; amicus singularis: quid precor,
 Ecquid deambulans hic tanta gaudia
 Et uoce clara, et gestibus laetissimis
 Effundit. At qui accedam, et hæc intelligam:
 Hem frater atq; amice mi charissime,
 Quid istud est quod gestis, oro, gaudijs
 Tatis? quid est, rogo dic. AZ. Nihil est prōptius,
 Tuto mihi credas, quam cum bono uiro,
 Qualem diu atq; sepe iam te comperi,
 Conferre de rebus, statuq; publico.
 IO. Nemo bonus, nisi summus atq; maximus
 Deus, interim delector et ipse talibus
 Sermonibus de bono, honesto, et inclytis
 Summi Dei sacratis æpe legibus.
 AZ. Quid arbitraris quæso, an fatis æmulis,

aa 5 An

An ordini rerum, uicibus ue temporum,

An prouidentiae diuinæ regium

Tribuis statum florentem? dic precor mihi

Sententiam tuam, quam semper plurimi

Feci. 10. Deum testor, dum temporum uices

Mecum reuoluo, dumq; expendo singula

Exactius, Diuina prouidentia

Fieri, regi q; cor regis Dei manu.

A z. Dubio procul, Hebreæa nunc monarchia

Quidam typus futuri existit temporis.

10. Sic censeo. A z. Gentes habent parœmiam,

Veram quidem nimis, sed isto tempore

Falsam tamen. 10. Quod' nā, quale est? dic obsecro.

A z. Necesse principem nasci, siue fatuum.

Sed rege nostro nil habet sapientius

Hic orbis, atq; præsens nostrum sèculum.

10. Ergo licet, imo decet nos gratias

Semper Deo, laudemq; largam dicere.

A z. Sed ecce Rex solus progreßus ambulat,

Meditationibus plenis sapientia.

10. Cedemus ergo spectaturi in angulum

Aliquò. A z. Probè mones. En hic spectabimus,

Quod' nam futurum sit pulchrum spectaculum.

SCENA III.

Rex Solomon solus exponit somnium in excelsis

Gibeon, siue ut Iosephus habet in Che-

brone sibi factum.

Solomon solus.

Cum

S O L O M O N I S.

xx

Cum nuper admodum regni fundamine
posito, atq; pace firma iam celsissimo
Deo patrum nostrorum in summitatibus
In Gabaone ritè sacra pinguia
Facerem (sacri dum celsa templi culmina
Surgunt) Deus mihi uisus nocte, cum sopor
Quietè in alta membra presserat mea,
Dat optionem, quid'nam uellem poscerem.
Non uana uisa nobis hæc oracula.
Votis meis petebam non fluxas opes,
Sed hoc, quod esset tam dignum danti Deo,
Quām commodum mihi mortali, & utile.
Recordor (inquam) mi Deus quām splendide
Cum patre Dauid, cum regnaret, egeris.
Patris mei, iussu tuo, teneo thronum.
Parum quidein sum dignus tanto munere,
Qui sum puer uix dum regendis gressibus
Idoneus. Sapientiam & prudentiam
Idoneam regundo tanto muneri,
Divinitus peto. Datur: danturq; opes
Quantum satis, superq; plures, splendide.
Et insuper tantis sum constitutus in
Honoribus, quantis monarcha nullus est
In orbe terrarum, post orbem conditum.
Promisit insuper potens mihi Deus,
Si patris in uestigijs perrexero,
Macte beatam uitam in multa tempora
Daturum. & hinc reuersus in Hierusalem

Ad

Ad fœderis cibotum, ad aram maximi
Dei, sacra atq; holocausta feci splendide,
Pacis sacrum peregi, nunc epulum sacrum
Celebrabo in arce, ut moris est, solenniter.

SCENA IIII.

Azarias & Iosaphat rursus conferunt ser-
mones de flore regni.

Azarias. Iosaphat.

S Atis superq; iam spectata Regis est
Prudentia, & pietas, & sancta pectoris
Iustitia. i o. Hac totus beatus Israel.
Beatus est etenim Rex ille, qui Deum
Timet. A z. Beatus ergo est & populus Dei,
Cui contigit rex talis. i o. Heu quanti interest,
Rex an tyrannus imperet. A z. Saulis docent
Hoc regna. nam si conferas tyrannidem
Saulis, pia cum regis hac clementia,
Facile patebit causa. Saul quidem bonus
Ab initio fuit, pius, propheticus
Correptus inter ceteros diuinitus
Enthusiasmo: sed Dauidis æmulus,
Liure ductus nigro. tunc fauor Dei
Deseruit ipsum, post uæsanus, percitus
Stimulis & cæstro insane conscientie,
Dauid pium insectatur. i o. Ast ego arbitror
Prædestinatione & prouidentia
Fieri Dei. A z. Verum dicas: sed sic tamen,
Ut prouidentia ista pro mortalium

Mutata

SOLOMONIS.

13

Mutata moribus, mutetur. I o. Sed uide
Quis ille sit, qui prodit. A Z. Praeco regis est.

SCENA V.

Praeco indicit regium conuiuium:

Praeco solus.

Epulum sacrum Rex comparauit splendide,
Huc confluant omnes ministri regij,
Rebus sacris præfecti, principes boni,
Scribae, duces, aulæ magistri, præsides,
Et duodecem uiri, tribuni clari in Israel,
Comites & officiales cum quæstoribus:
Adeste cuncti mox Solomonis aulici,
Epulum sacrum leti regis nunc sumite.

CHORVS, EX EODEM

Prouerbiorum cap. uersu

Choriambico.

Constanter redamo, qui me adamant, piose
Et qui me studijs queritat, inuenit.
Nec non diuitiae sunt mihi maxime,
Virtutis decor, & gloria splendida.
Diuinis opibus non percuntibus
Presto, iustitia fulcio pectora.
Et fructus meus est amplior, & magis
Pollens diuitijs splendidioribus.
Hic fructus superat, que preciosa sunt,
Obrizum rutilans. est preciosior
Argento nitido, uincit & omnia
Que præstant precijs irradientibus.

ACTVS

SAPIENTIA
ACTVS SECUNDI,
SCENA I.

Altera ex mulieribus conqueritur de
atroci suæ contubernialis iniuria.

Tecnophila

Non est meus puer hic, non est meus puer,
O facinus audax, ô scelus nepharium.
Maligna mortuum suum dolo mibi
Supposuit. ô facinus crudele ac barbarum.
Ah quid agam? uel quid captabo consili.
Non testis ullus: sola sum, deserta sum.
Sed en scelesta stat domus sub ianua.

SCENA II.

Rixantur mulieres inter se.

Tecnophone. Tecnophila.

Mea tu, quid ista tanta uociferatio
Sibi uult? quid est? quid accidit, mea, te precor?
Dic, te rogo, quid ita tu exanimata? quid?
Ecquid tuus puer exhalauit spiritum?
TECNOPHI. Discede mox procul scelesta. **TECNOPHO.** Siccine

Agis? **TECNOPHI.** Meum tu redde, quem dolo
malo

Mihi sustulisti, cum dormirem, pessuma.

TECNOPHO. Nū sana tu satis? mente recollige.

Mecum meus saluus probe est in ædibus.

Si nunc tuus tibi mortuus, iniquior.

In me tumultuaris, & stomachum tu

Effundis

SOLOMONIS.

73

*Effundis in me? non decet. TECNOPHI. Hic
mortuus,*

*Quem pigra stertens suffocasti comprimens,
Hic est tuus: sed tu scelestia meum tuis
Vberibus admoues, perinde ac is tuus fiet.*

*TECNOPHO. Audacia ingentē: mores mortaliū.
Vah quid magis temerarium dici potest,
Quām uelle mortui tui culpam mihi
Impingere: ecce si non es audacia
Hæc summa, quæ maior potest dici: Tamen
Suis eam relinquam nunc furoribus,
Que sum dierum uix trium puerpera:
Ne quid mihi, dulci' ue infantulo meo
Ex lacte perturbato his turbis accidat.*

SCENA III.

Tecnophila sola.

*O Religionem ter quater nefariam.
Os impudicum, non Deum ultorem timens,
Suum necauit. Hæc neci temeraria
Adiungit ecce nunc plagium triueneficas,
Satis superq; acerbūm parricidium
Fuerat, sed ista pignus en meum sibi
Furiūm rapit, dolosis praua fraudibus.
Sed quid nam agam? sed quid captabo consilii
Sum destituta ope, & fauore iudicūm.
Contempta sum, quæ uulgo quæstum corpore
Contra Dei legem sacratam factito.
Misella sum, nec est mihi quod iudici*

Donem,

Donem. Sed ipsa eadem est sorte prædita:
 Sed plus reus fauoris in forensibus
 Causis habet, quam iustus actor. Iudices
 Reo fauent, suspecta res actoris est.
 Causam Deo commendem, iusto iudicis
 Sed huic meæ ratio uitæ parum placet.
 At ista non melior, sed æquè turpis est,
 Atq; ego. Quid ergo? Causæ uincat æquitas.
 Sed quid' nā agā: aut incep̄tē: quem' nā consulam?
 Quis deferet causam meam hanc ad iudices?
 Non sunt mihi ulla dona, quis iter mihi
 Parem ad tribunal iudicis. Sed ecce ibi,
 Ex arce regia ad nos huc Iosaphat
 Descendit, haud parum laetus, primarius
 Vir, atq; dexter, Regi à commentarijs.
 Adibo eum, causamq; exponam. Nam uoleat
 Audire me, serenitas dum mentis est.

SCENA IIII.

Descendit ex conuiuio Iosaphat cancellarius, laudans secum regem.

Iosaphat solus.
Nihil letius unquam, nihil festiuus,
 Nihil serenius, quam rex in hoc fuit
 Conuiuio, uidere contigit meis
 Oculis. iuuat sub hoc tam pulchro principe,
 Pulchros dies in pace multa uiuere.
 Quicquid suis in hoc dixit conuiuio,
 Graues fuere et prudentes sententiae,

Legis

S O L O M O N I S.

17

Legis sacrum nomen meretur, quicquid ex
Ipsi ore profluit, prouerbia
Sunt omnia illa, quæ fluunt ex tempore.
Non triste quicquam, non trux aut tyrannicum,
Nihil superbius, nihil arrogans:
Humanitas sed ipsa cum modestia
Mirabili condita; nil tamen leue,
Aut infra dignitatem ipsius regiam.
Festiva in ipso est uel maiestas regia.
Sunt temperata pulchre in rege singula:
Nihil nimis, nihil parum, sed omnia
Consentiant cœu harmonia musica.
Sed quid sibi muliercula ista'nam uolet?

S C E N A V.

Mulier exponit Cancellario caussam suam,
consulit ipsum: pollicetur ipse
mulierculæ operam.

Tecnophila. Iosaphat.

Occasio nulla amittenda est. Optime
Mihi obuiam fit, alio quar. Benignius
Opinor ipse respondebit consulens.
O Domine mi, saluento, ô prudentissime
Vir. 10. Hem quid est mulier? qd palles? quid tibi
Pectus tuum molestat, aut cruciat? T E C. Dolor
Summus. 10. Tuam caussam mihi dic libere.
Si quid boni possum tuo negotio
Consulere, non grauabor: exponas modo
Mihi tuam caussam uerbis paucissimis.

bb T E C. Tri-

T E C. Trium dierum uix eram puerpera,
 Vnaq; mecum unis mulier in ædibus
 Pepererat. Ipsa dum sterterat, puerum suum
 Ignava suffocat: meum ex ulnis meis,
 Dum dormio secura, furtim perfida
 Aufert, suum reponit illa mortuum.
 Factum negat, incusat parricidij,
 Prolis suæ necatrix. Quare consule
 Mihi miselle. 10. Caussa isthæc est ardua.
 Ais, negat. Status coniecturalis est.
 Non testis ullus, non signum probabile.
 Sed ecce Rex, quo nullus est sapientior:
 Tribunal ipius occupabit iudicis
 Munus subbit hoc credas dexterrime.
 Non munus, aut persone existimatio
 Quicquam ualebit, huic tuam causam probè
 Expone. T E C. At ô te quæso, uir dexterrime,
 Ut ipse causam ad regem iustum deferas.
 10. Adsis modo tua cum ista aduersaria,
 Vtroq; cum puero, uiuo atq; mortuo.
 Operam meam tibi præstabo candidè.

CHORVS, EX EODEM

Proverbiorum capite, uersus

Sapphico.

Illa ego prudens Sapientia, ecce
 Iuncta sum semper rationis alma
 Legibus, tectis habitamus unis
 Consociatae,

odium

S O L O M O N I S.

19

Odium praui domini potentis
Est timor. ualde miserè superbos
Execror sensus animi tumentes,
Atq; dolosos.

Me penes prudens Sophiae est sagacis
Astus, ac rerum uigor almus in me est:
Me penes fortis, sapiens, potensq;,
Viuida uirtus.

Regibus per me suus est regendi
Dexter & iustus modus, acq; sceptra
Iudices recte subeunt potentes,
Imperitantq;.

A C T U S T E R T I I,

S C E N A I.

Præco edicit, Regem si quæ lites sint, sua dirempta
rum eis sententia. Fiat buccina signum,
populus conuoleat.

Præco.

Ciues boni, iussu & mandato regio
Edico uobis, si qua sit contentio
Forensis, inter uos Maiestas ipsa iam
Hanc dirimet dextra sua sententia.
Qui propter o populares, cui concordia
Curæ est, huc ad tribunal regium uoleat:
Nihil iustius dictura uel Dice pia.

S C E N A II.

bb 2 Confuit

Confluit populus ad uocem tubæ. Iosaphat Regi
prodeunti, & pro tribunali sedenti, mulieris cau-
sam indicat, & commendat.

Tecnophila. Iosaphat. Tecno-
phone. Solomon.

Sed ecce ceu solis clari serenitas
Incedit. ô Iosaphat clarissime,
Regi meam causam commenda, ut æquitas
Docet. 10. Tace: id modo probè curauero. (rimus,
TECNOPHO. Nō ambiго, quin Rex multò dexter
Sententiam secundum me pronunciet.
REX. Intelligo uiri Israel, quid regium
Sceptrum deceat: ut salua sit iustitia,
Ut lex Dei seruet uigorem maximi.
Agnosco me summi Dei uicarium.
Non quod libido dictitat, sed lex Dei,
Spectauero, causas uestras dijudicans.
Quapropter hic si cui sit controuersia
Aduersus alterum fratrem, dicat modò
Caussam suam, missis omnino affectibus,
Exordijs longis. Veritatis est
Simplex, caretq; fuso omnino oratio.
10. Mulierculæ litem duæ, Rex inclite,
Habent: lis est de filijs natis recens.
Alter quidem uiuit, sed alter mortuus
Est. At suum uiuum esse certat utraq;
Has audias Rex, pro tua clementia.

SCENA III.

Mulieres dicunt caussam suam apud Regem.

Rex. Tecnophile. Tecnophone.
Achisar atriensis.

Aetrix suam paucis causam dicat prior.

TECNOPHI. O Rex tuæ serenitatis gratia

Confida dicam, nil mentita, sed probè

Vt res habet, narrabo paucis ordine.

Duae sumus pariter unis in ædibus,

Ego & domestica ista, eodem tempore,

Euenit ut pareremus hos infantulos,

Hunc ista mortuum, sed illum ego meum,

Qui uiuit: at die lapsi iam tertio,

Cum nemo adesset, præter nos, in ædibus

Testis, quiescens somno isthæc profundius

Compressa, iam suo cumbentem lectulo

Hunc dum premit stertentis mole corporis

En suffocat, mater hæc parricida fit,

Surgit, meis dum dormio ex ulnis rapit

Meum: reponit in locum, istum mortuum.

Pòst excitata somno, ut lactarem mecum,

Sensi meum non eße ex me genitum statim.

Contemplor, ecquid sit meus. sed non erat.

Repeto meum, sed iurgijs hæc intonat:

Iurans Deum, Deiq; sancta numina.

Sed interim, Rex, orba filio meo,

Fraude & dolo malo istius nunc fœminæ,

Dextram tuam, sceptrumq; imploro Regium,

Nihil peto quām quod iubebit æquitas.
Te Rex penes summa est rerum. Tu iudica,
In te sita est iuris dextri prudentia.

R E X. Audiuimus pro more partem nunc quidem
Vnam, sed audiemus etiam alteram.

Dic tu mulier, aīs' ne, an crimen hoc negas?
An excipis? pro more iuris dicito.

T E C N O P H O. Maior tua est Rex æquitas, quām
ut debeam

De iure sollicita eſſe religiosius.

Hæc multa dicit, quæ probare non potest.

Quæ dicit iſtæ ficta, cuncta pernega.

Non signa sunt, multo minus tecmeria,

Non ulla coniectura quod iſtud fecerim.

Hæc ipsa dum neci natum dedit suum,

Hoc crimen in me fingit, iſta transferens,

De quo foret mulcta iſtæ tam nefaria,

Tantum loci potest in ipsa habere: sed

Eiusmodi mores nunc sunt mortalium,

Vt transferant in alteros, quod perpetrant.

Ex me puer uiuens hic natus est mihi,

Hunc assero meum. sed mortuum sibi

Habeat suum calumniatrix pessuma.

Sed quin secura cauſsam Rex dexterime;

Sententiæ tuæ relinquo hanc integrām.

T E C N O P H I. Temerariā uiden' ô Rex audaciā:
Os impudens, num tu meum sceleſta uis
Contra tuam tibi uendicare conſciām

Mentem,

Mentem, meum dico, scelesta, sanguinem?

T E C N O P H O. Nihil impudetius, Rex ô, nil uanius

Oculis meis uidi unquam. Quid temerarium

Dici potest, hoc si non ipsa temeritas,

Aut uanitas dici meretur? Hæc meum

Audet suum per numen sanctum dicere?

R E X. Est hic sacer locus, nec iurgijs:

Ius, æquitas, æquum bonum, uerax Dice

Coluntur hic. à iurgijs faceſſite.

Tuq; Atriensis, tu qui es inter aulicos

Meos amicos, crede, nunc primarius,

Quæ pertainent ad hanc rem, tu curaueris.

A C. Curauero id quidem ut decet, Rex maxime,

In me non deprehendatur ulla Rex mora.

Nam nil mihi est magis in uotis, credito,

Quim regij sceptri flos, & florens status.

Et nunc potissimum, cum floret maximis

Tuis sub auspicijs nunc florentissimis

Sapientia hæc prudens, sapiens prudentia,

Promittit amplum quiddam quod potens Deus

Gubernet & secundet pro magna sua

Bonitate. perge, macte sic uirtutibus

Populi tui Israel salutem querere,

Vestigijs patris David inſistere.

In rebus his terrenis nil præclarior,

Quim rem Dei, statumq; saluum publicum

Curare, ob id iuſsum capesso ſedulo.

Hæc scena continet Regis sententiam.

Rex. Satelles. Tecnophile. Tecnophone. Præco. Marcolphus.

Vtrāq; partem nos pro iure audiuimus.
Perplexa cauſa est, nec facile quis dixerit,
Vtrām penes partem maior sit æquitas.
Non signa ſunt, multo minus tecmeria,
Non teſtimonium, nec id tutum arbitror,
Ut deferatur iuſiurandum fœminis,
Fidei male, nec certum quæſtionibus
Eſt argumentum, nec uſitatæ in Iſrael.
Promptum ſed eſt mihi conſilium, ut reor, bonum.
Ponatur huc uterq; actutum nunc puer.
Audin' ſatelles, audin' huc gladium citō
Acutie probata uagina extrahe.

S A. En domine Rex, fatalis eſt gladius tibi
Peracutus & politus, ſplendens & minax.

R E X. Puellum utrūq; tam uiuū quam mortuum,
Medium ſeca, atq; atri ci partes alteras,
Et alteras rurſus dato matri reæ.

Vtrīq; quo pars eueniat nati ſui. (me,

TECNOPHI. Non. Iſtud abſit, o Rex clementiſſi.

Non diuidatur ille uiuus, ſed magis

Huic alteri cedat uiuus. Nam lumina

Facinus abhorrent, ut crudele & barbarum.

Commota ſunt mihi ex hoc dictio uiscera.

Nati mei conſpectu malo perfrui.

Et matris

Et matris istius putatæ cernere in
Gremio foueri, dum uiuat meus modo.

T E C N O P H O. Imò probè Rex censuisti maxime.

Secetur, ut dixti, medius uiuus puer:

Malo uidere hic ante oculos natum meum

Secarier, quām falsæ matris filium

Existimari. Quān magis Rex inclite,

Hæc torta confitebitur, num sit suus.

Nam quæstione, certa fit probatio.

R E X. Quo fonte uox prolatæ sit hæc utræq;

Aduerto, signis profecto certissimis.

Viuum suæ matri ueræ natum dato,

Hæc uera mater est: id hæc affectibus

Docet, fluentibus materno ex pectore.

S A. Prolem tuam recipe, Regis sententia. (go.

T E C N O P H I. Me fortunata, ô Rex tibi gratias.

R E X. At tu scelestæ, quæ cupis pueri necem,

Te prodis ipsa: nil materni sanguinis

Habes. Id non fieri potest, ut qua si sit

Mater, suæ uidere quæ necem queat

Prolis. tui' ne tu spectatrix sanguinis,

Dum funditur, temeraria eſſe tun' potes?

Ni maior, heus, nobis ratio clementiæ

Eſſet, tuo te (crede) tractarem modo,

Faceremq; ut eſſes exemplum quām plurimis.

Quid amplius Præco caſarū? PR AE. Nil quidem.

O Rex, ſcio. R E X. Laus fit Deo, quod rege me

Tranquillitas est tanta nunc in Iſrael,

Vt regum tribunal istis fabulis
Anilibus uacet. sed hæc documenta sint
In posterum. ast in regiam nunc ibimus,
Deliberaturi de publico statu.

M A R. Quanto anteo regem meum sapientias
Non nouit hanc mulieris rex astutiam:
Quia fundit ista largas flendo stillulas,
Gemitq; amarè, credit hic suspirijs,
Et æstimat mulieres ex se, & ex suis
Vah moribus, ridendus rex dignis modis.
Qui nescit hoc, quod non fides sit foeminis
Habenda, quæ secus dicunt quam sentiunt.

SCENA V.

Discedente rege colloquuntur Iosaphat & Azari
as, mirantur Regis in ferenda sententia
extempoream prudentiam.

Iosaphat. Azarias.

Iosaphat amice, frater optime,

Nil tale legi. num legisti Italia

Sæclis uetus tis esse facta in Israel?

I o. Prorsus nihil. A z. Puerilis hæc sententia

Primum uidetur: sed post sagacitas

Sapiens Monarchæ nunc sa:is nobis puto

Spectata. Cunctis nunc innotuit bene,

Qualis siet, quantus' ue Rex in Israel.

I o. Audiuimus iactarier proverbiū,

Rex qualis est, talem citō populum fore.

A z. Sequetur ergo mox populi prudentia.

10. Pro me quidem discedo nunc prudentior,
 Nec arbitror quenquam istius spectaculi
 Fuisse spectatorem, quin cordatior
 Discedat hinc, quam paulo accesserit prius.

S C E N A V I .

Aetrix congratulatur sibi de vindicato puer.

Tecnophile. Praeco.

Affulsit hic dies mihi festiuiter,
 Peperi prius natum doloribus meum,
 Peperit sed ipse magna matri gaudia.
 Notandus est dies hic albo calculo,
 Semper mihi celebrandus, atq; filio,
 Qui vindicatus est suis natalibus,
 Solenniter persceptrum hoc regium die.

P R A E. Quantum Dei donum magistratus bonus
 Sit, hoc docet uos (ò uiri) spectaculum.
 Valete nunc, demum laudantes plaudite.

A C T V S Q V A R T I ,

S C E N A I .

Continet historiam de Chirami regis Tyrii ora-
 toribus, & legatis Solomonis ad Chiramum
 de petendis ad aedificium tem-
 pli architectis.

Sadocus sacerdos. Zabuthus
 Regis socius.

E quid placet tibi isthæc consultatio,

Hi duo col-
 quuntur de
 multiiuga Re-
 gis sapientia
 Destru

De structione templi, de Dei domo:
 Et de sacris ritè instituendis maximo
Deo: **Z A.** Quid autem isthæc Regis prudentia?
S A. Spectata iam regalis sanctimonia est.
Z A. Spectata iam satis regis sapientia.
S A. Multi fuere clari ubiq; gentium
 Sapientiæ titulo, præsertim Aegyptij.
Z A. Longè sed hos superat: relinquit, qui modò
 Sapientia præstant, hebreos, plurima,
 Post se. uidelicet si nominarier
Quoq; dam tibi uoles, Gæthanum & Amanum,
 Et Chalceum, & Dodanum, Hæmaonis filios.
S A. Am: **Z A.** Ego ipse testis haud uanus tibi:
 Rebus gerendis, inquam, sæpe interfui,
 Cum contulit sermones cum prudentibus
 Viris, ad ipsum regem qui nunc confluunt.
 Manibus meis euolui commentarium,
 Qui continet odarum multa millia.
Quid? quod ego ex ipsius ore plura, quam
 Ter mille collegi in librum prouerbia,
 A Rege dicta in ipsius sermonibus
 Prudenter & cordatè, uel ex tempore.
 Cum differit de rebus naturalibus,
 Polyhistor est, disertus & uerè sophus:
 De stirpibus, de gemmis atq; plantulis,
 Animantiumq; formis dicit omnibus.
 Nihil fugit solidam Regis scientiam:
Ex singulis ænigma, uel diuerbium

Fingit.

Fingit. s a. Ferunt de Rege, quod uim dæmonias
 Habeat fugandi, quod morbis mederier
 Varijs queat manu solerti. z a. Sic ferunt
 Ferunt probè his oculis hoc uidi sèpius.
 s a. Sed ecce qui sunt isti, quos uideo procul
 Venire? me si non oculi se fellerint,
 Videntur oratores. z a. Sunt Tyrij uiri.
 Hoc indicat uestis. s a. Miror quid'nam uelint.
 z a. Spectabimus ecquid uelint, ut regiae
 Denunciemus maiestati. s a. Consulis
 Probè, uiden? equis iam desiliunt uiri.

S C E N A II.

Sacerdos & Regius consiliarius legatum excipi-
 unt, Legatus petit ad Regē aditū. datur.

Legatus Chirami. Sadocus,
Zabuthus.

Saluete uos uiri, saluete plurimum.
 s a. Vos maximus saluos Deus custodiat.
 z a. Vos rector ille mundi in Israel Deus,
 Pro maxima uos saluet hic clementia.
 Vestrum, uiri, unde iter? quò quæso tenditis
 Gressus citos? s a. Quæ causa uos huc appulite?
 Ecquid, rogo, est uobis uiri hic negotijs?
 Si uos iuuare ô hospites, nos possumus,
 Faciemus id libenter & promptissime:
 Modo indicate nobis, nulla erit mora.
 z a. Videmini præferre quid negotijs

Vbiq

SAPIENTIA

Vobis apud Regem nostrum eſſe. Si quid est,
Aditus patebit per nos huc ad regiam.
L E. Nos adsumus Tyrij legati principis,
Hiramus huc nos ad Solomontam iſſitat,
Ut ipſius maiestati atq; honoribus
Sua uice gratulemur. Z A. Ecce rex uenit
E' regia progressus cum satellite
Raro, atq; amicis omnium fidissimis.

SCENA III.

Legatus exponit regi causam ſui aduentus. Gra
tulatur illi uice Hirami Tyri regis, de
regio ad quod nuper fuerat
enechtus fastigio.

Zabuthus. Rex. Legatus.
Achifar oeconomus regius.

Huc uentitarunt Oratores, maxime
Rex, principis Tyrij, qui celsitudinem
Tuam salutaturi Hirami nomine.

R E X. Vobis uiri ueſtrum licet negotium
Coram exequi, quod eſt commiſſum, libere.

L E. Serenitatem rex tuam nos feruuli
Huc uenimus salutatum, regis uice
Noſtri, Tyrum qui diuitem dextre regit,
Gratusq; Dauidi tuo magno patri.

Simulatq; rumor eſt delatus ad Tirum,
Hic unctione inauguratum regia,
Solomonta amici gnatum, ſceptra in Israel
Patris loco administrantem dexterrime,

Sapientiaq;

S O L O M O N I S.

33

Sapientiaq; summa instructum, gaudijs
Perfusus est (nobis credas) quam maximis.
Congratulatus est populo, ex animo pio,
Tuo, & tibi ô Rex comprecatur omnia,
Salutis almæ dona orat diuinitus
Tibi dari, quæ regni uera munera
Dici merentur. Officium suum insuper
Offert tibi, Solomon rex potentissime,
Offertq; amicitiam suam integerrimam,
Qui semper est ueneratus & coluit patrem
David tuum, uirum secundum cor Dei.
Regni tui uigorem hic aestimat fore,
Regni sui salutem constantissimam.
Mituit simul tibi ô Rex hasce literas.
R E X. Mihi uestra comprecatio est gratissima,
Et liberalis ista significatio
Per uos amicitiae cum patre candidæ.
Referte regi uestro magnas gratias,
Referte nostrum & officium uicarium.
Nec ambigo, quin ipsius fides siet
Erga domum meam nunc constantissima,
Nec haud minus quam quondam cum meo patre,
Fuit per annos plures integerrima.
Missurus ipse eram ad Tyri regem meos
Famulos meis instructos ecce litteris,
Vlro petitum amicitiam tanti uiri,
Quo posset instituto morem nunc meo
Gerere in cedrinis lignis & cupressinis,

Ad

Ad templa summo construenda, quæ pater
Vouit Deo quondam: sed ipse bellicis
Rebus fuit semper multo implicatior,
Quam qui suum cœptum ad finem perducere
 Potuerit, ast rebus nunc tranquillissimis,
 Occasionem nactus ædem construam
 Sacram Deo, quam uouit ille, splendidam:
Non sumptibus parciam magnificientissimis.
Sed Achisar curato nostros hospites,
Tractato eos pro dignitate splendide.
Abduc eos in aulam. A C H. O Rex, curauero.

SCENA IIII.

Rex Cancellario scribendarum ad Tyrium
 Regem literarum negotiem, Za-
 butho legationē mandat.

Rex. Iosaphat. Zabuthus.
Zabuthe amice longè mi charissime,
Fideq; summa inter proceres nunc aulicos:
Et tu fidelis ô Iosaphat mihi,
Semperq; ob id præ cæteris charissime:
Vos scitis institutum quid nuper siet,
Destructione templi: fundamenta iam
Locantur, atq; orbis circum describitur,
Opusq; cœptum surgit iam quodam modo.
Lapides tamen quadrati, & dura marmora,
Cedri, cupressi, desunt duro robore
Trabes. & architecti non idonei
Ad hoc opus nobis sunt, qui fastigia

Templi

Templi sacri cœlo queant subducere.
 Libanus abundat hisce, abundat & Tyrus
 Artifice docto. Et affabré Sidonij
 Secare ligna, & saxa norunt scindere.
 Istis opus nobis erit. Quare bone
 Zabuthe, in hac re opus tua quam maxime
 Opera & fide, credas, habeo. z a. Quicquid mea
 Industria ô Rex efficere poterit, lubens
 Onus subibo in re longè sanctissima.
R E X. Adibis ergo regem mox Sidonium,
 Istis comes instructus ipse pluribus
 Ex aulicis nostris, equestri ex ordine
 Viris, salutem & officium dicas meum
 Tyrio tyranno, amico patris unico,
 Et singulari. ob idq; nostro nomine,
 Doctos fabros pete ut nobis communicet,
 Hi ligna norunt affabré secare, quæ
 Libanus abundè fert, & cedros maxime.
 Mons noster est, uiri sed desunt, qui sciant
 Cedros secare, aut saxa recte fodere.
 Non gratis hos petimus, sed certis legibus,
 Et pensione certa in annos singulos,
 Quicquid dabit, dabit hæc nostris pro sumptibus.
 Possunt cedri rates percommode mari
 Committier, ratibusq; saxa imponier.
 Cum rege fœdus antiquum patris mei
 Renoua: nouum' ue, si uidetur, concipe.
 Et tu meo perchare cordi Iosaphat,

Hæc literis ad regem scribe nomine
Nostro, atq; literas nostro signauero
Hoc annulo. i o. Negotium hoc curabimus
Pro fide nostra, Rex ô clementissime.
REX. Eamus intrò nunc in aulam ad hospites,
Ut exequamur, quæ rebus præsentibus
Sunt usui futura ad hoc iter tuum.

SCENA V.

Marcolphus solus.

ERICULUM nuper cautus suspendij,
Astu meo deceptis seruis regijs,
Euasimus tentanda sed fors, num queam
Me rursus insinuare in regis gratiam.
Captanda sed rei cuiusq; occasio est,
Venabor ecquid fors benigna quid mihi
Datura sit, quod esse possit usui.
Pars contigit mihi de corde uulturis,
Hinc conferendus regi sum prudentia.
Si contigisset totum, forte regia
Hæc contigisset Marcolpho potentia:
Fortuna sed uincenda erit mihi dolo.

CHORVS.

Ex Cap Proverb. 9. eo genere, quo est Horatianum
illud, Soluitur acris hyems.

En sapientia pendens ædificat domum politam
Nitentibus septem arduam columnis,
Nunc cadit ante sacras huic uictima ritè pinguis a-
Coronat auro, uina sacra miscens. Cras,
Instruit

Instruit alma suas mensas epulis decorè largis,
 Et ornat hoc conuiuum celebre.
 Et comites famulas mittit celeres ad urbis altos
 Locos, ut inuitet, sonante uoce:
 Huc agite ô iuuenes, qui estis fatui, uenite cuncti,
 Venite uæcordes, opem rogate.
 Ad mea certatim conuiua lauta commeate,
 Cibo salubri uos replebo cunctos.
 Nectar & ambrosiam miscere uolo suauitatis
 Scientiæ, daps mentis en opima.
 Vescimini iuuenes fructu sapientiæ beatæ,
 In hac uoluptas est pia atq; sancta.
 Stulticiæ potius tetræ semitam iube ualere,
 Agesq; uitam ter quater beatam.
 Dirige per calles sophiæ gradiens tuos meatus,
 In ambula recti uias decori.

A C T U S Q V I N T I,

SCENA I.

Continet hi-
storiæ de Re-
gina Sabæa.

Sacerdos religionem & templum Solomonis miratur
 Consiliarius sapientiam : qui commemorat Solomonem
 cum Hiramo, sive ut Iosephus nominat, Eromo proposi-
 ænigmatibus sponsione disputasse, quod Iose-
 phus ex Dio historico refert.

Sadocus sacerdos, Zabu-
 thus orator.

Z Abuthe mi charissime, ut tibi placet
 Solomonis ista relligio atq; sanctitas?
 Heu quam Deo patrum delubra ditia,

Et splendido polita condit marmore?
 Ditauit hoc auro atq; argento splendido.
 Quid sacra commemorabo, tam solennia
 Holocausta, crebra, & omne uictimæ genus?
 De more rite mactat hic bidentium
 Greges, Deoq; litat hic creberrime,
 Perlitat autem semper. Hoc nos edocet
 Successus iste felix, quem foris habet,
 Domiq;. Nam duella certe nulla sunt
 Aduersa, semper uictor est ex hostibus.
 Tributa pendent perduelles undiq;,
 Cum regibus uicinis figit foedera.
 Quid multa? Tute nosti, quis regni siet
 Status, magisq; quam nunc nemo principum,
 Qui pars earum tute rerum maxima es,
 Qui functus es claris legationibus.
 Z. A. Sunt uera, quæ dicas sacerdos optime,
 Sunt magna, sunt (mihi crede) isthæc miracula.
 Maiora sed sunt illa, quæ sapientia,
 Nulli satis mortalium percognita,
 Designat. Hanc admiror sape cum meis
 Aequalibus: sed quo magis miror, magis
 Animo fatigor. cuius exemplum tibi
 Referam, quod ex meis legationibus
 Habeo, satis dignum quod multis sæculis
 Memoretur, & cantetur olim posteris (cro.
 Nostris. s. a. Ain' ? z. a. Aio. s. a. Quid est? dic obse.
 z. a. Hiramus ad Solomonta nostrum misitat
 Scirpos,

Scirpos, & implicata quædam ænigmata,
 Tentans cum num possit illa soluere.
 Sed noster ut sapientia mirabili
 Semper ualet, facile hæc resoluit, & cito,
 Rex noster at mihi in mandatis hoc dedit,
 Cum mitteret me ad Hiramum regem Tyri,
 Iniunxit inquam & istud inter cætera,
 Proponerem ut Regi nonnulla ænigmata,
 Se uelle secum spōsione maxime
 Summæ pecunie promptè contendere.
 Hiramus at nequibat hæc sophismata
 Dissoluere: at Tyrius puer cui nomen est
 Abdemonus, mirabili scientia
 Problematum soluendi præditus, probè.
 Hunc rex subornat, hic dissoluit omnia.
 Proponit is rursum puer problemata
 Solomoni nostro, qui paruo negotio
 Soluebat ista. s a. Credo. non ego ambigo
 Mirabili de regia prudentia.
 Non nostra in hoc uersatur ista quæstio,
 Sapientiæ sed fons est summæ maximè
 Dei timor, quod inter eius apophygmata
 Audiuiimus persæpe commemorarier.
 Et propter hoc, quod ipsum tale quicquid est,
 Fiet magis, puto, ergo tale. z a. Non nego.
 s a. Ad hæc Dei cultus Deo fit gratior,
 Quo simplici magis modo fiat, z a. Scio
 Illud quidem, credo q; Sed non pugnat, ut

Opinor, hoc quod simplex est, sapientiae:
 Prudensq; simplicitas est uirtus maxima,
 Deoq; ualde grata: uerum astutia
 Versuta, uastra, callida est exceſſio
 Sapientiae uerae. s a. Sed ecce regios
 Currus procul uideo uenire. z a. Quisquis est,
 Valde potens est. s a. Hoc comitatus indicat.
 z a. Age nos eis eamus obſecro obuiam.
 s a. Eamus ergo, & excipiēmus ut decet.

SCENA II.

Sacerdos & legatus excipiunt Reginam Sabæam.

Sadocus. Zabuthus. Regina.

SAtellites nigri uidentur, & comis
 Crispantibus, uncti Sabæi sunt, siue
 Arabes odorati. z a. Sed ecce Regij
 Iam nos ministri obſeruārunt, iam curruum
 Stat pompa. s a. Sed Regina curru defilit,
 Mitrata, & auro picta, ea nobis obuiam
 Venire præfert. Alloquemur, ecquid huc
 Veniat, & ipsius quæ sint negotia.

R E. Saluete plurimum, uiri clarissimi.

s a. Tibi salus regina præclarissima,
 Diuinitus contingat, & fōspes fies.

z a. Vobis Dei benignitas Regina det
 Quod sit tibi & tuis salubre maxima.

Quid hac Sionis urbe sacra, dic rogo,
 Negotij est apud Regem ter maximum?

R E. regnabros proficit rex Solomon mihi

Celebrandus

Celebrandus est, qui ter beatus undiq;
 Celebratur. Hic sapiens, pius q; & præpotens.
 Hæc fama fertur nunc ubiq; gentium.
 Sapientiæ mirabilis fama excita,
 Ingressa iter, quod fecimus longissimum,
 Et longius quam conditio muliebris hæc
 Ferat: tamen me uicit admiratio,
 Solomontis ista nobilis sapientia.
 Vos arbitror regni uiros primarios,
 Regi q; charos, atq; in aula plurimum
 Valere. Quare ad arcem nunc uos. ô uiri,
 Pateat iter rogo, ad regis triclinium.
 s. a. Nos & libenter, & parati Regiæ
 Faciemus indicium maiestati, tuæ
 Præsentiæ, Regina præclarissima.
 s. a. Sed ecce Rex pro more nunc deambulans,
 Progressus huc propinquat, & fidelibus
 Stipatus en ministris, en gressus suos
 Huc dirigit. z. a. Vel rem nesciuit antea,
 Vel conspicatus ipse ex arce Regia
 Progressus huc pro more uobis obuiam.

S C E N A III.

Sabæa a Solomone excipitur.

Zabuthus. Sadocus. Regina.
 Solomon. Achifar œcono-
 mus regius.

A Dibo regem: tu sacerdos optime
 Maneto cum Regina, dum renuncio

Regis serenitati, de præsentia

Reginæ, ut ipse per me fiat certior.

I tu modo, manebo dum rescuerit.

S A. Noli grauari ex hac mora, castissima

Regina, nunc pro more te Rex inclytus,

Pro dignitate regia excipiet modò.

R E. Nihil est mihi molestum, ô uir sanctissime.

Z A. Regina, Rex, terræ Sabææ huc appulit,

Vt alloquatur te de rebus arduis,

Sapientiæ nimirum, qua te prædicat

Hic orbis. s o. Hanc ex arce nunc prospeximus,

Huic obuiam procedo, ut excipiam meo

Pro more eam. R E. Rex nunc adest. ô maxime

Rex, te Deus cœli atq; terræ maximus,

Regni & tui seruet uigorem pro sua

Clementia benigna. s o. Salue tu quoq;

Sabæa, reginarum orbis clarum decus.

Quæ cauſſa ad hoc iter te quæſo compulit?

Non leue fit neceſſe est, quod te föminam

Ad hoc iter tam durum & insuperabile

Coegit. R E. O Rex, sunt profecto maxime

Cauſſæ mihi, ueruntamen periculis

Negotium meum est procul. Sed inclitus

Sapientiæ rumor tuæ me föminam,

Crede, impulit famulam tuam ad mirandum

Tantum uidendum, & audiendum. s o. Plus mihi

Tribuis, & amplius de rebus prædicas

Meis opinione quadam ſpendida,

Q 44

Quām uel siet, uel quām mihi esse sentiam.

Sellæ duæ curules atq; regiæ

Huc afferantur interim, tuq; Achisar

Curato pro fide tua impedimenta, & hos

Vastos in arce elephantes Indicos probè,

Mulos, camelos, atq; equos cum currubus.

Et pabuli satis. Cura pararier

Conuiuum regale nobis splendide.

Nos interim hoc in porticu fabulabimur

Paulisper, & sermones hic miscebimus

Dulces. A c. Probè, ô Rex, pro fide curauero,

Regina regio modo tractabitur.

SCENA IIII.

*Sabæa donat regi munera, miratur eius ædificia, famulit
um. Et hinc colligit, sapientiam eius opinione ma
iorem esse. Itur postea ad conuiuum.*

**Solomon. Reginæ. Eunuchus
Reginæ. Præco.**

Sabæa Reginarum felicissima,

Sedem capesse colloquemur paululum.

R. E. Non addecet, ô rex, ut ulla femina

Viro prior locum capessat, nedum ego

Femella, maiestate tanta territa.

Disuadet hoc sexus uirilis dignitas,

Prohibet id amplitudo certè regia.

s o. Hoc si domi fiat, tibi concederim,

Si quid tibi iubeat uenusta urbanitas,

Parum sed hoc ciuite (crede) fecero.

Veruntamen ne totus hoc abeat modo
 Dies, geram morem tibi: pulchrumq; erit
 Fortassis, ut uincatur mas à fœmina.
 R.E. Festiuiter ludos agis, sed candide,
 O Rex serene. Verum eunuche nunc tuum
 Fac munus: affer hæc, ego quæ tradidi.
 E.V. Auri talenta sunt hic, hic aromata.
 R.E. Solomon tyranne longe felicissime,
 Scio receptum p̄fsum more gentium,
 Ne quis salutet regium temerè caput,
 Quin hoc prius placet uenusto munere.
 Quare serena fronte quicquid istud est,
 Capias rogo: coronarium hoc boni obsecro
 Pro more consulas, & mansuetudine,
 Sabæa tellus ista fert domestica,
 Hæc mente prompta ancilla fert, ô Rex, tua.
 S.O. Mos est quidem, sed nescio an probabilis,
 Ut qui minus habent, diuinitoribus
 Addant: sed interim quiesce paululum.
 R.E. Quia idiubes, mones, & instas sedulò,
 Parebo. S.O. Munus istud planè regium,
 Gratissimum quidem est: & isthoc nomine
 Primum, quod est grato prosectorum pectore:
 Sed deinde, quod monumenta existunt regia
 Terræ Sabææ, & fama & re ditissimæ.
 R.E. Preciosa sunt foris, domi que uilia
 Habentur. At miror magis sapientiam
 Istam tuam. nolim putas id auribus

Tuis dari, Rex omnium celsissime.
 Contemplor ecce diligenter omnia,
 His ædium structuras splendidissimas,
 Templiq; ex opposito præcelsa culmina,
 Et ordines virum tibi hic astantium.
 Ex his tuam sapientiam sic colligo,
 Aequalis ut nullus tibi sit uspiam
 Terrarum. & hoc magis magis q; intelligo,
 Opinione maius est quod conspicor
 Præsens meis en clarè ocellis. Te Deus,
 Dator bonorum te beauit plurimis
 Modis: dedit sapientiam tantam tibi,
 Quantam prius non uspiam cuiquam uiro.
 Stupenda rumor prædicabat in Saba:
 Diues Arabs, Aegyptius laudes tuas
 Celebrat tuum nomen sonat Nilus ferax:
 Meroe canit Solomontia. quicquid Candaces
 Dictamini patet, noti q; climata:
 Et Aethiops, & Persa, & Indi flumina,
 Eous & Ganges, rapax Tygris, uagus
 Et flexuosus Euphrates. En transuolat
 Vtranq; zonam fama nominis tui, &
 Pertingit hæc adusq; machine polos.
 s o. Plus quam satis, Regina, laudibus meis
 Diserta buccinatrix es. R E. Non assequor
 Verbis meis, ô rex, quod de te sentio.
 De me uicissim quam benignè sentiam,
 Patientibus, te obtestor, ausculta auribus.

Studioſa ſum ſapiențiæ à primordijs
Aui mei, admirorq; honore proſequor.

Amoq; quos ſapien tes eſſe intelligo.

Meroe licet mihi ſit ſubiecta fœminæ,

Regitur tamen per me, puto, dexterrimè.

Sapien tiam colo in ditione ſic mea,

Vt tam puellæ quam puelli litteras

Tractent, & artes diſcant non inutiles.

Vt diſcerem, me huc compulit flagrans amor

Sapien tiae ueræ, te quæſtionibus

Adoriar perplexis, quas diſſoluier

Mihi uelim per te, Rex prudentiſſime.

s o. Quod litteras & ſceptra pro colo geris,

Supratuum ſexum facis, uirtutibus

Adſueta. Si quid eſt in quo tu doctior

Fieri cupis, fontes meos lubens foras

Deriuo. Dic, que ſint tibi problemata.

r e. Sunt plura, quam breui queant memorarier.

s o. Seruemus ergo iſthæc in commodum locum.

De rebus his loquemur in conuiuio:

Et cum uacabit, his diebus plusculis.

In arcis altæ tecta nunc intrabimas,

Vt te quieti des, defessa. r e. Perlubens

Quò duxeris, ſequar: lubens ſpectauero

Miraculum mundi hoc longè celeberrimum.

s o. Tu præco noſtris aulicis indixeris,

Vt hoſpites noſtrōs tractent humaniter.

p r. Curabo Rex que me iubes, dexterrimè.

SCENA V.

Præco exequitur mandatum Regis:

Marcolphus. Præco.

HAcc reddit ex stultis insanos: prò fidem?

P R. Tu morio, quid garris hic pro moribus?

Aufer cauillum, ni tu longa littera

Fieri uoles. M A R. Quid hoc, rogo, est ænigmatis?

P R. Da signa buxinator, ut nunc prædicem,

Quod Rex iubet, mandatum propter hospites.

T A R A T A N T A R A .

P R. Vos aulici Solomontos regis Israel,

Edicit hoc uobis maiestas regia,

Vt hospites Sabæos non iniuria

Lædatis ulla, sed pro mansuetudine

Tractate quisq; quenq; Nam ius xenium

Suo uigore saluum uult Rex maximus.

Mulctabit hunc, qui legem contumaciter

Neglexit, pro dignitate criminis.

Valete nunc, in arce agentur cætera.

C H O R V S .

Ex nono cap. Proverb. ut illud Horatianum

Sic te diua potens Cypri.

Diuine Sapientie

Firmum principium fit Domini timor.

Summum scire Deum tuum,

Est uerè sapere, et summa scientia.

Per me uia tibi tua,

Longe uox

Longæ ueroq; dies multiplices erunt.
Fili, si fapies bene,
 Multis utilitas eueniet tua:
 Sin risor fueris malus,
 Fructum percipies pro merito tuo.

E P I L O G V S.

Vidistis in spectaculo hoc, uiri optimi,
 Matronæ honestæ, nec non castæ uirgines,
 Regis typum sapientis, & iusti & pij.
 Quæ cauſſa sit sapientie, percepimus.
 Pius fuit, Deoq; totus deditus.
 Cui cum fideliter seruiret, & sacrum
 Faceret pium, dictante sancto pectore,
 Gratum fuit, fragransq; naribus Dei,
 Voto suo diuinitus potitus est.
 Sapientiam Solomon petiuit unice,
 Talis data est: cui sunt coniunctæ ceteræ
 Virtutis almæ partes. Nam dexterrima
 In rege nostro floruit quoniam æquitas.
 Non defuit clarum modesti decus,
 Misere iustum nouit cum clementia.
 Animus fuit celsus, uereq; regius.
 Hinc discimus, pueri, quæ sint diuinitus
 Petenda, quisq; finis esse debeat
 Studijs pijs & præfixus, nempe gloria
 Non nostra, sed Dei potentis & boni.
 Huc dirigantur actiones singule,

Dubio

Dubio procul uotis fieri compotes,
 Continget ut felicius studijs bonis
 Studeamus, atq; amplis progressionibus
 Pergamus, ut prosimus cuiq; proximo.
 Nam non sumus nobis nati, sed patriæ,
 Ut doctus ille Plato rectè censuit.
 Vocationem dein nostri, Deo integrum
 Mandabimus, securi, nam quid utile
 Nobis siet, pernouit ipse, qui dedit
 Quod nos sumus, dabit quo sumus & boni.
 Hoc consequemur, si uotis ardentibus
 Petamus a Deo optimo atq; maximo.
 Cui laus, honor, cui cedat omnis gloria.

C H O R V S.

E x Psalmo L X X I I . Q u o ueni Solomonis , Christi nimis
 rum, sapientia & iusticia describitur: in quo absolute
 felicis regni status, quasi typo quodam de-
 pingitur uersu Choriambico.

Qui uirtute regis magnifice tua
 Rex, qui sceptra tuæ iusticiæ quatiss,
 Da regi imperium, da moderamina
 Rerum, & iusticiam non uiolabilem.

Aequis ut populo legibus imperet,
 Vindex eripiat iusticia bonos,
 Pressos exilio, & rebus egentibus,
 Adflictis miserè præstet opem piam.

Montes celsijugi dulcia proferant

Pactis

Pacis per populos fœdera candidæ,
Colles iusticiæ dona piæ ferant,
Dextræ & arbitrij iudicium bonis.

Ille æquus misericordia arbiter indigis,
Iudex pauperibus dexter egentibus,
Censor iura pijs exulibus dabit,
Haud ullus locus hoc rege calumniæ.

Omnis te metuent, dum spacium suum
Phœbus flexuagum conficit igneus.
Cuncti te recolent, cornua menstruæ
Lunæ dum redeunt, euariantia.

Aduentus domini gratus erit magis,
Quam si imber tenuis cœlitus irriget,
Ut uellus tenerum germina graminis,
Telluris ue sinus, quæ sitit, aridæ.

Huius sceptrigeri temporibus uigor,
Celso iusticiæ huc adueniet polo.
Pacis tempora tunc florida tam diu,
Quam Phœbes redeunt cornua, florent.

Iunget littoribus littora Rex pio
Sceptro, & imperium proferet amplius,
Quam sacri à medio flumine Iordanis,
Ad uasti Oceani latifluum mare.

Hunc regem Aethiopes latiuagi colent,
Huic soluent celebri sacra piamine.

Prostratus genibus figere pulueri
Hostis munificus tunc uolet oscula.

Reges Tarsigenæ muneribus pijs

Hunc

Hunc regem excipient largifluis suum.

Huic dites Arabum sceptrigeri, & Sabæ
Fœlicis referent debita munera.

Hunc orbis domini muneribus suis,

Hunc orbis populi cultibus undiq;

Terrarum uarijs excipient ducem,

Hunc gentes dominum ritè colent suum.

Causa est: Eripiet mox inopem suo

Præsenti auxilio, si querulus petat,

Succurret misero. Percipiet preces

Clamantis patiens aure pia uiri.

Hic promptus redimet fraudibus & dolo

Vexatorum animas, fœnore liberos

Reddens, innocui corpore sanguinis.

Effusi precium coram oculis erit.

Viuenter tunc inopes, atq; Arabum sacris

Thesauris capient aurea munera:

Gazæ participes se fore regiæ

Iactantes, hilari laude Deum ferent.

Et tunc prouenient germina fructuum,

Meßis diues erit montibus arduis,

Ut fructus Libani copia diffluet,

Ciues ut uiridi gramen erunt solo.

Vncti nomen erit sole celebrius,

Aeterni spacio nobile sæculi,

Gentes omnigenæ nomine sub tuo

Felices, recolent Rex tua numina.

Israelis erit laus & honor Deo,

dd

Et quæ

*Et quæ dignatuo gloria nomine,
Qui quæcunq; facis, mirificas facis
Res, uirtute tua tam memorabili.*

F I N I S.

I O B V S.

*P A T I E N T I A E S P E C T A
culum, in Comœdiam redactus, lo,
Lorichio Hadamario autore,*

A R G U M E N T U M.

Iobus in terra potens Hussuide,
Syncerus undiq; & cultor pius Dei,
Pro se suisq; filijs libamina
Pura offerens, Deo fuit gratissimus.
Regi nimis dolebant ista Tartari,
Quærerit modum sagax quo possit perdere,
Lapidem mouet quemuis, subinde ringitur.
Adit Dcūm sedis rectorem cœlicæ,
Tentare quo liceat sibi, permittitur,
Sed in bonis solum suis fit copia.
Mox cuncta perdit hostibus grassantibus,
Flammis oues pereunt omnes cœlestibus,
Ruina iunctos natos & dium opprimit.
Nec hoc fui furor contentus dæmonis,
Iobus ut sibi non fractus constitit,
Ut membra contingat manu sua, impetrat.
Mox inficit percussum corpus ulcere,

I O B V S.

51

Et occupat fœtenti artus putredine.
 Laturi amici commodum solatum,
 Probris laceſſunt, disputantes arguunt,
 Et agrauant duris ægrum sermonibus.
 Diuina tandem respicit clementia,
 Suscepta Iobi iusti pœnitudine.
 Tum sanitatem reddit omnem corpori,
 Dupliſi refert adempta quæq; fœnore,
 Congratulantur rursus omnes cogniti
 Fratres, ſorores munera offerunt uiro,
 Sequitur ſecundus infortunia exitus.

P E R S O N A E.

Iobus heros.

Dina uxor.

Philias } filij.
Thelon }

Dominus. Peirastes diabolus

Eliphas }

Bælolath } amici Iobi

Sophar }

Distychus }

Certomus } nuncij & fa

Geta } muli Iob.

Spudeus }

Iſmalus } fratres Heliu rhetor

Hanania }

Iemina } ſorores Iobi.

Mendicus.

P R O L O G V S.

Amplissimi uos, ijdem & celeberrimi viri.
 Cæteriq; spectatores candidissimi,
 Saluete, contingant quæ uultis omnia,
 Salubria euenant cuncta, & fœlia.
 Spectare quod uos actum & ludum scenicum
 Dignamini, meritas agimus nunc gratias.
 Et semper acturi sumus, dum uita erit.
 Sed forsitan hoc omnes simul miramini,
 Cur tempore & loco insueto nunc prodeam.
 Quæ causa subsit, eloquar brevissime.
 Probatione longa res non indiget.
 Quam conferant studia hæc nouis tyronibus,
 Non arbitror quicquam quod expediat magis,
 Per multa quamvis scriptitent & lectitent,
 Trahenda in usum tandem sunt hæc omnia,
 In publicum cum prodeundum est deniq;
 Hic comparabitur modesta audacia,
 Ne præbeat Timona tum μισανθρωπον,
 Hominumq; uultus uitet & commercia,
 Qui profuturus olim est rebus publicis.
 Ad hæc suam probè excolunt facundiam,
 Ne perperam loquantur & balbutiant,
 Si uel suis domi socijs congerriant,
 Faciant ue uerba in concionibus palam.
 Sed gloriam hanc scriptis suis non arrogat,
 Qui candido hoc scripsit a pœna pectore.

Docbit

Docebit elegantias Terentius.

Hinc si libet, uel hoc saltem conceditis,
 Sacræ petent memoranda gesta paginae,
 Ut tam pia in tenera insculpant cordibus.
 Namq; hanc sacris qui dat depromptam annalibus
 Historiam, at ante non tractatam comice,
 Fatetur. id primum tentasse se genus.
 Cur ergo in illo primum sudat puluere?
 Quod esset ex usu pueris, hoc unicum
 Respexit, hoc uoluit, pax, amplius nihil.
 Nam qualemq; id æquus lector iudicat,
 Labore non minimo, minima sed gloria
 Profertur. at quid hic dicam de præmio?
 Tenue id nimis queritur, ḡrex histricus.
 Commendat ergo uobis scriptor Apæ uætros
 Operam suam studiumq; conspicui uiri,
 Quibus iuuantibus Camœnæ prodeunt,
 Gaudentq; literæ emergunt fœliciter.
 Commendat inquam se, simul obsequium suum,
 Qui cum patronos uos sibi cognouerit,
 Fauore uestro sese adiutum uiderit,
 Maiora dehinc cunctis tentabit uiribus.
 Tum concio actorum, coram quam cernitis,
 Vestrum nimis rogat fauorem candidum.

A C T V S P R I M I

S C E N A I.

dd 3

Mendicus.

Mendicus solus loquitur.



Eus subuenite uos populares ob-
secro
Inopē piē iuuate, adeste pauperi.
Næ, ego homo nimis sum in soelix
miserabilis,

Conferte quantam quisq; uult eleemosynam.
Surdis loquor: sunt aures illis, at nihil
Exaudiunt, meas uices dum conqueror.
Ah, esse tam spretum genus mortalium
Miserum, aut tot oppreßum calamitatibus,
Minus serenent ulla quod solatia.
Verum est, uetus quod indicat parcemia,
Mendicus à suis miser parentibus
Contemnitur, perit iuuante nemine,
Vbiq; pauper subiacet potentibus.
Honore nullo perfrui conceditur.
Cum uita leto nostra sit simillima,
Solarium nostris deest laboribus,
Præstat mori quam talem uitam degere:
Et Cerberum tribus latrantem rictibus
Videre, quam tabescere hac inedia.
Nam morte, uita acerba est multo durior.
Non arbitror quenquam eſſe, cui magis bone
Fœlicitates omnes aduersæ ſient,
Sic squallidus, pannis atq; annis obſitus,
Suffarcinatus incedo centonibus,

Difbutus

Disbutus ostendit pedes iam calceus,
 Digitos aluta nudos scissa detegit.
 Tum quot modis fames tyrannus corporum
 Vexat, cutis uix hæret ossibus meis,
 Et uiribus carent membra exhausta omnibus.
 Ad ostium nuper uiri prædiuitis,
 Potentis apprimè fessum me contuli,
 Petij stipem, siccii uel panis miculam:
 Repellor inde uerbis contumacibus,
 Quid hic planeta, impostor, erro, perfidus,
 Fortibus domus meæ & tectis aduoluitur?
 Hoc utsus est mihi timenti dicere,
 Abi cito & tete suspende furcifer,
 In rem malam & diram crucem te proripe.
 Nil erogant nobis misericordia ditiissimi,
 Magnas opes sed foedis rebus prodigunt,
 Propriæ student gulæ, que cunq; ingurgitare,
 Nemo famis leuare uult molestiam,
 Torto coquit que nostra membra pectore,
 Non ulla mente in recreant solatia.
 Sed est adhuc, quæ me fouet, spes unica.
 Huic est hic terra ualde fertilis,
 Iobus optimus uir illi presidet,
 Quem copiae penes cornu est. & gratia
 Auctus Dei, dextre administrat omnia.
 Non maior his, aut terris est potentior,
 Quis sol nouus, progressus undis Thetyos
 Circumspicit late subiecta climata,

Agros & arua penè immensa possidet,
 Quot uix oberret milius iugera.
 Amplum nimis tum suppetit peculium,
 Sed optimè bonis concessis ut tur,
 Benignus & pius laudatur omnibus,
 Nihil suæ benignitatis claudier
 In pauperes sinit, beat sed largiter.
 Accedo nunquam, quin discedam letior,
 Non illa (sat scio) me spes frustrabitur.
 Hic ergo desidebo aprico in gramine,
 Ex ædibus dum se quis istis proferat.
 Sed ipse procedit nunc: ô factum bene,
 Iam consuletur hinc mihi famelico.

SCENA. II.

Iobus. Philias, Thelon.

Spudæus. Mendicus.

O liberi, ætatis meæ solatia,
 Quos semper exopto superstites mihi,
 Scitis paterna iussa quæ uobis dedi,
 Eadem esse, fixa hæc permanet sententia:
 Deum timore quo ueneremini pio:
 Nihil quod illi displicet, gratum siet:
 Nil quod placet, uestra intermittat dextera.
 PH. Habemus in recenti adhuc memoria. (lum
 THE. Non excident pater quæ dixti. P. Nullū secu
 Auellet hæc à nostro iussa pectore.
 IO. Vos sedulò primis ab incunabulis
 Monui, tenellam sic ætatem dirigens.

Nunc

Nunc contigit uobis animus maturior,
In omnibus iam consuletis rectius.

Quod uos decet, uitas scrutamini omnium,
Ab omnibus uobis exempla sumite,
Hoc prehendite, atq; ab hoc longe discedite:
Hoc laudi erit uobis, illud uitio datur.

P H I. Morem tibi geremus omnes, ô pater,
T H E. Faciam libens, quodcunq; tu præceperis,
Vt gaudio frui mox possim cœlico.

I O. Dicis bene, amplector tuam hanc ætatulam.
Me ponite exemplum uobis domesticum:
Præibo, uos rectè decebit persequi.

Adhortor in primis, natu qui es maximus,
Hoc unicè semper cures negotium,
Fraterna quo sic floreat concordia,
Vt nunc uiget: res hæc Deo est gratissima.

P H I. Hoc curæ erit, summo cernes cum gaudio.

I O. Sic fulcietur omnis res fœliciter,
Aderit Deus coepitis secundus omnibus,
Et omnibus potentes præualebitis.

P H I. Summa fide quod præcipis seruabimus.

M E N. O Iob, Dei minister excelsi optime,
Me, quod potes, quod & soles, nunc respice,
Non est famem quo possim diram pellere.

Succurre tu uel siccii panis crustula.

I O. Paratus ipse sum meis cum liberis,
Iuuare egenos, & solari pauperes.

Nec de crama te summa presum inopia,

Aurum cape hoc Spudæe, & offer pauperi,
Ad nostra tum misellum deduc lumina,
Deprome poenum, & esurienti consule.

S P. Fiet. M E. Satis tu pol mandas benigniter,
Facisq; : submissas ago ipse gratias
Pro rebus his. nunc omnia optata offerat
Clemens Deus, referatq; largo fœnore.

S P. Hodie satis progressus es fœliciter.
Infarciere iam, & totus replebere
Domi. sed heus sequere intro me. M E. I, sequor.
I O. Reuolutus est quando dies iam septimus,
Et orbe transactum est suo conuiuium,
Fas est, nouis Deum placare uictimis,
Si forte quid commissum sit piaculi,
Cur nunc rei diuinæ operam dabo.
Vos rite cuncti sacro adeste muneri,
Ut auspiciemur hoc piè diluculum.

Honos Dei querendus est ante omnia.

P H I. Nil obstat, aut moræ est. namq; intus omnia
Sunt ordinata, sanctisq; apta ritibus.

SCENA III.

Philias. Spudæus.

Dum cæteri pias adornant uictimas,
Curabo ne quid ipse desim commodis
Communibus. certò statutum est ordine,
Ut per uices leto simul conuiuio
Fratres in unis congregentur ædibus.
Misi hoc negoti iam dedere cæteri,

In hunc

In hunc diem ut mecum sient de symbolis,

Id exequar. Sed quid Spudæum detinet?

Quid tamdiu in patris moratur ædibus?

Pultabo: quin male conciliate prouenis

Spudæe: desidem Spudæum nomino.

S P. Quid me uocas? P H I. Asellum, truncū, si pīlē.

S P. Cur? cum uolem perniciis more Pegasi.

P H. Immō gradum pigræ sequeris testudinis,

Quid in patris tantum es cunctatus ædibus?

S P. Tui executus sum patris negotium,

Dapibus uirum lātis refeci pauperem.

P H I. An hoc satis uidetur? S P. Arbitror quidem,

Nam præbui quæ deuoraret largiter,

Ingens faburra iam distendit uiscera.

Si uellet, hinc sex esuriret integros

Dies. P H I. Quid hoc respondes ô mastigia?

Aliud rogo. S P. Nesciebam hic te opperirier.

Quid imperas? iam iussa nulla demoror.

P H I. Fratres ad omnes transcurso est opus tibi,

Cunctas adi simus fororculas.

S P. Quid ergo dicā? P H I. Ut adsint hora prandi

Mea in domo. S P. Citius quam credas feciro.

P H I. Nihil uide excusationis accipe,

Conuiuij requirit hoc solennitas.

S P. Curabitur. Sed heus ad cœnam & me uoca,

Veniam libens, rebus relictis omnibus.

P H I. Adsis, placet. tum flagrasseto maxima,

Vt sit canes qui possit tecto expellere.

S P V. Abi

S P V. Abigam, sed haud sequar depulsos ædibus.

P H I. Videbitur nunc curre, ego intrò conferam
Me, ne paratis desim forte uictimis.

S P V. Cullenij optarem mihi talaria,
Sic cursitandum est omnibus locis mihi.¹

Nunc proximam uiam quæro, & compendium.

SCENA IIII.

Peirastes diabolus solus.

M ultis uidebitur mirum unde prodeam:

E x tartari pedem speluncis effero,

Vbi horror est grauis, stridorq; dentium.

N unc exeo mundi uisurus climata,

H umana gens intercidat quo funditus,

Q uam cladibus iuuat multis affligere.

H is ut truces turbatis inferam manus,

N unc machinas struo, nunc illas destruo,

N ecto dolos uarios, technasq; consero.

Q uam sæpe ringor, & liuore pessimo

T abesco, cum uigere orbem fœliciter

V video, Dei cum cuncta florent munera?

C um bellicos nusquam tumultus perstrepit,

F urorq; ubiq; cessat Martius,

C um terra nullis est uexata cladibus,

S ed alma uiuit pax, bona & concordia.

L achrymæ cadunt, cum nil cerno lachrymabile:

N on rideo, nisi risus ex doloribus

Nascatur, humanum quos pertulit genus.

H inc arua sæpe contero florentia,

Exuro, & his pedibus conculco gramine.
 Sed hinc dolor mihi longè fit maximus,
 Cultus Dei cum uerus omnibus locis
 Sese exerit, pietasq; summa prouenit,
 Et regna cum uigent supremi numinis,
 Quo cum mihi bellum sine pace est horridum.
 Ut huius ergo possim sceptrum frangere,
 Quiduis ago, manibus pedibusq; sedulò
 Adnitor, ut serantur falsa dogmata,
 Veram fidem obfuscent ut multa schismata.
 Dum terminos agri perlustro Hussitudis,
 Job, optimum uirum, potentem & nobilem,
 Dolore cum summo uidi, & gemitus dedi:
 Huic ut nocere possum, semper cogito.
 Quiesco nunquam, nil moror, nec dormio,
 Reuerentia tanta Deum colit suum,
 Tanta fide malis resistit omnibus:
 Fruitur suis, bene partis, optimè bonis.
 Nunc quomodo huic noceam, mecum delibero.

SCENA V.

Dominus Peirastes.

Quid murmuras tecum scelerum mille artifex?
 Quid solitudo uult? quid cogitatio? (nes.
 P. E. Nil nouum. D. O. Credo, tuum antiquum obti-
 sis Euripo licet magis mutabilis,
 Nunquam tamen uitæ mores piæ induis.
 Sed unde te nunc proripis? quid insolens
 Hic ambulas? P. E. Totius terræ climata

Peragro,

Peragro, tot emensis sed nunc regionibus
 Huc contuli pedem. D O. Sed nunquid aspicis,
Quod non iuuet: quare cogaris ringier?
 P E. Quædam placent satis, nonnulla displicant.
 D O. Quid de meo Iob seruo saltem existimas?
Quid iudicas? nonne exploratus complacet?
 Tacet, sat est hoc ipsum laudis dicere.
 P E. Non admodum laudo, quod tu uebis præconio.
 D O. Scio parem non esse ubiuis gentium,
 Tam simplici rectoq; seruit pectora,
 Sic nostri honorat & timet uim numinis,
 Tamq; execratur omne criminum genus,
 Non hunc potest liuor tuus reprehendere.
 P E. Recte sapit, mea quidem sententia,
 Qui te colit, dum tot profundis commoda,
 Auges bonis cunctis, beas honoribus.
 Sic Iob tuæ semper bonus clementiæ
 Adh. eret, haud abs re, tibiq; est deditus,
 Dum tu sereno letum uultu respicis.
 Excreuit ingens iam uiri possessio,
 Locuples, beatus, & uicinis imperat,
 Vallatus est tua & munitus dextera,
 Seruas domum, totamq; adeò substantiam:
Quicquid facit, succedit omne prospere.
 Benedicis illi semper, protegis, iuuas.
 Hoc ille certis dum rationibus putat,
 Laudat, colit, tuam promptus potentiam.
 Hypocrisis illa uana est, fukoq; illita,

Sic

I O B V S.

Sic & suum multi uenerantur Belzebud.
Extende dextram, continge brachio
Quæ posidet: cum se uidebit deserit,
Retro cadet mutatus in fortunio,
Tum plena plauftra congeret conuicij:
Faciem tuam scelestis uerbis impetet.
D O. Nil istius futurum sat certo scio.
Facias licet nunc ipse tu periculum.
Sunt in tua manu quæcunq; possidet,
Hæc tange, perde, quo libet modo:
Corpus ueto tangi, concedo cætera.
P E. Sat est datum, nil preter imperium exequar.
Certe meam satis sic mentem expluero.
D O. Cœlos petam, tu septa transfilias caue.
Aut post malum feres. P E I. Sile, & dictum putat.

A C T V S S E C V N D I.

S C E N A I.

Geta. Iobus. Certomus.

O vim, dolum, cædes, rapinam, iniuriam,
O parricidas, ô bustirapas truces,
O flagriones impios, nequam nequissimos.
Quid hoc mali? terras uastare, & terminos
Inuadere? ô quibus tantum permittitur.
Non iura, non fas, hoc impune perferunt,
Audiuit hoc in terra nemo Huſtide,
Heu, quanta nunc effugi unus pericula,
Pedibus timor pennas ueloces addidit,

Sola

Sola fuga eripui me fatis tristibus.
 Ars utilis saepe est fugam capessere.
 Sed cesso herum hoc malo impartiri properet?
 En optimè, suas ante ædes constituit.
 10. Præsaga mens quid nescio denunciat.
 Fortè immunit quædam mihi discrimina.
 Quàm fluxa nostra sit, scio, fœlicitas.
 In optimo dum res uersantur cardine,
 Timenda sunt aduersæ sortis spicula.
 Cumq; in uado sumus, rapidas timebimus
 Maris procellas, præsidium unicum est Deus.
 Auertat ille, quicquid est mali ominis,
 Ex his malis me præsens ipse liberet.
 Sed quid timens ad me & properas Geta aduenit?
 10. Te commode hic offendō, si qua commode
 Narrantur unquam cuiuis infortunia.
 Quid parturis? tribus rem uerbis expedi,
 Subindicauit hoc diu mens tristior.
 10. Dum pascimus pratis asellos floridis,
 Boum iugis dum terram scindimus,
 Subito impetu truculentus hostis irruit.
 Sabaea gens, quæ possidet confinia,
 Iumenta abegit, omnes ferro sustulit
 Quotquot fuere serui, & subditi tibi,
 Vix impiorum tela effugi, nuncius
 Ne tot malis deesset unicus.
 10. Iniqua narras, & cædem miserabilem.
 Iam pertimesco, defunctum ne sit modo hoc.

O inco-

C E. O incolæ, terræq; Hussitis accolæ,

Ciues, coloni, omnes succurrite,

Vim ui, quod æquitas sinit, propellite.

Nemo uenit, nil usquam cerno præfidi.

Herum petam, ut resciscat hæc incommoda.

I O. Num Certomum uides turba incedere?

Properat, graui concussus est formidine.

C E. Video, reuocemus, ad sinistrū tēdit tramitem.

I O. Malum feret certè. C E. Te quærerit. I O. Heu mihi.

C E. Sta Certome, heus sta, quem uis: en herū tibi.

I O. Ah uerba Certomi uereor duriſſima.

C E. Factum nefandum & prorsus ſæuum perfero,

Chaldaea gens, regione uiuens proxima,

Trepidos tuos tribus ſeruos cohortibus,

Aggressa, ui camelos omnes abſtulit.

Cuſtodiibus cæſis abierte libere:

Seruauit inſocilicem me ſors unicum.

Vt unus eſſet tantæ cladis nuncius.

I O. Non illa de nihilo ſciui præſagia

Terrere mentem, neſcio an diuinitus

Profecta ſint, fuere signa tot malis.

I am neſcio, quam facti cauſam excogitem,

Quæ reſ meos in me excitarit accolas,

Vt impetant me neſcientem hostiliter.

Non hiſ fui, quod nouerim, unquam iniurius:

Non intuli, ſed ſæpe damna depuli.

Reſertur illa pro meritis nunc gratia.

Miror nimis: ſed hoc uerum eſt diuerbij,

Malum ex mala saepe aduenit uicinid.

SCENA II.

Distychus nuncius. **G**eta.
Certomus. **I**obus.

Quid nunc agam? quo me uertam miserrimus?
Vbi sum? unde ueni? quo ruo? quid molior?
Nam flamma conspectum eripuit, cæcilio,
Lolio ac diu si uictitassem noxio:
Video minus talpa, quæ terram suffodit,
Plus aspicit syphar, quod exuit draco.
Opertus atra uultus est caligine,
Circumuolat sulphur fumusq; tempora,
Rebar crematum Olympi uerticem,
Phætonis illa credidisse secula,
Sic igne cuncta perfulgebant fulminis.
Horresco totus, pertimesco fulgura.

C E. En Distichum huc here aduentantem respice.

C E. Satis' ne sanum credis istum Distichum?

C E. Furore motus est, aut œstro percitus.

C E. Ceritus est, mentis' ue laesus crimine.

I O. Dubio procul noui quid afferet,

His ultimam adjicet cladem malis.

Nanq; hoc die, quicunq; sc obtulerit mihi,

Aduersa nunciabit, haud aliter puto.

C E. Huc Distyche adsis, huc te confer Distyche.

D I. Quis me uocat? sonum clamantis audio.

C E. Nonne hic uides herum? nō aspicis nos bellua?

D I. Non uiderā, nec iam video satis. **I O.** Quid est?

Ad

Ad te redi. quid uult metus? quid consternatio?
 D I. Nemo puto, pauoris & formidinis
 Percepit unquam tantum, atq; hoc die
 Vidi miser. i o. Minima attigit te portio,
 Ad meredit malum, in me faba cuditur,
 Ego impetor. sed missis omnem ambagibus
 Rem pande. D I. Q uam potero dicam breuiſime.
 Compulsus umbra sub uiridi bidentium
 Grex cum iaceret omnis herbas ruminans,
 Subitis micat cœlum rutilum fragoribus,
 Elisus ignis ex concussis nubibus
 Cum turbine in subiectas terras decidit,
 Globi uoracis flammæ desuper ruunt,
 Consumit apprehensos græges incendium,
 Pereunt simul iactis custodes ignibus,
 Elapsus ægrè, ad te domine optime
 Curriculo percurri, ut esſes horum certior.
 i o. Deus bone, ac Pater, queis tandem erit modus?
 Furor tuus ratione qua ſedabitur?
 Abite uos, ego hic morabor paululum,
 Dic am preces Deo, pōst expiabo uictimis
 Totam domum, natos, omnem & familiam.
 D I. Vah, numina inuocare adhuc placet?
 Sapientiorem te putabam redditum.
 Adhuc' ne desipis? nam quid iuuat Deus?

S C E N A III.

Spudæus. Jobus.

N Vnc illud eſt, quod ſi omnia omnes conferant

cc 2 Solatia

Solatia et monitus, suasus, sententias,
Atq; huic malo salutem quærant, nil ferant
Opis, quod obtigit modo huic familiæ.
Iniqua fors heri me totum concutit:
Et rem redisse in hunc locum, crucior nimis,
Ut his herus nequeat malis emergere,
Eius uices dolore summo conqueror.
Et non secus perculso affligor pectore,
Quàm si caput meum uitamq; hæc perderent.
Sic hunc apud dum uixi, pene à paruulo
Clemens fuit, tum iusta seruitus mihi.
Qui, si malum miser tantum rescuerit,
Animo feret satis cognosco ægerrimo.
Nil' ne esse proprium cuiquam mortalium?
Fortuna nulli quare perpetuò bona es?
Qui tot Dei modo timentes liberos
Eduxerat, summo latus cum gaudio,
Virtute quauis proles præditas:
Idcirco uicini uno ore omnes omnia
Bona dicere, laudare fortunam uiri:
Nunc orbus est repente factus fato acerrimo.
Sed nunc opus quid facto sit, delibero.
Ah consili nihil consistit pectore,
Trepidō eloquar ne statim aut actum differam!
Omnes enim quibus res ægra contigit,
Obiectus aut labos alicunde est maximus,
Hoc omne temporis lucrum eſe ducimus,
Malum priusquam seu damnum intelleximus.

Tacebo?

Tacebo: non uidetur hoc tam commodum.

Dicam, cito malum perumcet cognitum.

Nam summa inest hero meo constantia:

Non ille diuino pugnabit numini.

10. Spudæus aduenit, seruus mihi fidissimus,

Stupens dolore, & iratus, uidelicet

Audiuit hæc mea damna, hoc illi nunc dolet,

Frugi, nec ut seruorum est captus maximus,

Qui negligenter administrant omnia.

Vocabo, ut ipse quid loquatur, audiam.

Spudæe. s p. quis me uocat? tum hic aderas here?

10. Adsum, quid est: quid pallor & trepidatio

Tua arguunt? s p. Heu nobis, occidimus simul.

10. Mentē resume. s p. prorsus. 10. quid tandem sibi

Vult prorsus? s p. Interimus. 10. Mitte lachrymas,

Ni fallor, omne iam percepi incommodum.

s p. Ignoro quid scias tu, sed nouum adfero.

10. Dic ergo. s p. Dicam, tu mœrorem contine,

Bonitate fretus cœlica à luctu abstine.

Iuncti fuere in unis ædibus tui

Gnati, celebrantes pium conuiuum,

Honore cum Dei libabant pocula,

Boreas repente surgens in domum irruit,

Violentus, à septem spirans Trionibus,

Et quatuor domus concusſit angulos,

Quæ maximo statim fragore concidit,

Oppressit hæc tuos ruina liberos.

Solus fucurus index ipse liberor,

Inauspicata te uox ut percelleret.

I o. Retine cadentem, prorsus interij miser.

Ah sustine. s p. Subeo libens, sed hoc here

Te non decet, tuum resume spiritum.

SCENA IIII.

Iobus solus.

Quid hoc, malum, infelicitatis est nouæ?
Nequeo modum aut finem certum decernere,
Repente tot nunc irruere incommoda,
Discrucior omnibus modis miserrimus,
Incommodi hoc mihi ex improviso obiici
Tantum, ut quid ipse agam incertum siet mihi.
Concuſa membra sunt noua formidine,
Et pectus obstupescit his horroribus.

Natum malis ferundis eſſe ſuſpicor
Me maximè, lunæ ſub quartæ lumine.
Namq; inuenire exordium ſat commodum
Rerum mearum uix ego ſum potis miser.
Heu quam trahunt curæ diuersæ animum meum?
Luculentia nil mouet mentem poſſeſſio,
Qua decidi, bonis amiſſis omnibus:
Sed liberos mihi, chariora pignora,
Nunc lugeo, ereptos fatis tam tristibus.
Horum neces mortis uicinæ commonent
Et me ſepulchro qui meo ſum proximus.
Nam frondibus cadunt delapsisq; arbores.
Fortuna blanda nuper, nunc аſperrima,
Tantas in unum & tot res contulit diem,

I O B V S.

71

Vt porro iam haud mihi sit suave uiuere:
Nil morte rebus in malis optatius.
Sed nudus è materno uentre prodiij,
Cum uagiens terras subirem maximas.
Inops ut huc proueni primo è carcere,
Sic fata terram nunc iubent relinqueret:
Decreuit hoc uoluntas alma numinis,
Nutu hæc patris cuncta euenero cœlici.
Sit laus Deo, sit huic honos & gloria.
Dominus dedit, cum uellet, & nunc abstulit,
Id iure pro suo facit regaliter.
Vt sphongiam replet quicunq; humoribus,
Bibulas liquore multo extendit cellulas,
Mox arcuus dextris contractis exprimit:
Sic dat Deus cum uult, & concessa eripit.
Placet mihi, Deo quodcunq; complacet.
Mens æqua condimentum longe est optimum.
Dabit uiam tot in periculis Deus.

A C T V S T E R T I I ,

S C E N A I .

Peirastes solus.

N on me fecellit omen, horrida Stygis
Palude cum ferus ipse emergerem, solum
Vagarer ut per omne, cernerem,
Quid antè nostri nuncijs confecerint.
Hi multa per se sat gesserunt gnauiter,
Attenciores sed Domini facit præsentia.

cc 4

Vidi

Vidi chaoſ immenſum criminum omnium,
 Placuere nobis illa ualde, & in ſinum
 Intemperatum mox effudi gaudium.
 Sed hoc mihi dolere fecit lumina,
 Quod unus eſſet, noſtras fortis machinas
 Qui ſpernat, ipſe Job, gerens cor ferreum.
 Ut dura cautes, nullis iecta fluctibus
 Labascit, & quoris quæ infringit impetus:
 Sic ille magnis prorsus uinci cladibus
 Nequiuit, excelſo ſed corde reſtitit.
 Nouis eundem tento dolis inuadere,
 His nunc baliftis ipſo eductis tartaro
 Dabit manus, catapulta robur atteret.
 Conueni eum pridem, qui ſeruat æthera
 Manu potenti, & concutit fragoribus,
 Qui ſede me quondam detruſit cœlica.
 Fidem ſui tum ſerui euexit laudibus,
 Quod casibus nullis Job mouerier
 Queat, Dei cultum quo ſummi deſerat:
 Num cernis, inquit, damni cuiuſuis artifex?
 Satis'ne mens perspecta conſtat & fides
 Mei, quem honore ſummo dignum iudico,
 Job: nunquid eſt quod poſſis iure carperes
 Periere cuncta, quæ tenebat plurima,
 Chariffimis ad hoc priuatus liberis,
 Omni Dei cultu quæ inſtruxit pignora.
 Nihil mœrentem tale poenis grandibus
 Affixi, in hoc pater malorum peſſime

Tu nostra pectora urges importunius.
 Iam lucide uides quod nullum pectori
 Sub sit scelus, sed usq; perstet innocens.
 Hui, quid tot effers, inquam tum, præconijs?
 Non sic monet tempus, triumphum concinis
 Adhuc nimis cum incerta sit uictoria.
 Hæc pertulit quæcunq; sunt leuissima.
 Pro pelle quisquis pelle dat libens,
 Et cuncta nil curat redempto corpore.
 Hic conniuere tu, uultumq; auertere
 Si uis, meæ & uirum plagæ committere,
 Iam senties blasphemæ uerba, & iurgia,
 Non abstinebit dictis tum procacibus.
 Vix credidi hoc sperandum, sed tamen annuit,
 Quo totus axis cœli nutu contremit.
 Licentiæ nactus tantum, nil differam:
 Sed quicquid Orcus dat mali, iam colligam:
 Omnes precor mi subuenite Erinnydes,
 Ne sit labor mihi sumendus irritus.
 Nunc adsit omne morborum genus cito,
 Heus agminatim pestes huc concurrite.
 Sed est nouum quiddam repertum consili,
 Idem probatum uix mihi, nunc respuo.
 Hac mantica gero, penula & sub sordida,
 Prioribus luem non uisam seculis,
 Hac corpus attingam, efficiamq; luridum,
 Ut posteri sciant & hoc mirabile.
 Iam cesso uerbasolus mecum fundere,

Et nunc eo, breui facturus tempore,
 Ut orbe toto Iob miser compareat.
 Adsit, nouum si cui placet spectaculum.
 Transacta, facta sunt, quæ constitui omnia,
 Propino deridendum Iobum hunc omnibus,
 Ex fimo ei iam concinnabo lectulum.

SCENA II.

Iobus solus.

Facillime uerba inueniunt miseri quidem:
 Deesse dicta non solent dolentibus:
 Meum dolorem tanta copia impedit,
 Ut hanc querendi telam haud possim ordirier.
 Sic comparatum est certa lege numinis,
 Sic fata cunctis dura dant mortalibus,
 Ut una plures attrahat semper calamitas.
 Nil restat omnibus nobis ex copijs,
 Amplissimas quas antea posse diimus.
 Ruina natos abstulit dulcissimos,
 Iam parte priuatus sum plus media mei.
 Tum labo foeda corpus nostrum tangitur,
 Et putrefacta rodunt artus ulceræ.
 Iam membra languent, ægrum cor exæstuat,
 Græssatur undiq; & sequit dirus dolor.
 Nec ire, nec satis queo consistere.
 Tædet domus lapsæ uidere culmina,
 Iubar placet solis spectare fulgidum.
 Hinc more tardæ prorepo testudinis,
 Innitor ægrè & huic incumbo stipiti,

Heu purulenta quam me torquent ulcera,
 Sanicem uirat testis & lignis scalpere,
 Ab infima pedum quæ serpsit plantula,
 Capuis supremum contigi iam uerticem.
 Foetor grauis leuem corruptit aera.
 Si possem, abesse corpori meo, uelut,
 Sic ipse mira suffocor memphitide.
Quid occupabo nunc uicina compita?
 Ligno morabor transentes crepero?
 In hec magis prouoluar alta stercora,
 His delitescam, inq; his extinguar sordidus.

SCENA III.

Dina uxor. Iobus. Peirastes.

SEmpre mihi mens tam fuit despectu
 Simplex Iob mei mariti, & candida,
Quim spreta sunt que cunq; sunt uanissima.
 P E. Nunc gaudeo, geminantur ægri uulnera.
 Poena mea ludum iocumq; dixeris,
 Huius præ ut rabies que nunc dabit, malum
 Genus, uiris que mœstis gaudent fœminæ.
 D I. Iactabat ille, uix agnosco, quem Deum,
 Huic fidere uni credidit tutissimum:
 Pietatis hoc insigne iam fert præmium.
 P E. Mulier mulier mala herba, mala uerba,
 Mala uerbra. Puff puff puff sie.
 D I. Salue marite, salue, quid nunc mussitas?
 Quid inter stercora, tu stercore deformior?
 Probitatis ampla conspicis iam munera.

Sis integer, sis omni simplex tempore,
Deo tuo dignas referto gratias.

10. Ades parata me tristem laceffere?

Quod hoc genus uestrum? quæ coniuratio?

Vt foeminae studeant pari sententia,

Eademq; nolint. declinata uix erit

Aliarum ab ingenio ulla, si perspexeris,

Aequè uiris aduersæ ut sint omnes student,

Consentient in hoc tam pertinaciter.

Doctas eodem in ludo cunctas arbitror.

Ei q; ludo, si ullus est, certo scio,

Te posse non male & magistram præfici.

D I. Lepidus maritus, euge quam lepidè hoc refert.

An uera nondum me nouisse intelligis,

Nunc laudibus Deo dictis extinguere,

Et foetidus lacum subito Cocyti.

Quid nunc taces? 10. Quim tu obmutescis bestia,

Iam foeminarum modo gannis improba,

Quæ maximas magno conatu proferunt

Nugas. loqui genus uestrum prudentia

Quis uidit unquam uerba? Quim te proripis?

Obtundit ista inepta me loquacitas.

In rebus aduersatrix omnibus mihi es.

Te talibus semper moratam moribus

Noui satis, miserum irridere desine:

Si negligis me, summum patrem respice.

D I. Omnes uiri quod si sapiunt pari modo,

Muliercula esse malo salua & stultula,

Quam

I O B V S.

vii

Quām sapere tam grandia, & sic angier.
 Mūpīx nos securiores efficit,
 Et in nihil sciendo est uita suauior.
 Sed cur Dei non præsidium inuocas?
 Non deseret te nunc tanta cultus reuerentia.
 10. Non abstines uxor dictis tam perditis?
 Quid ore criminis tuo nunc excidit?
 Omitto cætera, at Deum ne uerbis irrites,
 Sed nominis tanti caue ludibria.
 D 1. Sunt uera quæ loquor, ioci subest nihil.
 10. Infanda iactas numini conuicia,
 Cuius sub umbra conquiescam perpetim.
 Aequo feram dederit quæcunq; pectore.
 Non ringar impiè, si cuncta ademerit.
 Hoc dante, fortunam bonam suscepimus,
 Cur sit molestum nunc aduersa perpeti?
 D 1. Facile hic mali plus est, atq; illic utilis.
 10. Immensa de quo sunt profecta commoda,
 Incommoda illius perferre condecet.
 Hæc in bonum reducit idem qui dedit.
 Et fluctibus qui iam minatur horridis,
 Solem remittet, tuto ut portu nauigem.
 Hæc firma restat spes, & est sacra anchora.
 O præbeat saltēm uires, & suppleat
 Quod corpori deest uirtute spiritus,
 Tolerare cuncta quo prompte queam.
 Apagesis ergo, nec mentem ægram concita.
 D 1. Philosopheris mira desidens humi,

Scabiosus,

Scabiosus, immundus, cadauer sordidum.

Abeo, pietate tu cum sancta nunc uale.

Sed hoc flabello iam tibi fac uentulum,

Ne te suis muscæ corrodat spiculis.

10. O luctus, ô dolor, lues teterrima,

Morti propinqua iam iam claudio lumina.

Nunc iusta qui uolet mihi funebria

Parare, tempus exequias hoc postulat.

SCENA IIII.

Eliphas. Baldad. Sophar.

Spudæus.

D Eus supreme, uindex omnium pater,

Vix hoc satis possum mirari;

Tantis repente lob fortunis excidit?

Exutus omnibus bonis, leberide

Est nudior? s p. Prorsus. Heu uera sunt nimis,

Grauiora multo, quæ coram uidebitis.

E L. Tot filijs, thesauri quos habuit loco,

Priuatus? Hem tum tactus ipse corpore?

S P. Sic est uir optime, heu grauis Dei sententia.

E L. Papæ, Dei quam facta sunt abscondita

Mortalibus, hoc uno nemo iustior,

Nemo pius magis, postremò ditionis,

Plagas tenebat has auroræ subditas.

B A. Reclie facis mea ex sententia Eliphæ,

Quod nos iubes amicum nostrum uisere,

Qui cum uetus nobis manet necessitas.

Nam cui foret dum fœlix, usq; adhæsimus,

Hunc linquere infelicem non decet bonos.

Dubijs amor rebus uerus discernitur.

s o. Dixti satis Baldad benignè & candidè,

Hac motus ipse sum diu sententia,

Iter paraui cum uobis hoc ingredi.

s p. Præstatis integri munus bonum uiri,

Vestram fidem sic exploratam censuit

Herus, fauor donec diuinus adfuit.

s o. Malim uidere Iobum lœtum & sospitem.

z l. Iucundum id omnibus, gratumq; ipsi foret.

Sed heu mihi, procul quid monstri conficors?

Laruam locis puto progreßam Acherontijs,

Quod ambulantes paſſim ſpectrum territat.

s o. Quid est? quid hic ſtupes? forte affpicis parū.

z l. Huc quæſo uultus omnes unà uertite

Ad hunc locum, quo ſunt ædes quondam ſitæ

Iob, uidebitis quod dico, ſat ſcio.

s a. Quin imus, aut uolamus omnino magis,

Deſorme uifuri monſtrum, haud ſpectaculum.

Nam tramite hoc, quo tendimus, deducimur.

s p. Misero mihi præſagit mens multum mali,

Apollinis quod eſt reſponſo certius.

s a. Quid auguraris? quid refers oraculi?

s p. Iobus ille eſt, quem procul conſpeximus.

Humi ſupinus decumbit, ſe iactans,

Hinc inde ſe uoluens, animamq; nunc agit.

Res excutit mihi & nolenti lachrymas,

Ipſe eſt, nil reſtat iam ſcrupuli.

Adegnus

E L. Adeamus ergo nunc. ô summe Iuppiter,
O Iob amice, qualem te nunc cernimus?

S O. Heu quantum ab illo nunc mutatus undiq;
Qui præfuit terris his fœlicissimus?

B A. Metamorphosis stupenda cunctis posteris.
Sed nenijs diem totum consumere

Quid attinet? nam uerba proferuntur irrita.
Agimus nihil, surdo cantatur fabula.

E L. Calamitas ingens cor ictu díssecat
Duro meum, pungunt me fata tristia,
Miseret malorum consternato pectore.

S O. Non audit ulla, nec quit uerba reddere,
Cunctis dolor grauis priuauit sensibus.

Vox heret, & uerba impedit nimius dolor.

E L. Nunc hoc opus factò arbitror pro tempore,
In ædibus quo colloceitur intimis,
Recreandus umbra, cura, & gratis pharmacis,
Donec resumat mentem, & spiritum hauriat.

Ito gradu, Spudæe, præcellerrimo,
Oneri gerendo nos iuncti subibimus,
Ne solis æstu summo flagrent ulcera.

S O. Suades probè, accingor. B A. Nitar pro uiribus.

SCENA V.

Peirastes solus.

E Cquis manus meæ nescit potentiam,
Consideret meis tinctum coloribus
Iobum, & huius cladem secum suppurret,
Saniem, dolorem, pus, plagar, & ulcera,

TANUM

Tantum manus possunt hæ, sic mihi
 Soleo beare deditos, sic excolo.
 Sed iam locum quieti uel socordiæ
 Non esse cognosco, urgebo, non desinam.
 Minimo impetrato consequuntur plurima,
 Vterq; nostrum sic defatigabitur,
 Ego inferendo, & ille sufferendo incommoda,
 Tres aduenas noua adduxi fallacia,
 Ut impijs ægrum Iob uerbis irritent,
 Et concitent iram supremi numinis.
 Omnis labor mihi succedit optimè,
 Arridet hoc inuentum, & ualde complacet.
 Nunc hinc agam me, dicta quamprimum parans.

A C T V S Q V A R T I,

S C E N A . I.

Eliphas. Iobus. Baldad.
 Sophar. Peirastes.

Tantum, quis, oro unquam doloris comperit?
 Quis uidit unum tot ærumnis obrui?
 Iam septimus refulsi orbe lucifer,
 Et septies nocturna phœbe prodijt,
 Cum mortui modo iacet Iob perditus,
 Immunda humo procumbit instar caudicis,
 Vix septimo tandem ad se redijt die,
 Ut qui sopore longo excitus aduenit,
 Nondum satis compōs, aut mentis est potens.

ff Sed ecce

Sed ecce, lento uix gradus se promouens,
 Prodit, sequuntur claudicantem cæteri.
I o. Quæ prima lux me pusionem protulit
 Pereat, grauem mutetur in caliginem,
 Nec cœlico illustris cernatur lumine:
 Nec fulgeant illa sub nocte sidera,
 Qua parvulum mater sub auras edidit.
 Cur sum datus cælo & mundo miserrimus?
 Cur hunc diem uidi? cur non magis
 Intercidi materno clausus carcere?
 Cur nutrimentum præbuerunt ubera?
 Frueret quiete iam diu dulcissima,
 Nec scirer, ut cui nunquam nasci contigit.
 Quam mors iniquis cuncta tractat legibus,
 Miserè petunt multi, his uenit tardissime,
 Aetatis at qui flore gaudent integro,
 Fœliciter quibus succedunt omnia,
 Horum truci statim spem falce demetit:
 Cur rumpere hanc mihi uitam minus licet?
 Ah quid potestas exeundi non datur?
E L. Non sum potis, uoces ut ultra comprimam,
 Hæc mente, quæ loquor, benigna suscipe.
 Quam recta semper consilia ægrotis damus,
 Cum nos ualemus, hoc tecum reputa obsecro;
 Fueris quod omnibus suasor mirabilis.
 Laßas tuo mentes firmasti robore,
 Lapsantibus succurens, ut resurgerent.
 Subito plagis tute ipse tactus defecis,

Qui

Quo nunc recessit in uila hæc patientia?

Io. Si tu loco fores meo, tum sentias.

Eli. Memento nunc, quod à te dictum est saepius,

Nemo perit bonus, seruatur innocens,

Quis uidit ulla iustum parte linquier?

Parata sunt malis & supplicia impijs,

Ira Dei scœlesta turba absimitur.

Leonis ergo rugientis guttura

Contrita sunt, catuli periere pessimi.

Io. Oh Eliphaz, incusas miserum atq; innoxium;

Eli. Nemo Dei ante uultum iustus enitet.

Io. Scio. **E**li. Nulq; nostra puritas ualeat,

Cum spiritus ipsi, Deo qui seruiunt,

Adiunq; crebro, tantum non sibi arrogant.

Quinto magis gens sordida est mortalium,

Domibus luto quæ structis ætatem exigit?

Io. Hec uita cladium Charybdis omnium est.

Eli. Causa caret nil certa, obeundis naſcimur

Laboribus, pennæ ſicut uolucribus

Adduntur, aera ut per ſpissum remigent.

Sed à Deo moueri, & affici plagis

Quam ſit bonum, uix uerbis poſſum conſequi.

Beatus ille, quem Deus ſic corripit.

Hic percutit, manuq; sanat cœlica,

Infligit, & fouet medelis uulnera.

Te liberabit hic, malisq; ſubtrahet.

Nunc mente, quæ dixi, intima recondito.

Io. O ſi bilance ponerentur pendua

Mea crimina, & qua nunc premor calamitas,
 Euinceret culpam sic poena maxima,
 Ut hunc harenæ ponti excedunt puluerem.
 Ergo sonat dolorem nostra oratio,
 Hinc ciulatu & planctibus sic perstrepit.
 Non uiribus tantis robustis polleo,
 Ut corpus has ferat procellas debite.
 Non haec caro nodis compacta est ænis,
 Adamanta nec durum gero sub pectori.
 Deseruere me, quos fidos credidi,
 Sum destitutus omnibus miser solatijs.
 At gaudeo tamen uestra præsentia,
 Vos me pijs docete nunc sermonibus,
 Non iurgia expeto, cedat procul contentio.
 Audite si libet me differentem paucula,
 Tum iudicare de uerbis uos conuenit,
 Fortasse non inepta, recta certe dixero.
 Quodcunq; nobis uiuitur mortalibus,
 Est militare, ni fallor negotium.
 Ut signa tyro qui sectatur Martia,
 Semper timet certæ necis pericula:
 Sic mille homo extimescit hic discrimina.
 Ut seruus intentus suis laboribus,
 Mercede conductus desudat strenue,
 Sic cum dolore mihi extrahuntur tempora,
 Gemitu dies noctesq; personant crebro,
 Exaruit cutis, corpus putredine
 Contabuit, membris lues cunctis lateat.

Vita euolauit heu notho uelocior.
 Nec tempora hæc uentura possum credere,
 Secunda sors lætos huc ut referat pedes,
 Spes nulla uitæ restat aut boni mibi.
 O parce tandem, dira tolle uerbera,
 Genitor supreme, seruum redde perditum:
 Ni subtrahis flagella, est actum funditus,
 Corpus diutius nequit consistere.

B A. Non desines loqui te uerba non decentia?
 Nihil Deus clemens benignè iudicat,
 Opem rogantibus non denegat suam.
 Si forte pœnam hanc commeruere filij,
 Exaudiet tamen, preces nec respuet.
 Reuolute prisca exempla tecum, si libet:
 Intelliges, hanc esse numinis clementiam.

I O. Perspecta sunt mihi, quæ dicens, omnia,
 Et miror immensam Dei potentiam.
 Sed quid dolore suggestente effutio?
 Miser tremo, pauore summo territus,
 Non expedire linguam nunc stupidam queo.
 Quid, mi Deus, tibi me gaudio est affligere?
 Manus tuæ minimum cur plasma conteris?
 Cur tantus imminet malorum exercitus?
 Vitæ diu meæ dum cursum examino,
 Vijs malorum semper absui longissime.
 Sum conscius mihi nullius criminis.
 Cesset furor tuus, rediq; mitior.

80. Tandem, loquax, præstas silentium, precor,

Dum uerba tu iactas, & multa congeris,
 Non possumus iam nos uerum discernere.
 Vitæ refers tuæ laudes innoxiae,
 Si uerba rectius Dei consideres
 Satis uideres te leuiora perpeti,
 Quam summa iamdudum meruere crimina.
 Celata nemo comprehendit uestigia
 Dei, pedes illius uanum est persequi.
 Nil sic ages, si pergis contradicere:
 Saluaberis, si pœnitere cœperis.
 Peccata tolle, iam resurges fortiter.
 Oriere primùm ut clarus fulget bosphorus
 Cum te putabit inuidus disperditum.
 P. E. Belli senes loquuntur omnia, ut uolo:
 Hui, magna inest sapientia his silicernijs.
 Inspiro multa & insusurro clanculum,
 Quæ proferunt temere, inconsulti effutiunt,
 Hic effero meam nimis uersutiam,
 Contra Deum quoniam loquuntur omnia.
 Sic pergit, in recto manete tramite

SCENA. II.

Jobus. Eliphias. Baldad. Sophai
 Peirastes.

Non sola uos penes latet sapientia,
 Inuidia nostris absit sermonibus.
 Nec me patris summi fugiunt mysteria,
 Non cedo uobis ulla in re, aut patientia,
 Quis nescit illius tantam potentiam?

Sed u

Sed uos magis quām stulta uerba dicitis,
 Ineptias uestras sermone proditis,
 Cur uos precor personam suscipitis Dei?
 Non ille uestris indiget mendatijs.
 Feram libens manibus me illius confici,
 Dependeo ex illius semper gratia,
 Iniquitate me uidebit liberum,
 Si iudicis me totum more expenderit.
 Cur non tribunal sistor ad tuum?
 Cur non loqui tecum mihi conceditur?
Quid me caducis molliorem frondibus,
 Stipulam quid aridam sic deprimis malo?
 Heu quām citō mortali natus semine
 Cadit, perit, fugiens ut umbra præterit
 Ut concidunt agitante uento flosculi,
 Vix una uiuit nobis diecula.
 Recisa ligna cur semper repullulant?
 Resurgit arbor, efflorescit plantula?
 Homo quid est? semel qui concidit,
 Iacet sopore iugi, et umbris clauditur,
 Dum uiuit, angitur crebris doloribus,
 Operi tuo manus Rex alme porrige.
 E. l. Heus arroganter, ut tuam sapientiam.
 Iactas amice? et quām superba detonas?
 Non primus es tu conditus mortalium,
 Secreta nec tu perspexisti numinis,
 Par teneris et quo nos malo.
Nemo Dei in conspectu est integer satis,

ff 4 Nec purus

Nec purus est (ut de te tute prædicas)
 Viuentium quisquam. sic stat sententia:
 Superbit impius, tumetq; perpetim,
 Sed cum sua breui perit tyrannide.
 I o. Occalluere his aures iam sermonibus,
 Videor mihi non consolarier, magis
 Desertus, atq; desolatus maxime.
 Facile est ualentes uos me obtundere,
 Cum iam premar dolore, & excrucier nimis,
 Deus meus graui furore percitus,
 Effudit iræ habenas in me desuper,
 Hostilibus laniandum dextris præbuit.
 Hem quo redactus sum loci? me deserunt,
 Fugiunt amici, insultat hostis acriter.
 Tumescit os fletu, caligant palpebrae,
 Hæc innocens & citra noxam perfero.
 Namq; ad Deum preces fudi iustissimas.
 Ut umbra abit, sic euanesco futile:
 Ineo uiam, redire qua nulli datur,
 Solum sepulchrum restat, & summus dies.
 Tenuis meat conclusa fauce spiritus,
 Stygium miser lacum subibo protinus.
 Si forte contingat fesso quies ibi.
 B A. Interempta quid loquacitate garrule
 Lacefisis, & perstringis ore lubrico?
 Non terra te propter uacua esse cœperit,
 De sede nec rupes recident suæ.
 Nunquid Deus malos terret formidine?

Inuadit

Inuadit horror illos, angor conficit.

10. Heu pectus ægrum cur affligitis?

Incubritis, quo me perdatis perditum.

Meritum luo poenas præter meum.

Planctus gementis nullus accipit.

Sed una me tenebris, et fouet nimis:

Viget meus Redemptor omni seculo,

Surgam die è terra nouissimo,

Huc carne, pelle et hac circumdatus,

Videbo iudicem, non hæc spes irrita est.

10. Ultro citroq; cum dicta efferantur plurima,

Mea sic ratio est, et sic animum induco meum,

Non impij stat laus, decus ue permanet,

Non hypocritæ uana constat gloria;

Cumq; extulit nubes sub ipsas uerticem,

Vt fumus euanscit, uel bulla imbrium.

10. Immò bonus florent mali successibus.

Hominem decet, iuuatq; humana proloqui.

Cur subleuantur impij? augentur bonis?

Cur filij uiuunt: gaudent nepotuli?

Secura tecta sunt: carent formidine,

Citharæ sonant, strepunt acuta tympana.

Quid nota lippis profero et tonsoribus?

Diu quæ sunt, non semper permanent tamen.

Seruantur et uiuunt, dum perditio ingruit,

Grauiore tum multo ruunt periculo,

Sparguntur à terra ut paleæ leues.

Sed accident mihi haud merenti talia

Incommoda, ut quid sit consultum nesciam.

P E I R A S T E S interloquitur.

Homines uidete cuncti,

Pius atq; iustus ille

Pereat dolore quanto,

Ope nec iuuetur ulla.

Quis uellet eſe iustus,

Dominum nimis uereri,

Miseras pati querelas,

Cruciatus ferre tantos?

E L I. Laterem lauas, si te peccasse denegas,

Si te putas innoxium coram Deo.

Sed poenitens delicti, ad te reuertere,

Vt lumen æterni patris resulgeat,

Vitam timore sic absq; omni transiges.

I O. Amara cor rursus sentiscit uulnera,

Dum iudicem nimis potentem comparo,

Timeo miser quid proferat sententia,

Vitæ licet bonæ sim conscius mihi.

Hominum quid eloquar nunc mille crimina?

Cædes, rapini, uis, dolus atq; iniuria,

Dominantur orbe toto, & omnibus locis,

Cunctis sed his ego rebus semper abfui.

B A. Sordet coram Deo mortalis quilibet,

Ingens scatet uitiorum lerna & criminum.

Non luna fulgens emicat, nec sidera,

Ad huius aſpeſtum cuncta in tenebris latent.

I O. Non haec nego, quid attinet probare talia?

Aliud

Aliud nihil possum quam conqueri miser.
 Iam disputare plura non sinit dolor.
 Nam quis dabit fortunam elapsi temporis?
 Cum tutus ambularem praesidio Dei,
 Secunda fecit ille cuncta, & prospera,
 Nomen, decus, uoluptas cum leporibus,
 Quies, honos tranquilla mens, securitas.
 Tunc ad fuere: asylum tum miseris fui,
 Tum blanda pauperi dabam solatia.
 Nunc rideor, contemnor, impetrator iocis.
 Nuper canes qui inter meos cupiere pascier,
 Petulanter insultant, habent despectui.
 Infamis eheu, ignavi uulgi fabula
 Sum factus, execratur omnes, conspuunt,
 Sed cur amicum uertis lumen ô Deus?
 Cur te uocantem corde ex infimo iam negligis?
 An non tuarum amore legum feruui?
 Cogitationibus mens foedis libera,
 Seruata semper est, manusq; innoxia?
 Te præter addicctus deorum nemini,
 Colui tuum tremore numen maximo?
 Mœchus thororum alterius non pollui,
 Nec præter æquum fraude pellexi orphano?
 Sitale quid patraui, haud poenam deprecor..
 E L I. Nimis places tibi, cupis uiderier
 Mundatus, integer, rectus, pius, bonus.
 Iam pluribus tecum pertædet colloqui:
 Abimus, heus tu, quære qui respondeat.

S C N E A III.

Heliu rhetor. Eliphias. Sophar.
Baldad. Iobus. Peirastes.

Vah qui senes deliri tantum blaterant,
Nunc hæsitant, ac auribus lupum tenent,

Dubij, quid ægrè affecto Iob respondeant.

Non barba, non etas parit prudentiam,

Sed illa contingit, cuicunq; dat Deus.

Ephebus, aut puer quandoq; rectius

Quid administrat, ac silicernij senes.

Heus quo senes diuersum tenditis uiri?

E. Quis nos uocat? s o. Quid uult nō uifus antea?

H e. Ferè omnia hic quæ disputastis inuicem,

Hinc stans procul percepi, & multa displicant.

Adeste paucis, rem perplexam transfigam,

Nam uestra me sic commouere iurgia.

B A. Si plus uides ac nos, mone, tacebimus.

P E. Si cui uacat uento sum audire rhetorem,

Nunc præbeat longis aures ambagibus:

Distantus est nam uerbis sesquipedalibus.

Moreretur, haec si uerba non erumperent.

H e. Repetita primū crambe, ô Iob, quam penè me
Occidit, hoc toties cum prauè iactitas.

Te criminum cunctis carere sordibus,

Hinc cum Deo miris modis expostulas,

Ratione ut æqua redditæ te iudicet.

Sic te tuo mucrone possum uincere,

Nam nemo iustus sic almo obstrebit Deo.

p. e. Hominis uide manian atq; amentiam,
 Affligit hic grauius miserum, quam ceteri.
 h. e. Non uerba sic facit Deus, non erudit
 Hoc crede pacto, dictum sufficit semel.
 Rationibus deinde miris illorum admonet,
 Persæpè cum serpit quies gratissima,
 Subindicat quid per nocturna somnia.
 Dolore quondam & ærumnis nos increpat,
 Hinc pœnitenti rursus fit placabilis,
 Per has uices operatur summus arbiter.
 Est æquitas Dei summa, & clementia:
 Nil ille causam præter, unquam iudicat,
 Nihil hunc ualet penes personæ authoritas,
 Domat potentes, & tyrannos deiicit,
 Sternit minaces hic, ducesq; subruit.
 Nunc si quid est tibi decretum rectius,
 Loquere, audiam. i o. Dictis tuis consentio.
 h. e. At uos senilem adferte nunc scientiam.
 e l. i. Nos calculum addimus tuis rationibus.
 s o. Subscribimus tibi nostrum suffragium.
 h. e. Respondeo prioribus sermonibus:
 Pietas Deo nihil prodest mortalium.
 Nihil huic scelus nocet uel maximum.
 Homo pijs iuuatur actis proximus,
 Iniqua uicinos lædunt flagitia.
 Non officit nostra actio, uel commodat,
 Patri supremo, sed iuuat nos hic magis.
 Non tollit à iustis benigna lumina:

Quoties

Quoties sed illos castigare cernitur,
 Sauitis ergo ipsorum hoc, crede, conficit.
 Quare fer æquo, quod dat ille, pectore,
 Et mira facta semper cogita Dei.
 Melior redabit omnino lux, crastina:
 Sed erigare certa nunc fiducia,
 Calamitatem finiet breui tuam.
 Non est procul salus tibi, quod auguror.
 Sed ecce, num Deum aduentare conspicor,
 Sic fissa magno nubes turbine
 Me terruit, fulgor uisum eripuit mihi.
 Ad nos uenit summi maiestas numinis,
 Tibi salutem conferens & gaudium.

S C E N I I I I .

Dominus. Iobus. Eliphias.

Baldad. Sophar.

Quis hic miser tam uerba perdit fruola,
 Et inscius graues miscet sententias,
 Quæ neutiquam sunt uoce humana effabiles.
 Si quid potes, pauca hæc mihi respond:as.
 Quo tum, cedo, latebas clausus carcere,
 Telluris ut latæ posui fundamima,
 Et ostijs pelagi furentis impetus
 Claudi, populum meo fulciui robore,
 Bases locauit, rutila affixiq; sideras
 Quis protulit niues, imbres, tonitrua,
 Glaciem, gelu, pruinam, dura frigora?
 Tuis ne tanta es facturis ex uiribus

Nunquid

Nunquid timenti immittes orbi fulguras?
 Reuerenter illa nempe seruiunt nubi:
 Elementa nostra contremunt potentia.
 Considera nunc mira quotquot præstiti,
 Suis ut impleui terram cultoribus
 Cum tot feras, uariasq; condidi potens:
 Animalculorum tu perpende robora,
 Speciesq; mille formas, nomina omnium,
 Quæ cuiq; sit natura quæ ratio, atq; modus,
 Scrutare uires, & sectare pascua,
 Miraberis summam meam potentiam.
 Qui cum Deo durum certamen suscipit,
 Cur desinit uerbis tandem resistere?
 I o. O conditor supreme, ô mitis arbiter,
 Sum uilior quam qui tibi respondeam.
 Peccata iam cognosco cum silentio:
 Sum uoce lapsus, lingua errauit lubrica.
 Heu penitet dicti, uix audeo hiscere,
 Guttur manu uagum nunc comprimo.
 Vnum excidit, miserè quod dictum non uelim:
 Sunt plura, quæ posthac silebo iugiter.
 D o. Tu nunquid irritam facies sententiam
 Miser meam, tu iustus ut compareas?
 Si brachij uales diuini uiribus,
 Summum pete, & te pulchris orna uestibus,
 Et sic polum super sublimis intona.
 Disperge contumaces, & rebellum
 Stringe ora, fortiter superbos contere:

Tum te tua saluari posse dextera
Credam, sed heus quid possit hæc manus uide,
Cum plasmate effinxi te primum terreo,
Tum condidi Behemot tecum uastissimum,
Et membra fortibus struxi compagibus,
Hic gramine ut boves & sceno pascitur,
Et præualet membrorum ingenti robore,
In uentre uirtus est immensa maximo,
Sic undequaq; continetur nexibus
Neruorum, ut esse credas cornua.
Ut cedrus ingens illi cauda extenditur,
Ossa æreis sunt duriora fistulis,
Et cartilago ferri euincit laminas.
Absorbet ipsa hianti fauce flumina,
Tumens in ora eius iordanus influit,
Magnis gerit tergo munita turribus
Castella, & armis sustinet graueis uiros.
Nunc cogita Leuiathan ponti belluam,
Quis stagna permeat citus Neptunia,
An illius ligabis fune guttura?
Aut extrahes hamis captum fallacibus?
Num ferreo nares frenabis circulo?
Num uoce te captus rogabit supplice?
Aut mollibus pro se uerbis precabitur?
Num seruitutem uictus pollicebitur?
Aut certa iniicit tecum fractus foederat?
Tangas manu, aut saltē si uideris ferum,
Memento iam tibi paratum prælium,

Et conci

Et concitatum sat scias periculum.

Hec monstra tum quecunq; sunt saeuissima

Vt condidi quondam, feci q; dextera hac,

Sic omnibus nostra ui factis impero,

Facile est mihi nullis domare nisibus.

Quid ergo pugnam incautus mecum suscipis

Iobe de uirtute nunquid ambigis mea?

10. Scio pater quid possis excelsissime,

Scutaris ima quæ latent sub sensibus,

Nil te latet, tu cogitata perspicis.

Inepta dixi, & ualde stulta protuli,

Vocis tuæ percœpi sæpe fulmina,

Nunc & tuum numen uidere contigit:

Resipisco quare, & ducor pœnitudine,

Fauilla totum nigra corpus conteget,

Meum cinis caput proiectus obruet.

11. Nunc Eliphaz Themanite cum cæteris,

Hec quæ loquor, menue intima reponite.

Furore uos super commotus ardeo,

Cum perperam sitis locuti plurima:

Sed seruus hic meus dicendo constitit.

Nunc hostias ergo mihi libabitis,

Mæstate tauros septem, atq; bircos cædite

Totidem, piabunt hæc holocausta crimina,

Job pius pro uobis deprecabitur,

Vestrarum remittam illius noxas gratia,

Nec imputabitur linguae peccatum nesciæ,

EL. Faciemus illa, & amplius si quid iubes,

O rex, Deus uiuens per omne seculum.

B A. Eamus ergo, & exequamur ocyus.

I O. Humi iacentem me sustollite,

Vt hoc queam facco caput conuoluere,

Deflebitus densis tenebris abditi.

E L. Humeris meis Iob dilecte innitere.

I O. Valeo meliuscule, dolorq; maximus

Recessit. B A. O bonum & festuum prædicat;

Bonitate iam Dei subito sanabere.

S O. Deus tibi affulgit satis fœliciter.

SCENA V.

Heliu. Peirastes.

M Anifesta Iobum monstrant integerrimum
Exempla, & almo quod satis placeat Deo,
Quem maximo posthac honore prosequar.

P E. Quid nunc agam? turbæ silent, redit quies,
Iobus exultat, triumphat, iubilat,
Iam liber ex pedicis, meisq; uinculis,
Pudore summo discedendum est hinc mihi.

Sed garrulum hunc uideo, atq; nugiendulum.
Certum est prius nebulonem hunc ipsum ludere.

H E. O magna serua me Salus, quis aduenit? (ma.

P E. Quid extimescis? H E. Heu fuge pestis maxi-

P E. Terabula hinc magis rabiose proripe.

H E. Non sum tui iuris, pete regna Tartari.

P E. Sed te tamen mecum illuc auferam simul,

Videbis aulæ sic me & satellites,

Aclurus Aeaco causas sub iudice.

H E. Abi procul, recede quò libet in malum.
 P E. Non me amouebis hinc tuis sermonibus,
 Nec pellere hinc curtis potes enthymematis. (pero.)
 Sequere huc. H E. Nihil minus, P E. Quin sic tibi im
 H E. Alium rape hinc, ego at me conijcio in pedes.
 P E. Nil tempore hoc prædæ possum nanciscier,
 Doleo mihi hunc bolum ereptum esse faucibus.
 Acherontium sed nunc subibo gurgitem,
 Alios nouo mox aggrediar tentamine.

A C T V S Q V I N T I,

S C E N A I.

Spudæus solus.

O Fors bona ô fortuna, quantis commodis
 Deus pater, quantis onerauit hunc diem
 Fœlicitatibus, metumq; sustulit,
 Præ gaudio tectis nunc effero pedem,
 Facerem ut palam, ex quo gaudium hoc eruperet;
 Res nulla certe homini tanta accidit,
 Que mentis adferat tantam ægritudinem,
 Quam non Deus tandem clementer prosperet,
 Quis damna nescit, clades, infortunia,
 Plagas acerbas, pœnas, dira stigmata,
 Que pertulit Dominus meus uir integer?
 Non pluribus potest exemplis perdier
 Homo, sed is Deo confusus perstigit:
 Et pœnitere cum cœpisset intime,
 Deo recepit dante cuncta perdita.

Speciosa tecta surgunt, & sic enitent,
 Ut aniè nunquam, sunt geminata singula,
 Iactura parua grande lucrum protulit.
 Fuere magna lob que possidebat antea,
 Sed iam data excedunt modis haec pluribus.
 Repente & ipse saluo est mundus corpore,
 Fluuiatili ualet iam pisce sanior.
 Hic miror immensam Dei potentiam,
 Et normulam qua seruos explorat suos.
 Documenta magna ex hac re comparo mihi,
 Patientiam summam, fidem & constantiam,
 Tacito reuoluo mecum pectore.
 Certe uirum Dei timentem iudico,
 Dominum meum, cui seruiam fideliter
 Post hac, Deo mea & placebit seruitus.

SCENA II.

Iobus. Geta.

O Quot, quibusq; nos probas rationibus
 Pater supreme, consilio mirabili,
 Vijsq; nos omnes tentas absconditis.
 Magnas tibi iam gratias habeo, atq; ago,
 Scrutator à me, conditor, parens, Deus.
Ex ore me trucis rapuisti Tartari,
 Reducemq; ab Orco me fecisti mortuum.
 Cognosco iam lucem nouam, tum sidera
 Iam pulchrius nitent, amoënius iubar
 Solis resulget. ô summi pietas Dei,
 Acceſſit ægro robur corpori nouum.

Ni fallor, annos & senium exui meum,
 Redit iuuenta, firmior datur uigor.
 Iam syphar antiquum posuisse me arbitror,
 Videor fugacibus ceruis uiuacior
 Futurus, humana si lege uixero.
 Nunc dedo me totum supremo numini,
 Cultum illius sectabor iugiter bonum.
 Legis suæ sanctæ seruabo examina,
 Si largiatur idem, & uires suggerat.
 Sed quid moror: cur non hecatombas apparo,
 G E. Sis saluus ô here, ô fœlix ter & quater,
 Dij te uolunt beatum, & huic familiæ
 Fauct salus, adest benedictio Dei.
 Gradu citato in hunc locum nunc aduolo
 Ut lœta nunciem, qui dudum tristibus
 Animum tuum impleui, & querelis terrui.
 10. Exordium narrationis incipis: quid est?
 G E. Cum restitutum te uidissim, protinus
 Deambulans ad rus tuum me contuli,
 Armenta uidi paßim errantia,
 Numerum gregis uidi innumerabilem,
 Ovibus plenis, caulis caprilibus,
 Vix cuncta septis possunt claudier,
 Boues, camelii, asinæ, caballi plurimi,
 Satrapes pecus tam multum nemo possidet,
 Non rex nec imperator ullus prædijs
 Tam diues est. 10. Nihil mirandum prædicat,
 G E. Quod dñi? 10. Satis' ne cōprobatum est iā tibi,

Quod summa det Deus celerime,
 Et auferat tributa cum uult ocyus.
 Nuper tenebam multa, eram ditissimus,
 Deo uolente factus sum pauperrimus.
 Subito bonum nobis dat, et rapit Deus.
 G E. Sed centuplum recepisti nunc omnia.
 I O. Laudandus ergo est nobis æui conditor.
 Quare sacris parandis adser uictimas,
 Tauros, oues, ut quæq; sunt pinguisima.
 Nunc amoue te, plumeus, non plumbeus.
 G E. Volo, licet uolucris non sum, nec plumiger.

S C E N A III.

Dino uxor. Jobus.

Misera, heu nimis uercor, ne tantū offendem
 Meum maritum, illudendo procaciter,
 Ut deprecari culpam uix possum me. m.
 Ah stulta s̄epe dicimus mulierculæ.
 Arcana nescimus Dei mysteria.
 Pietas uiri totam me summa corrigit,
 Melior dehinc futura et obsequentior
 Adsum, modo hoc ignoscat unicum.
 Salue uir, hac mihi uita iucundior:
 Quid solitarijs hæres receſſibus?
 I O. Tun' hic eras coniunx mihi dulcissima?
 Ehem, molestia obrutum cur deseris?
 Cur spernis in tanto uirum periculo?
 D I. Iobe mi, peccatum confiteor meum,
 Granitate uincor a tuis. nunc te obsecro,

Animus

Animus tuus quanto est meo maturior,
 Tu grandior natu, & uere ignoscentior,
 Ineptijs meis aliquid sit præfidi
 Iusticia, quæ tibi est innata maxima.
 Non ante a noram, quod nunc cognosco lumenis.

I o. Benignitate abuteris coniunx mea,
 Mea te docet multum mali clementia.

D i. Pudet uir optime, ac delicti pœnitet.

Sed quicquid est à me commissum criminis,
 Hoc imputa, quæso, fatis tam tristibus.

Me dæmonum puto deceptam astutijs,

Vt capta mente ualde stulta dicerem,

Vt à Deo & marito te meo desciscerem,

Qui te plagis fortè tentauit maximis,

Nec uicit, immò uictus est grauißime.

Labore non magno uicit mulierculam.

Sed nunc marite comprecor charißime,

Acquissimo ueniam mihi da pectore.

I o. Evidem libens ignosco erratis omnibus,

Eadem manet mens erga te, ac semper fuit,

Veniam rogare ex ipso sed decet Deo.

D i. Te maximè semper merito feci tuo,

Amplectior obuijs ergo te brachijs,

Et suauium tibi mellitum impertior.

I o. Tua me refecit uxor iam mutatio.

Non gaudeo parum, quòd talis facta sis.

Sed hoc uide, ut Deum places precibus tuis.

D i. His ritè quæ iubes, perfungar omnibus.

Post hac tibi cunctis in rebus obsequar.
Nunc gratia si forsitan excidi tua,
Maioribus post officijs resarciam.

SCENA IIII.

Ismalus. Hanania. Cognati Iobi.
Iemina. Kezia. Sorores.
Iobus. Dina.

E Atur ergo. Vah quid nunc moramini?
Dum se parant, comunt, adornant foeminae,
Elabitur non lux, sed annus integer.

I E. Nihil moræ in nobis erit, præcedite.

H A. Proferte gazas, & lapillos indicos,

Holofericas citæ uestes producite,

Lanas q; phocaico pertinetas murice,

Auri talenta, crateras argenteos,

Et aureos, scyphos q; gemmis nobiles,

Torques, maures, & collo monilia.

K E. Quò tantus apparatus deportabitur?

I S. Iobi ad ædes omnium integerrimi,

Nam seruus est Dei, & frater noster. K E. Probè
Monetis, hoc mihi in mente non uenerat.

I E. Sed commode nobis sua cum coniuge

Procedit obuius. I S. Salue charissime

Frater, decus nostræ ex columen familie.

I O. Salute uos simili fratres impertior,

Sororibus meis optata comprecoor,

Et omnibus cognatis opto quæ uolunt.

I S. Est gratia. & tu salua Dina sis mea.

D I. Contingat

1. Contingat omnis & uobis fœlicitas.
 1s. Dolore summo nos malum affecit tuum,
 Et tam grauis clavis misertum est maximè.
 H A. Tulumus uices tuas animo tristissimo.
 Libuit, sed haud in nostra erat potencia,
 Succurrere, & morbi leuare tedium.
 Nunc gaudio haud paruo tua nos reficit salus.
 Hinc gratulamur omnes imo ex pectore.
 10. Credo pij fratres mecum doluisse uos,
 De charitate uestra nullus ambigo.
 1s. Sed hoc quo certius tibi compareat,
 Tibiq; constet nostri amoris symbolum,
 Ad te simul laeti atq; hilares conuenimus,
 Nostrum fauorem uili quisq; munere
 Testabitur, tu mentem candidam aestima.
 10. Ah quid boni fratres hæc munera
 Fertis, quasi nos inter nos non norimus.
 H A. Non sic, amice, nostræ primùm inibimus
 Dilectionis fœdus, sed firmabimus.
 Tu nunc cape hæc, precor, uultu placabili.
 10. Quid debeo pro donis tam speciosis gratiæ?
 1s. Hæc missa fac. H A. Aliud cura, sic nos decet.
 1e. Honoris hoc nostri est. KE. Deus sic exigit.
 1s. Meritis scio maiora debere tuis.
 Sed impedit menem facultas arctior,
 Tu uelle nostrum consulas magis boni.
 10 Spectata pol satis uestra est integritas
 H A.. Nunc apparetur idcirco conuiuum

Vti diem sumamus hunc cum gaudio.
 Solatium blandum dabit sodalitas.
 I s. Meminisse gratum erit tui periculi,
 Pellentur hoc graues curæ commercio.
 I o. Suadetis optime. I s. Tu frontem exporrige.
 I o. Fiet. Sed heus prius paranda est uictima,
 Honos Dei primò curetur omnium.
 Illis adeste quæso nunc prompti sacris:
 Quibus peractis, cætera & uidebimus.
 H A. Ne quis moretur hic uisurus exitum,
 In ædibus nunc transigentur omnia.

C O N C L V S I O C O - mœdiæ.

S I scenicus tibi, spectator optime,
 Arrisit actus, & nobis faues,
 Quid, Di⁹ boni, quantum & debemus gratie?
 Vix hoc breui puto me comprehendere
 Sermone posse, nec si Tullij,
 Tam fertilis dicendi copia,
 Tam pura & elegans foret nobis oratio.
 Nunc cum referre nec res nostra perferat,
 Nec exigat fortuna uestra, laus Deo,
 Quām possumus grates habemus maximas,
 Gratisq; semper hoc profitemur mentibus
 Vestro stetiſſe nos fauore maxime.
 Si forte quis (quod suspicari non queo)
 Sit inuidus, quæso inuideat miser diu

Cunctis,

H A M A N V S.

107

Cunctis, sed inuidere ipsi nemo queat.
Quicunq; de nobis maligne iudicat,
Nescit, sciamus hunc quam parui pendere.
Si defuisse quid putatis, temporum
Angustiam in causa fuisse credite:
Et non agi secus sicut necessitas.
Nam qui student fictis ad tempus fabulis
Placere, maiori id possunt cum gratia.
Sed haec sacræ dum tracto scripta paginae,
Inclusus arctioribus spacijs fui:
Nil addere hic licuit mihi, nil demere.
Nunc arbitri ualete candidissimi,
Et nos amare, nos tueri pergit.

F I N I S.

H A M A N V S ▶

T R A G O E D I A, EX L I-
bro Hester, Thoma Nao-
georgo autore.

P R O L O G V S.

(lam)

 At nota est haec quam sumus acturi fabi-
Siquidem iam olim in sacris est conscri-
pta literis.

Hamanus hostis Iudeorum pessimus,
Ob denegatum à Mardochæo uno sibi
Honorem, omnes proscriptit Iudeos simul,

Certo

Certoq; præcipit die disperdere,
 Hinc Mardochei & Iudeorum maximus
 Oritur in Susis luctus & alibi gentium.
 Reginæ Mardochæus quæremi indicat
 Luctus causam, atq; edicto transmissio rogat
 Ingressa ut ad Regem aliquid impetrat boni,
 Pro se, proq; populo. Ingreditur regina, & ad
 Conuiuum Regem exorat uenire cum
 Hamano. Veniunt, conuiuantur. Tum quoq;
 Postridie Esther ad se promittant petit.
 Promittunt. Interea Hamanus mire sibi
 E reginæ fauore simulato placens,
 Parare Mardochæo altam iussit crucem,
 Qum ignoraret quidem Reginæ esse patruum,
 Ut eo crucifixo laetus ad conuiuum
 Cum Rege pergeret. At uenienti in regiam
 Primo mane, ut eum à rege deposcat sibi,
 Rex ibi demandat Mardochæum purpura
 Diademeq; percultum honoris gratia
 Per urbem regio in equo circumducere.
 Facto hoc, pergere iubetur ad conuiuum.
 Ibi à Regina accusatus, suam in crucem
 Quam Mardochæo compararat, actus est
 Hanc nos pro arbitrio fabulam tractabimus,
 Ut ridiculi & tumultus plus etiam siet,
 Non curantes quid maleuoli dissentiant,
 Ronchosq; ciant, carpant, rodantq; uerbulis,
 Hoc nusquam est, hoc aliter est, isthuc non placet
 Abeant

HAMANVS.

109

Abeant hi cum iudicijs quo lubet suis,
 Aut melius faciant, & sui periculum
 Vna nobiscum in ipso ædant proscenio.
 Adeste, cognoscite quid sibi Hamanus uelit.

PERSONAE.

Hamanus.	Philarches.
Artaxerxes Rex.	Polytla.
Esthera Reginæ.	Carcharophont.
Atachus eunuchus Reginæ.	Mardochæus.
Harbonas eunuchus.	Cyrinus seruus.
Charfenas consiliarius.	Zares uxor Haman <i>ni</i> .
Carphologus.	Syrus seruus.
Phystotas.	

ACTVS

ACTVS PRIMI,

SCENA I.

Mardochæus. Cyrinus.



I quis miratus unquam est consilium Dei
In insperatis rerum uersionibus,
Eundem iure nunc mirari conuenit,
Tot paradoxa uidentem atq; mirabilia, quæ
Nunquam quisquam in somnis sperare possiet.
Potentes de suis turbantur sedibus,
Abiecti contrâ gloriæ obtinent thronum.
Ingenui liberiq; contemnuntur, et
Seruiliis ad res magnas erigitur status.
Namq; hoc tempore regina Vasthis, omnium
Facile quæ sunt mulierum forma et genere caput,
Amisit dignitatis honorem regiæ,
Et Artaxerxis excidit connubio,
Parere superba quod uocanti noluit.
At illius in locum tot inter uirgines
Et nobiles et liberas nulla placuit
Ut succederet, et regis digna esset thoro,
Præterquam una Estheram mei fratri filia,
In seruitutem quæ ducta est cum cæteris,
Qui cum Iechonia rege translati sumus.
Quis uersatilem fortunæ haud miretur rotam?
Nisi forte illius ignorant et patriam et genus,

Que

Quæ præcepi hominum ut indicaret nemini.
Vt cunq; sit, nobis certe monstrat Deus,
Quod quamvis genus afflixerit nostrum male,
Non omnino tamen abiecerit, & funditus
Nulla uelit dignatum misericordia.
Siquidem ut Dioscuri feruntur prosperum
Nautis signum, sic Iudeis erit omnibus
Sub Persarum imperio quicunq; uiuimus,
Hadassa refugium & portus tutissimus.
Recte ego, qui filiam illam adoptarim mihi,
Quam sic in altum diuinus extulit fauor.
Quippe ex ea si quid cuiquam orietur boni,
Acceptum referent mihi, eroq; omnis particeps
Beneficij, mibiq; ab ea præ cæteris
Commoda iure obtingent perpetuò duplicita.
Nihil ambio peto' ue amplius pro me & meis,
Satis erga me & meam adoptatam erga filiam,
Dei se insperatè effudit benignitas,
Pro qua immortales decet ut agamus gratias.
Duntaxat precor, ut hæc esse uelit propria
Mibi filiae q; & Iudeis adeò omnibus,
Stabiliaq; conseruet, genius ne aliquis malus
Perturbet, infortunioq; dissipet.
Quam male Satanam habeat bene agere probos,
Et improborum quantum ualeat malitia, (scio,
Quum alioqui instabilis omnis sit fœlicitas
Suopte pondere, & nota ferentium
Iam plus satis imbecillitate virium.

Adeamus

Et quanquam aduersos semper casus conuenit
 Sublimes metuere, & felices, mihi tamen
 Resstantem fortunam magis ut metuam, duplex
 Obiecta est causa. c. Frustra hercule (quātū reor)
Quidquam metuis, adeò iam res omnis tuæ
 Constabilitæ sunt, simul & gentis totius
 Nostræ, ut neq; ecnephias, neq; turbo nec typhon
 Deiscere de gradu queat aut conuellere.

M A R. Videtur ita quidem, sed ego metuo tamen
 Et primum propter Hamanum illum, qui plurimū
 Apud Regem potest, quem etiam patris loco
 Rex colit & obseruat, præcepitq; omnibus
 Eum ut adorent, ueluti coeleste quodpiam
 Numen. c y. Scio. M A R. Et quum omnes hono-
 rem hunc cæteri
 Præfeci, principes, duces & aulici'
 Ei exhibeant, & propè Dei colant loco,
 Solus ego, paternis plus legibus obediens,
 Regis quam aut hominum constitutionibus,
 Nec adoro, nec salua queo conscientia
 Dei honorem nostri alicui mortalium dare.
Quod cum animaduorterit ipsus, aut resciuerit,
 Forte ab alijs hominem habebit scio pessimè,
 Inq; meum aliquod exitium machinabitur.
 Adde, quod etiam alioqui infensus est mihi,
 Ob delatos affixos que eunuchos cruci,
 Regem insidijs uoluissent occidere.
 Hinc timeo. Potens inimicus ingens est malum:
Neq;

Neq; enim qui places, aut resistas, in manu est.
 C. Y. Vera profecto narras. M A R. Deinde somnium
 Quod nuper uidi, etiam hunc timore auget magis.
 Dracones duo capitibus erectis, graui
 Inter se conflictu decertabant, uti
 Res componi nisi morte non posset. Hominum
 Vtriq; fauebant multæ myriades, quasi
 Victuri aut interituri cum draconibus.
 Aspexi, & ecce uicerat alter, atq; mox
 Partibus ab eius stans populus, uiolenter &
 Nemine prohibente in hostes irruit suos,
 Et gloriosam adeptus est uictoriam.
 Incertus sum, quid hoc portendat somnum.
 Metuoq; omnia, tametsi Estheræ gratia
 Vulgaris haudquaquam mihi lux affulgeat.
 Viden' ut nos Dei cultores unius
 Idololatras inter, gentesq; impias
 Agamus tam tutō, quam oues inter lupos?
 Viden' occasionem ut ad quamuis leuem
 Amarulenter seruitutis iam uetus
 Vbiq; iugum Iudeis exprobrent, & ut
 Hæreticos impiosq; quosdam iudicent
 Quos ipsorum irati dij huc detruerint
 Misericarum? Ita non solum nos, qui meruimus,
 Sed una quoq; noster contemnitur Deus,
 Quasi qui seruare nequaquam nos potuerit.
 C. Y. Spero aliquando hanc suam nostramq; iniuriā
 Deum ulturū.. M A R. Haud dubie. Nisi nil audiat

hh Vidcatq;

Videatq; quicquid ipsi peccant, admodum
Leue est, & inter se ignoscunt facile sibi.

Lupus lupinam haud est, neq; caninam canis,

Porro si forte quicquam nos delinquimus,

Capitale est, nec delinquentis sed omnium

Nostrum clamatur expiandum sanguine.

C Y. Hæc meræ sunt captiuitatis commoda,

Et fert Iudaici hæc odium auitum nominis.

At ego neq; te, neq; me, nulli hic mortalium

Iudæos esse dixi. Hinc fiet arbitror

Vt nobis æquiores sint, quasi ethnicis.

M A R. Et ego hactenus cetaui, heriq; primitus

Physotæ interroganti, cur præ cæteris

Hamanum solus non adorarem, uirum

Excellentiam dignitate præditum:

Iudæis, respondi, isthuc non licere, qui

Honorem hunc iussi sint præstare uni Deo.

C Y. Hinc hercle aliqua tempestas orietur tibi.

M A R. Quid faciam? Etiam si uerbis isthuc nemini

Dixerimus, ex cultu nostro ac ceremonijs,

Nos Iudæos esse ipsi animaduertent tamen.

At cuncta duntaxat feramus foriter,

Quæcumq; propter legem nobis accident.

C Y. Quid si hoc forte Physotas Hamano nunciet?

M A R. Inde ego metuo. C Y. Deus bene uortet.

M A R. Itidem ego

Quoq; spero, precorq;. Sed qui sunt illi, uidens?

Qui primo huc regiæ appropinquant limini.

Vnde

C Y. Vnde ego scirem? Babylonios esse hospites
 Ex uestitu coniicio. M A R. Idem mihi quoq;
 Apparet. Sed uideamus, ut accipiat eos (let
 Carcharophō. C Y. Non dubito quin pessime, ut so
 Seruorum ad limina, bipedumq; pessimus. (tibi,
 M. St. C Y. Quid? quādo huc nuper ueni aduorsum
 Casuq; apertum ostiolum eram transgressus, ex
 Tugurio is se suo proripiens, horridumq;
 Inclamans, cursu est me secutus concito,
 Et apprehenso colaphos infregit decem.
 Et resupinans me illā eiecit quā ueneram,
 Subinde humeros cruraq; nodosa uerberans
 Scuticā, nihilq; non me nuncupans mali.

M A R. Huiusmodi homines ad portas statuuntur, ut
 Quicunq; huc ob negotium peruerterint,
 Perd scant se antē quiduis malle perpeti,
 Vllam quām ob causam aulas adire regias.
 Ita leuantur multis Reges molestijs.

C Y. Ego tamen rebar Regū esse atq; Principum,
 In admittendo & audiendo facilimos
 Se ut exhibeant, atq; ita sint oppresis patres,
 Iniuriam refugiumq; patientibus,
 Et p̄cipua sp̄es miseris & fiducia.

M A R. Tace, et cōcede huc ut sedeamus. Rex, scio,
 Ignorat hoc, aliaq; multa similia,
 Hamani peperit institutio quae noua.

Cui Rex non solum aulam, sed se quoq; credidit:
 Nempe aliter longè Hamanum, atq; est, existimat.

hh 2 Si mihi

Si mihi mens non læua est, illos etiam antea
Vidisse uideor hospites. Sed iam lubens
Carcharophonta audiam, an esse uelit similis sui.

SCENA. II.

Philarches. Polytlas. Carcha-
rophon.

Vtinam nostra amborum ocyus negotia
Expediantur, ne rerum cum diffendio
Hic hæreamus. p o. Nil mallem, quum perparum
Mibi sit uiatici. c a. Heus uos, quò tandem(malū)
Tam confidenter itis? aut qucm quæritis?
Esse ante portam uobis nescitis locum?
Egredimini, aio, citò. p h. Custos portæ obsecro
Nesæui tantopere. c a. Ita sum custos quidem.
Si Rex essem, & melius haberet res quam habent,
Fortunaq; multo consuluisset rectius. (loqui
p h. Fortasse. c a. Sed exite. p h. Licet' ne breuib.
c a. Neque breuibus, neq; longis, exite ocyus:
Foris licet, si quid me uultis alloqui.
p o. Etiam' ne ē manus saltē precamur abstine.
Eximus. p h i. Quæso te, non me nosti? c a. Neq;
Noui, neq; nosse adeō uolo. p h. Abhinc tamen dies
Vix sunt nouem, quum ingredientibus hic obstitit
Nemo. c a. Quid isthuc mea? Alius hic tū præfuit.
Me præsidente, nemo huic inferet pedem.
Ita enim ab Hamano est mihi mandatum principe,
Quām pridem adueni stis? p h. Venimus, ut uides,
Modò. c uah insulsi homines, uix ingressi oppidū,

currunt

currunt in regiam, quasi nil negotijs
 Nobis sit præterea, quām ut è uestigio
 Quorumuis uacet examinare iurgia, &
 Petitiones uarias ac querimonias
 Auscultare. P H. Hem, Nobis aīs, quasi tu quoq;
 Numero in aliquo sies. C A. Ego? etiam regium
 Si latrinam lauarem, longè essem tamen
 Te, similibusq; tui, & melior & dignior.

P H. Hoc est uerē (quod aiunt) sandalium Iouis,
 Non mihi profectō uideris esse sobrius.

C A. Hic operire, donec fiam sobrius,
 Qui plus sapiam ebrius quām tu unquam sobrius.

P H I. Fortasse. Sed rogo, nobis atrium ingredi
 Permitte, ut circunspiciamus sicubi ferat

Occasio, ut aut Regi, aut Hamano literas
 Hasce in manus tradamus, aut sermonibus

Exponamus quāprimum ea quæ ueterq; uolumus.
 Dilatio omnis, præterquam iræ solius,

Damnosa est. C A. Vobis fit, mea resert nihil.
 Non intrabitis hic mendici & profugi homines.

P O. Iuſſit' ne Rex hæc dicere aduentibus?
 C A. Quid mihi uobiscū est: ite in cauponā, quoad

Refrigeremini, & post tertium diem
 Redite. P H I. Nimis iracundè dic mihi rogo,

Hamanus est' ne intus? C A. Sciens hoc nescio. (cet,
 P H. Quid hoc ænigmatis est? C A. Non dū mihi pla-

Vt index uobis gratuitus sim. P O. Nempe uis
 Aliquid tibi dari in manum? C A. Videlicet.

¶ 3 Ademerint

P O. Ademerint nisi dijsanam mentem mihi,
Hodie à me ne teruncium quidem auferes. (tis
P H. Neq; hercle à me. C A. Quim igitur hinc facessi.
Mendici in rem malam? P H. Hic etiam nolente te
Præstolabimur, Hamanus donec exeat.
Sed commodè illum per scalarum iam gradus
Illic à longè perspicio descendere.
Abiit. proh deūm et hominū fidem, quod hoc genus
Hominum est: superbum, petulans, munerū capax?
Hem qui dat, ut magni sit ubique genium?
Dantibus amici sunt, dantibus & ferreæ
Patent ædes, cuncta obsequuntur dantibus.
Opes qui amant, haudquaquam omnino insaniunt:
Per eas enim licet nancisci quidlibet.
P O. Re ipsa experior, quām incōmodū sit nil dare,
Quāmq; nihil habere res ualde sit inefficax.
Emerissim ex iniurijs iam olim omnibus,
Si numerassim. Iam quia non est quod dem, hæreo.
P H. Ego uero Hamano centum daricos dedi,
Animi tamen pendeo, quid de re quam uolo,
Quæq; mihi à rege est promissa, futurūm sicut.

S C E N A III.

Hamanus. Carphologus.

Physotas.

S Atis'ne habes, si præsto quæ dixi tibi?
C A. Prorsus. Recordare, ut fuerim tibi intimus
A multis iam annis, quanto dote præ cæteris
Coluerim ceu parentem, aut uerius deum:

Quoties

Quoties iucunditati & commodo tibi,
 Dede cori contrā propter te fuerim mihi:
 Eunti & redeunti ut semper fuerim comes,
 Et facta tua laudes q; in maius uexerim
 Semper. Et h.ec feci omnia, quum dignitatis hue
 Potentiae q; ingenis haudum ueneras,

Nunc quoq; precor ut memor aliquando sis mei.

H.A. Potes' ne quiescere? Præfecturam aliquam tibi
 Opimam & succulentam, que uacauerit
 Prima, ab Rege impetrabo. Quin quandam scio,
 Quam hercule non omnino poteris contemnere.
 Ea, rogabo Regem, ut commendetur tibi.

C.A. Quid ais, rogabo Regem, quum ipse Rex sis?
 A' que tuo nutu regnum totum pendeat?
 Possis q; bene male q; facere quibus libet?
 H.A. Ita res est, quare spem bonam habe. C.A. Pro-
 Sapientiam eximiasq; uirtutes tuas (fecto Di-
 Sine fructu noluerunt delitescere.

Iam Regi, totq; sūt ditis prouincijs,
 Nobisq; in maiorem prodesse potes modum.

H.A. Non erras hercle. Quippe dedi salubre iam
 Consilium Regi, unde quoq; prouinciae
 Immortales (scio) habebunt gratias mihi.

Quid aulam quod nouis redigi legibus
 In ordinem? Suave Rex iam agit ocium,
 Neq; supplicibus tot ut ante libellis, nec nouis
 Subinde molestè iurgijs obtunditur,
 Translati regni omnibus ad me negotijs.

hh 4 C.A. Hoc

Hoc est quod dixi, et ubiq; cunctis prædico,
 Regem scire satis ne propriam quidem domum
 Regere absq; te. Tu regni et cor es et caput.
 Fossa et vallum, infractusq; rebus scipio.
 Te præsidente instaurabuntur diruta,
 Deserta habitabuntur, florebunt omnia.
 Fortunatum Regem, consilijs qui tuis
 Fruitur, regiturq; nam tantum sapientia et
 Virtute satrapas reliquos omnes anteis,
 Quantum stellas omnis præcellit lucifer.

Η Α. ναὶ μᾶλλον, ὡ φρύξ. C A. Vah, quātū sol dicere
 Volui. H A. Nescis tu, quo Regem ex periculo
 Exemerim in bello nuper? C A. Ego nesciam,
 Qui toties cunctis iam de prædicauerim?
 Si quis tuarum quid rerum scire cupit, ad
 Me extemplo concurrunt, ad cantum prouocant
 (Vt aiunt) lusciniam, narro, extollo uirum
 Te maximum, Virtutem dico ipsam quoq;
 Partes facile primas tibi concedere.

Mirantur omnes, seq; beatos prædicant,
 Tuo quod seculo se nasci contigit.

H A. Iugiter in his si perseueras moribus,
 A me, ab alijs quoq; magnam inibis gratiam,
 Et obtinebis quæ uoles. Quid tu tibi
 Physota postulas ut benefaciam? P H Y. Nihil
 Evidem princeps, nisi ut tua liceat frui
 Amicitia. Video te magnificum uirum,
 Secundū à Rege: immo hercle magis Regis patrē.

Inde

Inde meam omnem fœlicitatem metior.
 Potentiam, honorem, commodaq; tua omnia
 Mea esse reor. H A. Rectè facis. P. Quapropter &
 Aucta esse, & defensa uelim. H. Quod uis, iā tenes.
 P. Magna equidē ex parte. Cæterū me hoc habet
 Quod interdū in maleuolos incido uiros, (male,
 Sermonibus tuo qui honori detrahant,
 Nec eam quam debent exhibeant reuerentiam.
 Iniuriam hanc meam quoq; esse censeo,
 Et uindicarem, si sat mi esset uirium.
 H A. Negent honorem, uerbulisq; detrahant,
 Dummodo caueant, ne quo pacto resciscam ego.
 Quòd si neglexerint, disperiam funditus,
 Nisi eiusmodi in illos edidero exempla, quæ
 Cunctos à similibus homines absterreant.
 C A. Quasi uero aliquis sit, qui loqui de te malè
 Tibiq; honorem ausit negare debitum, &
 Edicto à rege præceptum. H A. Dic quempiam
 Si nosti, ut illi ostendam qualis uir siem.
 Et uindicem pro me & te. P H. Omissis cæteris
 Compluribus & obscuris, nunquid eum, ad fores
 Palatiū qui residet, nosti? H A. At plurimi
 Regis serui illic resident. P H. Peregrinū aio, quē
 Eo tempore, quo uirgines, huç dicitant
 Aduenisse, eius iam sum oblitus nominis. (didit
 H A. Hem, Mardochæū dicis? P. Is est. H. Qui pro-
 Eunuchos Regi? P. Is ipse est. H A. Audet iste me
 Contemnere? P H. Nunquā, quantū intellexi ego,

Ingredienti exeunti ue a surgit tibi,
 Nec adorat, ut omnes Persarum satrapæ solent.
 H A. Non? P H. Dicit se Iudæum esse, nec eiusmodi
 Ritibus aliquem mortalium posse colere.
 H A. Iudæus est, & facere dignatur id
 Seruus, q Mœdi et Perse faciunt liberi? (derim.
 C A. Lucrum putet, quod ego nunquam isthuc ui-
 Oculos homini profecto eripuisse statim:
 Indigna res est, Princeps, ne patere obsecro.
 H A. Ego' ne patiar, ut semissis homo me sibi
 Contemptui habeat? Misere muelim mori.
 C A. Rex te colit, magniç; facit. Status decet
 In hoc exemplum, ut animum induant cæteri,
 De te sentire idem quod Rex, & prosequi
 Eodem honore. H A. Ni fecero, nolim amplius
 Nec Hamanus, nec tanti Regis dici pater.
 Sed sequimini, experimentum eius & ipse capiam.

SCENA IIII.

Philarches. Hamanus. Polytlas.
 Carphologus.

Venit Hamanus, uultu irato tragicum tuens.
 Aggrediar. Salve Princeps. H A. Quid tu uis tibi?
 P H. Scis princeps quid uelim, dies sunt plus minus
 Octo, quum quoq; rei eius gratia hic fui,
 Hodieq; redire sum iussus. Quare obsecro,
 Has literas des Regi, & rem quantum potes
 Verbis iuues tuis, huius beneficij
 Nunquā immemorē dices. H A. Regē nihil opus est
 Literis

Literis obtundere, nubi iam negotia
 Regni commissa sunt. quare nubi scribite, &
 Ad me referte, si quis quicquam habet rei.
 Quid tu uelis, scire uideor iam nubi. Mane,
 Heus Carphologe. Præfecturam hic petit sibi
 In Babylone, satis opulentam, quam, si placet,
 Tibi dabo. c A. Obsecro Hamane, mei ut sis memor.

H A. Tace.

Ita est Philarches. Rem tuam pro uiribus
 Apud regem egi. & uerbis persuasus meis (pit
 Magnopere tibi fauet. p H. Gratiā habeo. H A. Et cu
 Præfecturam illam tibi potius committere,
 Quām alij alicui. sed tu nimium serō uenis:
 Quippe alius iam anteuerit, à quonon decet
 Concessam repeti. Quare aliam expectes, licet.
 p H. Qui serō? aut alius potuit qui anteuertere,
 Quum ego eam uacare huc primus nunciauerim?
 H A. Est ut dixi: ad aliam mea non deerit opera,
 Nec ad hanc desuit. At facta infecta reddere,
 Regisq; placita non licet rescindere.
 p H. Promisit eam nubi Rex ane biennium,
 Id scriptis quoq; possum probare literis.
 H A. Oportebat uigilare. nam uigilantibus
 Et iura, & omnis res aliæ subseruiunt.
 p H. Hercle equidem uix tantundē per decennium
 Vigilaui, quantum pro hac re. Sed opinor, alius
 Me uigilantem nimis anteuerit dormiens.
 H A. Hic ego tuae non possum consulere rei.

p H. Si

P H. Si promissi admoneretur Rex, haud puto
Hasce suas unquam literas rescinderet.

H A. Duobus munus idem concedi non potest:
Nec posteriorem ferre decet, quod iam prior
Iure obtinuit. P H. Qui iure quum promissa sit
Mihi? H A. Quaecumq; facit Rex, iure fiunt optimo,
Nec argui possunt. P H. Quid autem pro meis
Centum adipiscor daricis? H A. Mihi negotia
Iā alia sunt. P O. Queso Princeps, has cape literas
Regi inscriptas. H. Quid Regi? quasi nō sit palam,
Audire regem uelle ne muscam quidem
Præsente me. Quid potius dic quid sit rei?

P O. Res ni fallor, tibi nota est, utpote iam diu
Acta, neq; peracta, nam quæstor Babylonius
Sine causa me omnibus fortunis exuit,
Mensesq; in carcerem compegit quatuor.
Has iam diu miser conqueror iniurias,
Nec ius meum obtainere queo, nec mea mihi
Restituuntur. Quapropter nunc iterum rogo,
Ut è tantis tandem eripiari iniurijs.

H A. Videris mihi homo contentiosius esse, qui
Emas litigium, nec possis quiescere.

P O. O Dij, contentiosus ego, qui ad hunc modum
Malis urgeor, exagitor, trudorq; improbe:
Emunt litigium, nec possunt quiescere,
Non qui queruntur, sed faciunt iniuriam,
Si iusto modo res dici debent nomine.

Quiescerem ego uel usq; ad extremum halitum,

Audax

Audax si uicinorum improbitas, & odium, &

Manifesta malitia me sinerent quiescere.

Nunc adigor in Susa uenire, & Regis foros

Maiori rerum adire cum dispendio.

Vtinam uitaticum liceret liberis,

Vxoriq; & alijs reseruare usibus.

H A. Tu forsitan arbitraris nos aliud nihil

Agere, uestras quam expectare querimoniae.

Cur rem uos inter non ipsi componitis? (gis

P O. Per me haud stetit quo fieret minus, immo ma-

Desiderauit nihil. At non est unius,

Causas componere, parte nolente altera.

Questor ad iniurias me etiam derisui

Habet, & caute omnem congressum fugit meum.

Quid aliud faciam, quam uobis ut conquerar,

Quibus & in questorem potestas est data?

H A. Dicam tibi homo meam breuiter sententiam:

Operam da ita res ut decidatur, ne amplius

Huc questu uenias. Questor ille homo magnus est.

P O. Sentio. Cornix cornici haud elidit oculos.

H A. Quid? num uis & Susorum habitare carcerem

Aliquatissper? Sequimini hac. P O. Hei misero mihi,

Quid nunc agam? quo me uertam? quod refugium aut

Auxilium queram? quem homines omnes deserunt?

P H. Ego quoq; amice circumducor ne quiter,

Simul & promissis frustror, & pecunijs,

Certum est tamen perdurare hic aliquot dies.

Forsitan aliqua spirabit aura mitior.

P O. Ma-

Manebo una, etiam si me Hamanus deuoret.

SCENA V.

Hamanus. Carphologus. Phystas. Mardochæus.

Vbi est ille? P H. Viden' illic inter cæteros?
H A. Recte, prætereamus agentes aliud quasi.
P H. Alij quidem assurgunt omnes, is uero ceu
Lapis truncus' ue, ne mouetur quidem. C A. Etiam
Vultum auertit scelestus. H A. Ut istum Iuppiter
Dijq; omnes selecti perdant, nihil hominem.
C A. Ego ira maceror. Num uis eam, & caput
Isti comminuam? H A. Age rursus transeamus, ut
Qualis sit, ceu uulnus specio, explorem magis.
P H. Nihil est. Honoris plus statua haberet tibi.
C A. Irruo' ne in hominem, & frustillatim differo?
H A. Facere non possum quin adeam, atq; scisciter,
Quid causæ sit, quod non faciat que cæteri. (bis
P H. Tu cognoscis magis. H A. Heus tu, quæ super-
 Aut contumacia te agitat, ut contemnere
Regis præcepta ausis solus sedemium
Palatijs ad fores? M A. Quamobrem isthuc ait?
C A. Vah quasi nesciat. H A. Ignoras edictum meis
De honoribus? M A R. Noui. H A. Nēpe ut adorarer
Omnibus, & genua mihi reuerenter flecterent (ab
Tam ciues quam aduenæ? M A R.. Noui. P H. Ne nūc
Affurgit, aut genua flectit homo perditus, (quidē
Tantum alloquens uirū. H A. Quid ergo? Non tibi
Videtur dignus Rex, cuius sis audiens

Dictos

Dicto? neq; ego, quem honore honores debito?

MAR. Et Rex & tu mortalium dignissimi.

Ego patrijs tamen prohibeor legibus,

Hominum ne adorem quenquam, sed solum Deum;

H A. Quis tu mihi leges, aut quem narras deum?

MAR. Leges, quas nobis per Mosen dedit Deus:

Deus ille, qui rerum est creator omnium.

H A. Noli seruus deum tuum, aut leges tuas

Iactare, quando de honoribus agitur meis.

Mœdi, Persæq; homines me adorant liberi,

Nullo deorum nullusq; usquam legibus

Obstantibus. Nunquid melior est Deus tuus?

Dij s Mœdorum atq; Persarum? An leges tuas,

Nostris & Artaxerxis præfers legibus?

MAR. Ut simpliciter quod uerum est cōfitear tib⁹

Deus noster terrarum omnes superat deos,

Nostraq; lex legum est omnium sanctissima.

H A. Audite rogo hominis impudentem audaciam,

Non solum me & Regem, sed & nostros deos,

Legesq; uilipendit. Ego hercule arbitror

Esse hæreticum, & à genio agitari pessimo.'

P H. Ostende duntaxat Regi, qui uiderit

Procul dubio, ne à seruis Iudeisq; Dij

Legesq; Persarum habeantur tam nullius

Mometi. H A. Hoc ædepol certū est facere, ut simul

Et honos à Iudeis defendatur meus.

Quid enim Regis cætera mihi prosumt omnia.

Iste unus fugitiuſ ſi me deriferit.

Responde.

Responde tu, uis Regi parere & mihi?

M A R. In ijs, ad rem quæ pertinebunt publicam,

Neq; Dei labefecerint cultum, lubens

Parebo. si quid autem præceptum secus

Fuerit, nec possum obtemperare, nec licet.

H A. Non uis igitur me adorare, aut genua mihi

Curuare? M A R. Non licet. H A. Iam surge, si sapis,

Et adora me. M. Nolo. H A. Non uis? Terrā uelim

Mihi dehiscere, nisi isthæc, Nolo, Non licet,

Excussero tibi, C A R. Vix me princeps cohibeo,

Ne in barbam, inq; capillos Iudeo hinc inuolem.

Ita ne contemnat solus te, ac irridat?

H A. Sine aliud maius, hacq; contumelia

Dignius isti parabo(ne uiuam) malum.

Ego ad Regem eo, uos me sequimini, si placet.

S C E N A VI.

Mardochæus. Cyrinus.

A etum est Cyrius, nouit Hamanus iam omnia,
Mentem, religionem, simulq; animum meum.

Habet iam, ob quod uires in me exerat suas,

Eunuchosq; crucifixos vindicatum eat.

Nec dubito, quin magnum aliquod sit mihi malum
Conflatus. adeò totus iracundia

Ardet: sermo, uultus, oculi satis indicant.

Hæc nostra ante ueritus sum, ne resciceret.

Verum hoc Physatas expediuit nuncium,

Malis ex nostris aliquid ambiens boni.

C Y. Quid ergo nos sedemus hic totos dies,

Eo tos

Eo toties prætereunte? Ad tempus quidem
 Celari nostra poſe ſempre ſum ratus,
 Non perpetuo, ac multo hic in conſpectu minus.
 M A R. Nondum religionis me noſtræ poenitet,
 Pudetq; adeò, ut perpetuo celatam uelim,
 Recte Cyrine faciundum eſt tam in hostium
 Quām in amicorum conſpectu. Quisquis angulos
 Occultaq; querit, lucem fugiens, iſ male
 Aut egit, agit uie, aut certe omnino acturus eſt.
 Semper mala latere cupit conſcientia.
 C Y. Pulchrè quidem dicis. Sed in periculum
 Interea noſmet coniūcimus, quaſi ſorices.
 Quid ſi iam conueniens Regem, noſ impios
 Regisq; decretis rebelles deferat?
 Causaq; ſtatiſ Rex iudicata pronunciet?
 M A R. Ferendum erit, quidquid tulerit neceſſitas.
 Viuit Dominus, qui nunquam dererit ſuos.
 Et noſ uel aduersum Hamanos tres potest
 Suis, quæ nescimus, medijs defendere.
 Hadassam non in hoc fruſtra fastigium
 Euexit. Quare ego illi committo omnia.
 Suo haud deerit honori, ſuisq; legibus.
 Tu iam Cyrine uade curriculo ad forum,
 Et contribuli Iofephō uerbis meis
 Ad me ut ueniat dicio. nam eſt illum quod uelim.

SCENA VII.

Hamanus. Physotas.
 Carphologus.

ii

Exemplum

Exemplum ab hoc Iudei sument cæteri,
 In cunctis regni quotquot agunt prouincijs.
 Ut me contemnant, meq; habeant probabula.
P H Y. Nil certius. Principijs obsta, si sapis. (re.
H A. Huc perdere tā certū est mihi, quām me uiue.
 Sed nauci homo tanto meo non est satis
 Furori, insigne quiddam gestit facere. Quid
 Vos autores estis mihi? **P H.** Arripi iube
 Hominem, et suffigi in maximam malam crucem.
H A. Consuetū et puerile est. Hoc non saturabitur,
 Usq; adeò in me quæ feruet iracundia.
C A. Quin tu totum simul Iudæorum genus
 Ab radicibus euallis imis funditus? (cule
 Hoc uolo. **H A.** Reclie censes. **C A.** Eadem opera her.
 Qua Mardochæum solum, omnes extinxeris
 Iudeos. Quales sint, in hoc specimen habes.
 Superbus, contumaxq; populus, impiae
 Nouæq; leges, religio intollerabilis, (haec
 Nēpe Deūm cōtemptrix atq; hominū. **H A.** Propter
 Populus quidem perditione est dignissimus.
 Sed mihi aliud quoq; iam tandem in memorem uenit,
 Vah, ob quod crucior, quod non antè perierit.
P O. Quis ais? **H.** Amalechitarū (unde oriūdus sum
 Iudei olim exinxerunt propemodū genus. (ego,
C A R. Oh Iudei tuum genus! Iustissimas
 Iam iræ, simulq; uindictæ causas habes.
 Si non hunc perdis populum, nolo uiuere.
H A. Viues, confide, ingredior ad Regē. haud reor

H A M A N V S.

132

Me frustratum iri in re tantilla sed scies.
Vos opperimini hic me, donec exeo.

S C E N A V I I I .

Artaxerxes. Charsenas. Hamanus.

Hinc nonne uideor Charsena regnum meum
Confirmasse, & rebus consuluisse omnibus,
Hamanum qui mecum habeam, & dignitatis huc
Constituerim: c. h. Mihi quoq; uidetur Rex, idem.
Hoc duntaxat moneo, ne quid credas nimis,
Ne'ue illius arbitrio permittas omnia,
Et res ad omnes obsecundes ilico.
Homo est, humanis agitur passionibus,
Quibus uix reperias, qui non peccet, hominem.
Quapropter arbitror esse, Rex, consultius,
Credere quibusuis haec tenus atq; fidere,
Quatenus homines eos meminerimus esse, qui
Hodie hoc, cras uero aliud diuersum sentiant.

A. R. Recte hoc quidē. Mihi uero Hamanus iā satis
Perspectus est, uir cui quiduis recte queat
Credi, committiq; patris merito quem loco
Obseruo, ut faciam quae uelit modo omnia.

C. H. Utinam Diū fortunent, quae tu, quaeq; is facit.
Sed nimio amore ne pecces queso, uide. (tim)

A. R. Nihil opus est, sed ingreditur. h. a. Te perpe-
Rex, regnumq; tuum, sospitet et seruet salus.

A. R. Diū dent tibi quae uelis. Quid noster uult sibi
Hamanus: h. Parū equidē. Est q; in regni ac tuum,

ii 2 O Rex,

O Rex, consulere commodum uolo, si licet.
 A.R. Dic optime Hamane. nam te deditum scio
 Nostris semper, adeoq; regni commodis.
 H.A. Dabo operā Rex, hoc magis etiā ut appareat.
 Est autem populus omnes per prouincias
 Regni tui dispersus, & à se mutuo
 Disiunctus. is legibus atq; ceremonijs
 Alijs præ cunctis populis, utitur nouis,
 Dissidia ex quibus oriuntur & turbatio
 Populos inter uicinos, nec non oppida.
 Insuper & Regis scita contemnit, neq;
 Satrapæ ullius præfetiq; est dicto audiens.
 Nec tamen hominū imperia spreuisse habet satis,
 Sed cultum quoq; nostrorum contemnit deum,
 Vnum (nescio quem) solum confingens sibi.
 Rebus ut in diuinis humanisq; pariter
 Sint noxijs, impijg; et refractarij.
 Hominum hoc genus tua nouit prudentia.
 Satis superq; regno nequaquam tuo
 Prodebet, ut inualefac per licentiam.
 Si libet igitur cunctis præstare subditis
 Non uulgare aliquod beneficium, si omnibus
 Pacem & tranquillitatem uis prouincijs
 Statuere perpetuam, si cordi est deniq;
 Te decretaq; tua, satrapas simul & deos
 Aliquando uindicare à contemptu, & tuæ
 Facere ut leges seruentur ubiq; ex ab omnibus,
 Decerne, populus ut illicet radicitus

Cumq;

Cumq; ramento simul dispereat, & semel.
 Nec tanti fac tributa quæ ab illis accipis,
 Propterea ut malis omnes seditionibus
 Feruere, lateq; misceri prouincias.
 Aut omnino tributa si te commouent,
 Ipse meis cuncta dependam pecunijs,
 Talentum nemp; magnorum millia decem.
 Neq; ea mihi pensio uidetur grauis,
 Modo leges decretaq; conseruentur tua,
 Et pax prouinciarum constet omnium.

A R. Probè facis, optime Hamane, q; semper id agas,
 Quo pacto mihi regnoq; prosis maxime,
 Ac uel tuis pacem emere uelis pecunijs.
 Sed argentum quod policeris, sit tuum,
 Maneatq; tibi de populo autem age, quod collibet.
 Ecce meum habes literis signandis annulum,
 Sub nomine uti meo anuloq; omnes tibi
 Ad id satrapæ prouinciarum pareant.

H A. Gratiā habeo ô Rex. Studiose omnia execuar,
 Ut letteris tu, regnumq; tuum floreat.

Nunquid aliud uis? A R. Ut mancas similis tui.

H A. Nihil hoc quidē certius est. A R. Etiā ad pran-
 dium

Volo uenias. H A. Libenter. A R. Hinc quoq; Charse-
 Qualis uir, quātusq; sit Hamanus, perspici, (na,
 Ut regni emolumenta semper cogitet,
 Et dormiamus ut nos altum, ipse uigilet.

• H. Intelligo. Ceterum (uenia loquor tua)

Credulitatem facilitatemq; tuam oppido
 Miror, qui non quæstieris primum ex aliquibus
 Alijs, quis populus sit, quantarum uirium,
 Quibus legibus & quibus agat ceremonijs,
 Et an peccarit ea quæ Hamanus indicat.
 Deniq; an alijs prorsus nullis queat uijs
 Ad debitam perduci obedientiam,
 Aut corrigi. Præterea nequaquam absonum
 Fuisse æquitati, partem etiam alteram
 Audire, ne fors, causa & sanguis innocens
 Inimicitijs cuiusquam uel libidini
 Temere donaretur. A R. Ego Hamanum, Charsena,
 Eum esse uirum iudico, qui ad me falsi nihil,
 In iusti ue ferat, quiq; errare non queat.
 C H. Exitus hoc Rex probabit. Hoc mihi firmiter
 Persuasum exploratumq; est, nil mendacius
 Esse homine, & inconstantius. Sed cuncta Dij
 Secundent precor.

S C E N A I X.

Carphologus. Hamanus.
 Physotas.

Exit Hamanus. H A. Nunc tu quidem
 Viues Carphologe. C A R. Verum: H A. Immo uerisi
 Exterminandi sunt Iudæi funditus, (mum.
 Ut ut mihi placuerit. Hunc annulum uides?
 C A R. Video hercle. ita Dij faxint. discet tū cæteri
 Quale fit, Hamanum irritare & contemnere.
 P H. Gaudeo plane tibi vindicandi copiam

Esse

HAMANVS.

173

Esse datam. h a. Recte facis. Sed agite ocyus
 In sinum coram me iam sortes mittite,
 Quo mense anni quo' ue die gens interfici
 Debeat. c a. Ego recte tecum chartas attuli.
 p h. Signa notis. c a. Huius ego sum rei artifex.
 Age nunc, permisce. Sine me quoq; Tu uerte te.
 Iam clausis oculis chartularum unam excipe.
 h a. Quid est? c a. Hem mensis exiit duodecimus.
 h a. Nimis longum est. Sed quid faciam s diē quoq;
 Sortibus inuestiga. p h. In triginta chartulas
 Partes scinde, suisq; notis singulas nota.
 c a r. Scio, mox fecero. Iam nunc lege qua prius,
 Vnam accipe. h a. Quid nunc? c a. Quartus &
 decimus dies
 Obtigit. h a. Obtempero, quamuis longū sit nimis.
 Vos summas ex Iudeorum, iubeo, nece
 Sperare opes. Occisorum siquidem bona
 Decernam diripi. c a. Euge. Ne regem fore
 Video. h a. Sed ceſo adire scribas regios,
 Ut omnes quamprimum expediantur literæ,
 Inq; uniuersas mittantur prouincias,
 Et hinc præsertim iamiam edictum pendeat,
 Ut Iudeorum mox ubiq; gentium
 Scelestare recte turbentur myrmecia.
 Sed eo: uos prima me operimini domi.

CHORVS.

Est homo pernicies homini, uicinaq; pestis,
 Scorpius & serpens, est lupus atq; leo.

ii 4 Est

Est homini quoq; rursus homo lux, uita, salusq;
Id quod & ipsæ res dictaq; multa probant.
Verum hæc utrinq; augentur, quum forte potest
Rexerit aut iræ, siue fauoris equos.
Perdidit immerito permultos ira potentum,
Ceu ignis syluam, aut sæuus ouile lupus.
Et fauor è regione ad res promovit opimas,
Profuit & multis sepe potentis amor.
Recte hoc: namq; ideo est omnis collata potestas,
Profit ut, humanum promoueatq; bonum.
At satanas homicida ex Orco protulit illud,
Ut sit penè potens natus in exitium.
Bella mouent, cædes faciunt, utcunq; libido est,
Aq; illis fuso sanguine squallet humus.
Omniaq; insano gaudent miscere furore,
Caujam ob nullam: aut, si suppetit ulla, leuem.
Vt iam homini exitium non sit præsentius ullum,
Atq; homo, præsertim diues & ampla potens.
Aspides inter ages longe securius æuum,
Dipsades intantum nec nocuisse uolent,
Atq; homo, quum rabies illum præceperit iræ,
Et morem genio gesserit indomito.

A C T V S S E C V N D I,

S C E N A I.

Philarches. Polytlas.

Lubet ne Polytla, postquam iam pransimus,
Reuisere ad aulam: p o. Maxime. Periculum
Faciendum

Faciendum est, importunitate utrum queat
 Aliquid adipisci potius, quam iure omnibus
 Communi. P H. Immò fauore puto ac pecunijs
 Plus expugnaretur. Sed tamen tentanda sunt
 Omnia, post horam Hamanus aliud forsitan
 Sentiet, & mutius. Id spero. haud in tempore
 Conuenimus eum oportuno, si quidem mihi
 Videbatur non leuiter commotus. P H. Itidem
 Mihi quoq; uisum est, idq; apparuit magis,
 Relictis quòd nobis in quendam fortiter
 Palatij ante fores sedentem inuectus est.
 Paulo post animo defecato, aequior erit.
 P O. Opinor. Sed quid pandocheus noster tibi
 Placet: cæteraq; in suis diuersoria?
 P H. Sic sunt. Ferendum est. P O. Ita ne repellat ho-
 Peregrinos, qui præter teclū, cætera quidē spites
 Vt cunq; circunferre possunt? An timent
 Ne non simus soluendo? P H. In nobis haud puto.
 Sed delectum duntaxat suscipiunt genus,
 Neq; præter id alios. P O. Atqui putaueram
 Publica cunctis patere diuersoria
 Debere, ut apud nos in Babylone moris est.
 Totum fere oppidum, hospitium, lustrauimus
 Querentes, aliis porro excusauit aliud.
 Si ita semper commentis eludunt hospites,
 Oportet eos nequam esse homines, & nullius
 Civilitatis. Deniq; pandocheus, is ad
 Quem postremo diuortimus, prædo potius

Cēsendus est, quām hospes. Ita preciū quadruplex
 Pro prandio exegit, præstolabar diu
 Ut iniquis contradiceres rationibus.
 Dedisti quod poposcit, & ne gry quidem.
 Te dante primum, me quoq; dare oportuit.
 P h. Dandū est Polytla quidquid tandem postulat.
 Magnæ quoq; sunt insuper agendæ gratiæ,
 Si modo cupias homo uideri sobrius.
 Reclamando efficis ac recusando nihil,
 Nec plus quām si in catasta sis uinctus pedes.
 Aut truculenti sub tortoris dominio agas.
 Si quid mutis, uultum cauponis aspicis,
 Quasi intersecturi te, aut certe in carcerem
 Ducturi. Quare si homo uis eſſe commodus,
 Si aliquod tibi uis patere diuersorum,
 Da quod posceris. Ut non omnia pateant uides
 (Quantumuis etiam publica sint) quibuslibet.
 In aliud soli aurigæ admittuntur, aliud
 Soli equites possident. Rarus caupo pedites
 Amat, niſi uel mercatores fint, uel fium
 Oleant equinum, uel bene numamat ferant
 Turgentemq; crumenam. Siquidem cauponibus
 Præter lucrum prædamq; est charum nihil.
 Ex uultu, ex uestitu, ex incessu iudicant,
 An aliquid tibi præter iustum abradi queat.
 Si disflicueris, mercatores dictitant,
 Aut equites uenturos, ut nil tibi sit loci:
 Aut aliud comminiscuntur aliquid, ut foras

Trudare

Trudare, per omnes quamuis obsecres deos.
 P o. Id dicas, quod reuera hodie experti sumus.
 Sed illos Dij perdant homines famelicos,
 Erga peregrinos quotquot sunt eiusmodi, **C**
 Præter satrapas tecto dignantur neminem.
 P H. Hem mira solitudo circa regiam est.
 Age accedamus illum qui sedet ad fores,
 Et sciscitemur an Hamanum uiderit.

SCENA II.

Mardochæus. Philarches.
 Polytlas.

Miror quid sit, Cyrinus quod nondum à foro;
 Quò miseram redit. Iosephus forsitan
 Nequit inueniri, aut inuolutus arduo est
 Negotio, ut maneat Cyrinus, donec id
 Absoluatur. P H. Salve hospes. M A R. Salve tu quoq;
 P H. Quæso hospes, habes'ne nobis dicere ubi siet
 Hamanus? M A R. Intus opinor, nec enim egressus est
 Meridie. P H. Huc ad te nisi graue est, sedebimus.
 Quousq; egrediatur. M A R. Sedete, haud est graue.
 Vnde estis amici? P H. E' Babylone. M A R. Quid illic
 Iudei? P H. Suauiter, quod ego quidē sciam. (agūt
 M. Est' ne illis pax cū ciuibus indigenis? P H. Bona
 Quanquam sunt quidam, qui illis male loquātur et
 Velint: facerentq; fortassis, si copia
 Fieret faciundi. M A R. Perfacile id credo quidem.
 Nemo uel unus cunctis satis facere potest,
 Nec sine amicis, neq; sine inimicis uiuere

Possumus:

Poſſumus: alijs uidemur probi, alijs ſecus.

Vt libera, ita uaria ſunt iudicia hominum.

P O. Verum dicis. M A R. Quid attulistiſtis huc bonis?

P H. Nihil. Eſt utriq; paruum negocium.

M A R. Cōueniſtis Hamanū? P H. Cōuenimus quidē.

Sed noſtrarum impetrauimus rerum nihil.

Aliud agit, quām ut nobis conſultum uelit.

M A R. Hoc ſane, amici, iam queruntur plurimi.

P H. Sunt mihi literæ ſuper re quadam Regiæ,

Nec eam tamen licet adipisci. Hoc antea

In hac aula nō ſum expertus. M A R. Nec mirū. No-

Hamanus institutionem ab integro (uana

Condidit. In cunctis illi rex obtemperat.

Leges figit, refigitq; ut libido fert.

Decreta regis literasq; ſeruat, aut

Non ſeruat, ſibi prout uidetur commodum.

Negotium aliquod habentes cogit in ſuam

Verbis inuitos asperis ſententiam.

Contemnit inferiores atq; ſubditos,

Oneribus & multis grauans iniurijs,

Oppreſſis ius dicit nullum, atque neminem

A ui libidineq; superiorum eripit.

P O. Hec tu hercle mihi experta refers ac ueriſſi-

Truci aspectu, rufa barba, horrorem incutit (ma.

Atq; timorem cunctis, rei qui quidpiam

Qu e illi non placeat, habent. Insuper & carceres,

Vincula, turres, conſfestim crepat, ubi forte quis

Quod ad eius non faciat ſtomachum locutus eſt.

P H. Ne

P. H. Næ tu non regnum nobis, sed tyrannidem
 Pingis. M A R. Sic est. Habet & alias in hunc mo.
 Virtutes multas, quas dicere longum foret. (dum
 P. H. Scit' ne hæc Rex, et patitur: M A R. An sciat, e.
 In Susis est profectio nemo, qui nesciat. (go nescio:
 Sciunt & illi, quotquot ob negocium
 Huc uenerunt. P O. Experti nos scimus quoq;
 P. H. Quid homines? nunquid faciunt ut Rex omnis
 Resciscat? M A. Ille uero omnes obstruxit &
 Sepxit aditus ad regem, mirumq; in modum
 Cauet, ne qua actiones permanent suæ
 Illò. Ad regem alioqui nemo audet ingredi,
 Nisi uocatus: nullæ redundunt literæ,
 Quantumuis ad manus inscriptæ regias:
 Resignat Hamanus omnes, per legit, ad suam
 Dein commoditatem decernit omnia.
 Querentem contrà illum, exitium certissimum
 Susciperet. Est timori igitur & aulicis,
 Et alijs, haud secus ac frendens agnis lupus.
 Ad regem soli semper ingredi licet,
 Vocato & inuocato, solus omnia
 Apud Regem potest, dicens & innuens.
 P. H. Magnū uirū, & magnū nebulonem prædicat.
 Et, ut audio, nos quoq; uix quidquā obtinebimus.
 M A R. Non ausim polliceri, facite periculum.

SCENA III.

Cyrinus. Mardochæus. Phi-
 larches. Polytlas.

Orem

O Rem miseram & inauditam. ô nos perditos.
M A R. Vix tandem curriculo Cyrius aduenit,
Cur tam sero? ubi relinquis Iosephum? c y. Sine
Respirem. **M A.** Vah, quid tu tam palles & tremis?
C Y. Ut here breuiter dicam tibi: extincti sumus.
M A R. Deus meliora Cyrine. cur isthuc aies?
C Y. Proscripti sumus, & destinati ad inferos.
M. A quo cedoy? c. Haud dubium quin ab Hamano hoste,
Regis signo et nomine. **M.** Proscripti uero q? (sub
C Y. Ego, tuq; & omnes Iudei cum liberis,
Vxoribusq;. **M A R.** Heu heu Cyrine, rem malam &
Lachrymis doloribusq; plenam nuncias.
Sed unde scis? c y. Postquam hinc abiens ueni ad forū,
Iosephum domi conueni, cui tua
Exposui mandata, rogans ut mecum simul
Ad te iret. is se facturum dixit statim
Vt, quas scribebat, absoluisset literas.
Sto paululum expectans, mox clamor in foro,
Concursus, eiulatus. nos conterriti,
Stuporeq; pleni ad homines exiliuimus,
Rogantes quid sit. nemo uerbum, sed citō
Ad tabulam currere, nos sequi. Crudele ibi
Edictum pendebat, præ multitudine
Quod uix legere licuit. O quantus pectora
Nostra dolor percudit, inuasitq;. Concidit
Exanimis ante tabulam Iosephus. quem ego
Vix tandem recreatum rogo, det qui queam
Edictum describere, id ut adferrem tibi.

Dedit

Dedit, descripsi. Inter scribendum uero (quid
 Ego tibi dicam?) Iudæi clamoribus,
 Fletu, ploratu, ululatuq; insolito forum
 Replere: irridere inimici, atque plaudere.
 Ea ferè mihi perfregit cor acerbitas.
 Tremulis scripsi manibus, ut te uix arbitrer
 Legere posse. En habes. M A R. Heu totus horreo.
 Nil video, cæcutiuntq; oculi præ angustia.
 Lege tu. C Y. Faciam. Rex Artaxerxes maximus,
 Et cætera. Q uum imperarem multis gentibus,
 Et uniuersum orbem missem sub iugum,
 Volui abuti tanta haudquam potentia,
 Sed lenitate cunctos ac clementia
 Regere, ut uitam absq; timore illo silentio
 Agentes, optata omnibus mortalibus
 Pace fruerentur. M A R. Non mala sunt procœmia.
 C Y. Me autem querente meis à consiliarijs,
 Quo pacto hoc posset impleri, unus qui fide
 Sapientiaq; præcellebat cæteros,
 Eratq; post Regem secundus, nomine
 Hamanus. M A R. Ecce autē huius choragus fabulae.
 Hamanus. C Y. Indicauit per prouincias
 Regni omnes Iudaicum dispersum esse populum,
 Qui nostris non pareret unquam legibus,
 Sed contra aliarum gentium suetudinem
 Faciens, regum decreta uilipenderet,
 Et subiecti nobis populi concordiam &
 Pacem dissensione violaret sua.

Quod

Quod quum referente Hamano (qui prouincijs
 Praepositus cuncis, atq; alter meus est pater)
 Didicissimus, iussimus ut populus ille cum
 Coniugibus, liberisq; extirpetur, &
 Nulla ad uitam fruatur misericordia,
 Eiusq; ab inimicis diripiatur bona
 Quarta decima die mensis duodecimi.
 Die ut una descendentes ad inferos
 Nefarij homines, reddant nostro concordiam
 Pacemq; imperio, quam turbarunt haec tenus.
 Ah here quid hoc? Suppetias cito ferte obsecro,
 Exanimatur homo, Mardochæe animum rogo
 Resume. Spes aliqua restat adhuc in Deo.
 Cedo manum. p. h. Surge, nec animum despondeas.
 M A R. O interitum, ô calamitates semper sibi
 Succedentes nostras. Heu ut semper malum
 Aliud ex alio in nostrum uoluitur caput.
 Inuita etiam nos terra (uidetur) sustinet.
 Quid agimus? quo fugimus? quare periculum
 Euadimus? Quod refugium aut auxilium mali
 Quærimus, & inuenimus? Actum est, uiximus.
 C Y. Heu Mardochæe quid agis? Vos altrinsecus
 Tenete. p. o. Ah ne desperes pater, animo face
 Sis forti. aliquis deorum aut hominum opem tibi
 Feret. Multa fieri possunt duodecimum
 Anni huius ante mensem. M A R. Heu interiuimus.
 Hamanus hæc nobis parauit, hospites.
 Hinc coniuncto qualis uir siet, Utinam forem

Nunquam

Nunquam natus, ne calamitates has mei
 A spicerem populi. Hæc sunt quæ timui, & meum
 Fodicabant agitabantq; animum. P O. Multa hercle
 Amice rerum est uarietas, & equanimiter
 Quæ hominibus est ferenda. nunquam tam bonæ
 Res sunt, quin aliquid obrepere queat mali:
 Nec tam desperatæ, quin lux affulgeat
 Alicunde. Est quoq; miseros qui respiciat Deus.
 Et ego grauia sum passus, patiorq; hactenus.
 Post tempestatem hanc uehementem spero tamen
 Oriturum aliquando & fulsurum solem mihi.
 Te quoq; decet in bona esse spe, nec abiçere
 Animum. M A R. Consoletur te quoq; Deus meus,
 Afflictiones tuas misericordia
 Dignetur. Sed nostrum eheu maius est malum
 Et certius, quam consolatione quod
 Leuari queat. O dolor, o gemitus, has age
 Cyrene abiçiamus uestes, & lugubres
 Atraq; sumamus: sic fert rerum status.
 Puluere meum tuumq; conspergito caput,
 Ut miserias has defleamus maximas,
 Luctuq; nos ineffaci quidpiam
 Solemur antè, quam casus rapiat grauis.

SCENA IIII.

Carpologus

P R. et erijt prima, Hamanus tamen ut dixerat
 Nullus uenit. Reuiso in aulam, uti quid agat sciām.
 Referamq; bonum ei ex iudeorum luctibus

k. k. Nuncium.

Nuncium. At ohe etiam Mardochæus contumax
 Hamani contemptor nostri, ab animo excidit
 Priori, ut uideo, iam puto adoraret lubens,
 Genuq; flecteret, si fieret copia
 Literas retractandi. Euge nefarij homines,
 Vbi nunc leges, illeq; uester magnus Deus?
 Parere Hamano dijsq; nostris discite.
 Iacete in sordibus, donec ueniat dies
 Quo dolcamini. Euge: sed ad Hamanum eo.

SCENA V.

Mardochæus. Cyrinus.
 Atachus.

O Deus acerbam rem, illudi etiam ab hostibus,
 Aliosq; nostris gaudere calamitatibus.
 Ita ne semper nostris addis mœroribus,
 O hostis Hamane, ita ne tibi uisum est parum
 Euroreq; indignum tuo me perdere
 Solum, nisi & Iudaici generis quidquid est,
 Extinctum uelles. O me infastum hominē nimis,
 Perire solum cui non licet. Odium mei
 Populum omnem nostrum conficit miserrime.
 C Y. O nos miseris, buc unquā qui intulimus pedē,
 Escam secuti ceu in teclam foueam lupus.
 M A R. Quibus pereundum est, uniuersæ ijs eō
 Proficiunt res, nec se ratione queunt sua
 Tueri: querunt bona, sed inueniunt mala.
 C Y. Mirum, suę homines quod fidant prudentię,
 Qum humana etiam, sicut uolumus, nolint regi.

M A R. O

MAR. O Deus Israel, ita ne populum illum tuum
 Quem elegisti, & nominis in gloriam tui
 Creasti, iam tandem in finem usq; proijcis?
 Ita ne tibi placet ut conculcent impij
 Se iustiores? ut adoretur scilicet
 Haman us, tot hominum perire millia
 Iustum est? O mi Cyrine, quam sum ego nocens.
 O mater mea, quid genuisti? Non filium,
 Sed exitium, dolorem, & pestem totius
 Gentis. C. Y. Non est gens ulla credo tot malis
 Et calamitatibus usquam, quot nos subdita. (reus
 A. T. Hens Mardochæe. M. R. Ah, quid ego sole tot
 Animarum aspicio? A. T. Mardochæe audim?

M. R. Quid est?

A. T. Resciuit Regina dolorem & planctum tuum,
 Misit me querere, quid sibi mutatio
 Vestis uelit, & prorsus quid acciderit mali.
 Iussit quoq; animo te bono esse, induere q;
 Has uestes cultiores. M. R. Inimici induant
 Atache nostri, quibus ex uindicta gaudium
 Nascitur, anthracina fortuna nostrā decēt. (dipus.
 A. T. Mihi qdē hæc ænigmata loqueris. nō sum Oe.
 Dic, Reginæ ut possum referre, quicquid est.

M. R. Habere magnas me Reginæ gratias
 Dic primum, quod luctum non contempfit meum.
 Deinde, tam ipsam quam nos omnes traditos
 In mortem Iudeos, Hamani pessimi
 In iusto odio atq; machinationibus.

k k . Esse q;

Esseq; delendos cum uxoribus & liberis,
 In mense duodecimo, quarta & decima die.
 Quare meritò luctu lugemus maximo,
 Pro tam immani tamq; immerita nostra nece.
 In cuius testimonium hoc edictum habes,
 Quod illi defer. Dic me orare uelut patrem,
 Ut ingrediens ad Regem, uitam liberet
 Et omnium nostrum, & suam ipsius quoq;.
 Ipsam pro cunctis aliquid posse, ne bonam hanc
 Bene promerendi occasionem negligat.
 Me hoc dignitatis à Deo arbitrarier
 Ideo obtigisse, ut sit Iudeis omnibus
 Vna aduersus Hamanum salutis anchora.
 A T. Exponā hæc Mardochæe diligenter. M A R. Ah,
 Nec contemnat miseras has miserrimas.
 Tametsi speret fore se ab hisce liberam.
 A T. Dicā sedulo. M A R. Utinam Cyrine negotium
 Regina suscipiat. Si nolet, ô Deus,
 Interitus nobis imminent certissimus.
 C Y. Miror, quid animi habeat Hamanus, adeo qui
 Nostrorum multorum nihili pendit sanguinem.
 M A R. Rogas? Id quod potentes omnes impij,
 Qui quoniam contemnunt Deum, & mortalium
 Interitum nauici faciunt. Mundus corruat,
 Cædibus & bellis misceantur omnia,
 Sanguine sudet humus, dummodo ipsi florent,
 Proq; libidine uotisq; faciant omnia,
 Rem nullius omnino arbitrantur ponderis.

C Y. Ita

c. Ita fit profecto. M A R. Heu quām peccata nos grā
 Quām faciem à nobis auertit Deus suam, *Cuant.*
 Datq; in direptionem p̄dām q; omnibus.
 Nos in captiuitatem abductos esse non
 Satis est me aspexisse, nisi extremæ necis
 Non solum testis, sed causa quoq; authorq; sim?
 Væ mihi. c y. Me hoc peius ista habet proscriptio,
 Quod innocentes & falso sub nomine
 Damnatur. Vbi enim nos populi concordiam
 Pacemq; turbauimus? Vbi regis spreuimus
 Edicta, nisi quod ad religionem attinet?
 In qua Rex edictis magis peccat suis,
 Quām nos inobedientia. Non possumus
 Religionis nostræ leges non omnibus
 Regum anteferre edictis, iure Deo homines
 Cedunt. Sed magna ubiq; hominum est insania.
 Et montes & maria & terras, ipsum quoq;
 Deum cedere sibi uolunt, & legibus
 Constringere. M A R. Verum dicas. Sic insania
 Furoreq; Hamani, non merito proscribimur
 Nostro. Nunquam probi bono sub nomine
 Perierunt: nec querit mundus quo nomine
 Damnet, sed ut damnet. Ad hoc facilius nihil,
 Quām nomen falsum quodlibet configere.
 Sed reddit Atachus. Utinam aliquid spei adferat.
 A T. Exposui Mardochæe sermones tuos,
 Ediculumq; dedi Reginæ, quæ plurimum
 Sane, ut res fert, est inde conturbata, nec

Se scire (inquit) quo pacto consulat rei,
 Tametsi maxime & cupiat, et opus siet:
 Neq; enim audet non accersita ad Regem ingredi,
 Nisi uelit iuxta legem continuo mori.
 Et hoc minus, quod per triginta iam dies
 Non est uocata. Decreuit mortis tamen
 Potius periculum subire, quam tuum
 Mandatum, populiq; salutem negligere. Vos
 Interea iussit sumnum suppliciter Deum
 Precari, ingressa ut contra legem, regis &
 Clementem animum et mitem experiatur, et queat
 Virgæ contactu uitæ habere copiam.

MAR. O Atache, uix queo præ lachrymis dicere,
 Fortis quam iste animus Reginæ placeat mihi:
 Nec fortis solum, sed etiam populo bene
 Volens. Confortet in hoc illam Deus meus.
 Dic ita pergit, nec auxilium metuat Dei
 Desore, quem nos quoq; supplices precabimur,
 Suam à nobis auertat iracundiam,
 Magnamq; det illi coram Rege gratiam.

A T. Ita facite, et ualete. MAR. Utinā Atache liceat.
 Reuocauit animum Regina meum paululum
 Cyrine. C Y. Aderit Deus populo, & uerbo suo.
 MAR. Age uade, & expone hæc Iudeis omnibus,
 Deumq; ut orent dic quam possunt maxime.
 C Y. Faciam. MAR. O Deus noster, multum pecca-
 Quare iusta in nos est tua iracundia. (uimus,
 Sed nostri Domine miserere, & placabilis

Seruus

Seruis esto tuis, propter nomen tuum:
 Ne nos in Hamani & inimicorum des manus,
 Consilia illorum aduersum nos frange ô Deus.
 Ne dicant, nostra manus excelsa prout lubet,
 Vertit potenter, & reuertit omnia:
 Nec nullus est Deus, qui seruet aut tegat,
 Quos nos insontes destinamus perdere:
 Praeualeat gloria & nomen sanctum tuum,
 Credentibus in te crescat ut fiducia,
 Quandoquidē propter te & uerbū & cultū tuum
 Nobis irati sunt, & auent disperdere,
 Quos tu in nominis elegisti laudem tui
 Hadassam sublimasti, omnem Domine Deus
 Supra nostram spem, da nunc illi gratiam
 Ingredienti ad Regem quæso, ne turpiter
 Et illa è sublimi cadat, & in sibilum &
 Derisum spes nostra in te ueniat, & salus.

SCENA VI.

Polytlas. Philarches. Hamanus.
 Carphologus.

Huius profecto me uiceret uiceret senis,
 Iudaiciq; populi, in tantas repente qui
 Calamitates incidunt. p. H. Et me. sed ita status
Rerum est humanarum. Nullum tantum est malū,
Quod homini non sit expectandum. Plus mali
In uita quam boni experimur: aut bona
Gerte multa, insigni aliquo complentur malo.
 Demiror quando tandem Hamanus egredi

kk 4 Velit.

Velix. Sed ecce illuc ebrius incessitat.
 P.O. Profecto ebrius est. O egregium columen &
 Anchora regni. Hodie iam nihil impetrabimus.
 P.H. Quid ab ebrio impetres, nisi in te ut corruat?
 H.A. Aini tu uestem mutasse Iudeos, male &
 Afflictos & tlistes sedele in puluele?
 Tene ne cadam. C.A. Aio, & Mardochaeū illū quoq;
 Tuum contemptorem. H.A. Lecte pel pessicu
 Ignem. Sic Mardochaeus haeticus sciet (num
 Quid sit adolale Hamanū. P.H. Adsumus, adhuc bo
 Princeps sperantes responsum. H.A. Aliud non licet
 A' me impetrale lessponsum, quā quod dedi(nū fidē,
 Baba, ite domum consulo. P.H. Proh deūm & homi
 Quales nonnunquam homines magnis negotijs
 Præficiuntur. manè furiosi, uestperi
 Vino probè madidi: ut quandocunq; uenias,
 Nihil agas. P.O. Ego ferè rumor præ ira miser.
 Ita ne non obtinere posse ius meum?
 O quam dijs, ille fruitur facilioribus,
 Iniuriam qui facit, & conturbat homines,
 Quam qui patitur, & rectis ingreditur uij.
 Eamus ad prædonem nostrum, ut is quoq;
 Si quid adhuc reliquum est ambobus, auferat.

SCENA VII.

Mardochaeus.

Hei nobis ô Deus, nos lamentamur &
 In summa spiritus agimus angustia.
 At contrà hostes nostri, & Hamanus pessimus,
Salse

Salse derident nos, uino & conuiuijs
Indulgent. Respice nos tandem Deus meus.

CHORVS.

Mvndi iustitiam laudibus efferunt
Qui nunc immodicis, an quoq; nescio
Digni laudibus ullis,
Poſſint iure uiderier.

Quid laudant etenim tantopere? an placent
Confictæ species, uanaq; ſomnia
Rerum: Nomina forſan
Mirari ſine re ſolent.

Quo tandem in populo, uel quibus in locis
Rectis corde bene eſt, atq; malis male?
Rectores ubi curant,
Iusta ac æqua dare omnibus?

Regnare improbitas atq; doli mali,
Vulgo certa hominum regnat iniquitas.
Fures omnia complent,
Regum aulas, fora, compita.

Prædonum insidijs non uia publica
Solum audit male, ſed tecta habet urbium
Cauponarius hospes,
Prædones ſuperans uiae.

Conturbans homines, aut male uerberans,
Affligens' ue malis artibus improbe,
Iusti nec faciens, nec
Quidquam perpetuo uolens,

Is uir cum reliquis dicitur optimus

kk 5 Mundi

Mundi iudicio, per forum honoribus
Ornatus spaciatur,
Contemnens digitis probos.

Diuexanit oues, pax bona uiperis,
Et nemo temere laserit aspides,
A serpentibus unus
Longe quisq; tenet manus.

Sic pax nulla probis, sed nebulonibus,
Impostoribus & prava gerentibus,
Ad uotum(malum) ubiq;
Succedunt facile omnia.

Sub regno Satanæ non aliter licet
Sperare, hoc Salomon atq; Prophetici
Vates sæpe queruntur,
Ipse res quoq; concidunt.

Quare quisq; probus querere desinat
Mundi iustitiam, dignaq; præmia
A regno Satanæ sed
Speret iustitiam Dei.

ACTVS TERTII,

SCENA I.

Esthera

Oratione Estheræ. Domine Deus noster, quem solum nouimus,
ad regem ingred. Assiste nunc ingredienti ad Regem mihi,
Golentis. Adiutor Israëlis in omni tempore.
Sine te in mundo magnum mihi est periculum,
Morsq; ipsa iam oculos ante obuersatur meos.

Sed

Sed ah Deus noster me miseram protege,
 Daq; mihi immitti coram Rege gratiam.
 Iuslus tu quidem es, in inimicorum quod manus
 Nos tradideris, nam multum tibi peccauimus:
 At Domine misericors & clemens, sit satis
 Aliquando afflictionum nostrarum o Deus.
 Noli penitus hæreditatem omnem tuam
 Delere, oraq; claudere te confitentium,
 Ne gentes Idolorum fortitudinem
 Et impietas contra te laudent suas.
 Memento quid patribus nostris promiseris,
 Memento quid deceat nomen sanctum tuum,
 Nunc & in afflictione nobis subueni, &
 Loquendi magnam da mihi fiduciam,
 Ab interitu uti liberemur, & tua
 Etiam inter gentes innotescat gloria.

SCENA II.

Philarches. Polytlas.

No est desperandum Polylas, forsitan
 Nostra importunitate motus, deniq;
 Faciet quæ uolumus. P o. Aut irritatus magis,
 Et dicet nobis omnino aut faciet male.
 P h. No arbitror. P o. A ta truculento aspectu boni
 Vix qdquā obtineas. P h. Vade rogo tu ad regiā, et
 Ybi sit inquire, ego cauponē absoluam interim
 P o. Ita facito, omne meum tibi reddidero domi.

SCENA

Esthera. Atachus.

IN magnum ô Atache memet iam periculum
Conijcio, magnum & horrendum molior opus,
Quod uel uirile cor formidet aggredi.

A T. Confide Regina, aderit tibi Deus tuus,
Remq; bene uortet. E S. Et nisi ille quidem ferat
Suppetias, & numine dextro iam adsit mihi,
Actum est. Hominum is solus consilia dissipat.
Inq; sua regum corda continet manu,
Potestq; citò quocunq; uult conuertere.
Aduersus quem callida nil consilia ualent,
Omnisq; frustra intenditur prudentia.

A T. Is quoq; te liberabit, & populum tuum,
Quod ego quidem et certa concepisse, & precor.
E S. Pro hac spe & uotis is quoq; beneficiat tibi.
Certum est illius me fidei committere,
In hunc immeritam quoq; qui me posuit statum.
Graue erit Regi suam iugulare coniugem.

A T. Grauissimum. nec committet. multum quoq;
Regalis hic ornatus addet gratiae,
Ut iunctis ceteris Regi placeas magis.
Et quamuis monitore haud egeas, moneo tamen,
Tristitiam ut omnem in imo condas pectore.
Oculi sint hilares, ac residentes: status
Et qui maiestatem deceat, & gratiam:
Vultus iucundum quid totus præ se ferat.
Homines tristes tetricosq; nec reges amant,

Nec

Neq; dij, nec quisquis recta sapit mortalium.
 s. Scio Atache, & consilio in his parebo tuo.
 Quanquam sanè perdifficile est, tantum premi
 Corde dolorem posse, & coniunctum maximè
 Mortis timori præsentis: faciam tamen.
 Tu age interea conuiuium instrue, ut decet,
 Mensamq; adorna .nanq; Deus si fauerit,
 Regem huc me ducturam spero ad conuiuium,
 Ut inter pocula illi exponam, quid uelim.
 A.T. Recte feceris. ego mea curabo probè.
 s. Sequimini hac me puellæ. adesto mihi ô Deus.

SCENA III.

Artaxerxes. Charsenas.

Esthera.

H Amano nostro tu profectò plurimum
 Aduersaris, nec animum inducis idem de eo
 Sentire quod ego ô dij, dic causa quæ siet?
 C.H. Nil ille uero me læsit, nec quod loquor
 Villo ex odio proficiscitur: sed inde, quod
 Plus te, regnumq; tuum, quam Hamanum diligam:
 Tibiq; potius, & regno, quam illi bene uelim.
 A.R. Hoc tu quidem rectè facis. sed hoc quoq;
 Vellem, diligeres quoscumq; ego diligo.
 C.H. Facio & hoc Rex, mea quatenus dilectio
 In te concedit. nunquid aduersarios
 Me uis tuos diligere? A.R. Nequaquam hoc quidem.
 Sed num tu Hamanum dicas aduersarium?
 C.H. Non dicam, si non fuerit. te latet, scio.

Siquidem

Siquidem eius actiones nemo tibi refert.
 Ego sane Rex (credas uelim) te maximum ut
 Regem esse cupio, ita & clementem & beneficium,
 Iustumque & subiectorum amantem lubens
 Audirem dici. istis etenim uirtutibus
 Regni stabilitatem acquiruntur, & fauor.
 Es tu quidem talis per te, sed omnia
 Tuo sub nomine regit Hamanus, non satis
 Pro uirtutibus & recta natura tua.
 Acerbe multa, multa quoque crudeliter
 Et inique consulit & decernit. aliquibus
 Adimit sua ui, suisque donat asseclis.
 Iudicia exercet neque iure neque legibus,
 Sed pro arbitrio determinat suo omnia.
 Ex his alijsque odium populi conflat sibi:
 Nec soli sibi, sed etiam tibi. quippe populus.
 Illius omnia abs te proficiunt autumat:
 Teque fieri quae fiunt, iusque omnia.
 Neque errat omnino populus, quod regibus
 Tam bona praefectorum quam mala opera imputat.
 Etenim regum est, non solum ut ipsi sint boni,
 Sed etiam praefectos ut praeſcient bonos.
 Nihil enim regum populo integritas proderit,
 Si satrapis omnis permisca sit iniquitas,
 Qui regis nomine administrant omnia.
 Hamanus igitur glorie haud seruit uae,
 Nec nomini, nec honori: sed magis tibi
 Vquam illus quam alius aduersarius nocet,

Odium

Odium populi in te iniquitate concitans,
 Ut multæ ubiq; declarant querimoniæ.
 Sed regina foris. A.R. Vbi ingredere coniunx mea.
 Ne timeas. charior mihi es, quam ut te quoq;
 Lege alios propter lata constrictam uelim.
 Accede, & tange sceptrum. quid narras mea
 Estheræ charissima? que est tua petitio?
 Etiam regni si partem dimidiari petas,
 Non patieris repulsam. E.S. Si quam gratiam
 Coram te domine mi Rex inueni, & tibi
 Placet, uenias cū Hamano ad me hodie obsecro, ad
 Coniuium quod præparaui. A.R. Hoc tu quidem
 Mea Estheræ facile impetas. Heus Harbona,
 Accerse citò Hamanum, ut Reginæ obediatur
 Voluntati. simul ac Hamanus uenerit,
 Regina, ad te simul ibimus è uestigio.
 Tu interea nos paratis expecta omnibus.
 E.S. Gratiā habeo domine mi Rex. nulla erit mora
 In apparatu. ueniat Rex quando uelit.

SCENA V.

Philarches. Polytlas. Hamanus.
 Harbonas.

Quid aīs? P.O. Illum uenisse hodie in aulam negat.
 Domi esse aiunt. P.H. Eamus ergo, & ad fores
 Illic expectemus. P.O. Placet. H.A.M. Regina me
 Ergo coniuium cum Rege expetit sibi?
 HAR. Prorsus. H.A. Et id nominatim aīs? A.R. Vix
 uerbulum

Ad

Ad regem, exemplō mentionem illictui. (cule,
 H A M. Quod tanto habear in precio, gaudeo her.
 Ut me Regina coniuiam p̄e cæteris
 Velit. H A R. Neq; uero quisquam est inter aulicos
 Honoratior uno te, neq; potentior.
 H A M. Verum dicas. eamus, ne simus in mora.
 P O. Ecce tibi ille obuiam. P H. Festinat, nescio
 Quò, tamen alloquar. Oro princeps uerbis tribus
 Nos audi. H A M. Neq; tribus, neq; quatuor. mihi
 In aulam iam properandum est ad coniuium.
 Cur non itis domum? dixi uobis semel
 Nihil impetraturos. P H. At nos melius adhuc
 Speramus. H A. Transem spem fuetis hercule.
 P H. Ah princeps non ad hunc agas modū obsecro.
 Si saltem redderentur Darici mihi,
 Vt cunq; repulsam ferrē. H A. Iterū atq; iterū aio, ne
 Sitis odiosi, quam primum discedite.
 Maioribus occupamur iam negotijs,
 Quām quicquam nugas uestras audire ut uacet.
 P H. Dij immortales, quid futurum est deniq;
 Polytla? Et hodie iam nil præterea agimus.
 Vereor enim ut Hamanum nobis coniuium
 Iterum ebrium reddat. Ego quoq; despero rem
 Propemodum, toties frustra compellans. P O. Mihi
 Stat sententia p̄e ira & animi ægritudine,
 Ut pensilem me faciam. P H. Isthuc faxis caue,
 Ne fiat quod tuus cupid aduersarius.
 Tucamur nos quibus tandem quimus modis.

Spe

Spe quamvis falsa, & animi magnitudine,
 Nondum nos soli tristamur & affligimur,
 Nec solis res non cedunt ex sententia.
 Per tecta ex alto in omnes si inspiceres domos,
 Paucas uideres uacuas a mœroribus.
 Forsitan & in ipsa regia, non omnia
 Secunda sunt: adeo mala sunt communia
 Summis & infimis. p o. Utinam in conuiuio
 Quod primum biberit Hamanus, fiat toxicum.

SCENA VI.

Artaxerxes. Charsenas.
 Hamanus.

EN Charsena & Reginæ Hamanum diligit,
 Magni facit, & inuitat ad conuiuum.
 Tu solus aduersus illum multa congeris.
 Nonne mihi & Reginæ, qui tanti pendimus
 Hamanum, te consentire & quius foret,
 Vtliusq; tibi, quām multis contrā queris?
 C h. Fateor Rex, si mea in his solius quærerem,
 Et non tua potius regniq; commoda.
 Porro quum ita se gerat Hamanus, uti sit tibi
 In dedecus, in suspirium prouincijs,
 Quid faciam aliud, nisi amicus ut sim tibi magis,
 Et regno, quām illi? A R. Quid multa loqueris? caue
 Verbum posthac aduersus Hamanum proferas.
 Aliud quām ego & Reginæ, noli, si sapis,
 Sapere. C h. Queo Rex ne irascare. ego fidem
 Apud te liberare meam in his debui.

Vivat Hamanus, consilijs teq; beet suis.

A.R. Ita dic potius. C.H. Necesse est. A.R. En lupū tibl
In fabula. H.A. Salve Rex perpetuum. A.R. Venis
Hamane. te regina conuiuam cupid.

Age eamus, iam diu nos expectat scio.

CHORVS.

Vos quicunq; mali iustitiae vias
Et præcepta Dei spernitis impiè,
Viuentes hominum in perniciem omnium,
Fiat nefario ut uestro animo satis.
Vos inquam moneo, ne nimium bonis
Fortunis temere decipiamini: &
Quod uotis melius singula prospere
Vobis eueniant, & nihil omnium
Aduersæ incutiat sollicitudinem
Fortunæ, quasi ob id uestra Deus probet,
Et poenas scelerum reddere deneget,
Nec curare uelit quisq; quo agat modo.
Is uero uigilans annotat in librum
Quicquid nefariè, quicquid & impiè,
Quicquid uel scelerate atq; tyrannicè
A' uobis agitur, quo meritas suo
Poenas tempore det tardigrado licet.
Certe dum bibitur, luditur, estur &
Cantatur, bene dum uiuitur, & mali
Dum feruet studium, perpetue interim
Prauos certum & atrox iudicium manet
Mortis, que ante choris sepius exitum,

Securos

Securos rapit, & trudit ad inferos,
Ira exempla Dei constituens malis.

ACTVS QVARTI,

SCENA I.

Carpologus. Physotas.

A Ed e pol equos per quam elegantes. sat placent
Physota. Sed mancipia tibi cuiusmodi
Videntur: P H. Eximia. hoc sanè pecuniae
In equos mancipiaq; collocasti per bene.
Sed quid tibi uis his emptis: C A. Ridicule rogas.
Babylonensis præfectura postulat.
Mutatur ordo uite, mutanda est quoq;
Vitæ ratio: cundum in equis, serui plusculi
Ducendi, persona alia gerenda, sumptibus
Minus parcendum: ut quandoquidem illic nomine
Sum Regis præfuturus, in me regiæ
Etiam maiestatis non nihil appareat.

P H Y. Hæc tu quidem belle sed Regis litteras cror.
Nūquid habes: C. Nondū: nec magnopere illas mo-
P H Y. Quāobrē: C A. Hamani sole sunt satis mihi.
P H Y. Illius ergo habes: C A. Nec illius quidem.

P H Y. Tuam profectò demiror fiduciam,
Qui rem quasi ad certam mancipia et equos emas.
C A R. Quasi ad certa ait: Ego uero reor certissimam.

P H Y. Tametsi nullus dicas, emptio indicat.
C A R. Phy. Promisit Hamanus. nū mendacē putas?
P H Y. Non. cæterum multa inter offam et os ferūt

Interuenire posse, non semper homines
Stant promissis, tametsi maximè uelint.
Namq; duo ad ueritatem facti pertinent,
Primum uoluntas prompta, dem potentia:
Alterutrum si defuerit, efficis nihil.

C A R. Times forsitan Hamanus ut possit nihil.

P H Y. Non nihil ô bone, sed nō omnia. C. Nō omnia?
Tantundem omnino quantum uel Rex maximus.

P H Y. Fortasse. C A. Apage sis. Me(uideo) dubiu a-
Libenter uelles facere. sed frustra hoc agis. (nimi
Mihi est Sibyllæ folium quicquid dixerit
Hamanus, hominum qui uiuunt longe optimus.

Pro literis tamen illum conueniam modò,
Ne obliuioni tradat, & ego risui

Sim. Quo tu nunc is? habeo gratiam tibi,
Quod in emptione fideliter me iuueris.

P H Y. Benigne factū. C A. Quim tu mecum unauenis,
Visisq; quid agat? P H. Necq; sane est quod agā pri-
us. Recte mones.

SCENA II.

Hamanus. Zares.

Cvr non aduorsum omnes mihi
Venistis: Furciferi, uacerræ, stipites.
An officium quod nam sit uostrum, uos fugit?
Age commonefaciam pulchre, loreos
Cum reddidero. non unam rem dici semel
Satis est, nisi eandem nullies obganniam:
Rapite hos inquam lorarij, adq; sanguinis

Loris

Loris operite usq; profluvium. Z A. Ah rogo
Mi uir, ne adeo impotenter his succenseas,
Ego detinui ne irent datis negotijs.

H A. Audio. quid tu autem seruos detines meos,
Quo minus eant quo uolo: Z A. Nūc quidem ita res
Noli temulentiam uel iracundiam (tulit.
Si quam foris concepisti, in seruos domi
Effundere. H A. Et tibi os pugnis tundam probē.
Nisi taces, et abis, et res componis tuas.
Z A. Aum mi uir, abiero potius. H A. Sapies magis.
Abducite, quid statis: Z A. Magna hercle miseria
Non satis esse uiris bene foris agere, bibere, (est,
Coniuari, ludere, nisi et ebrij domum
Cum uenerint, in sobrios insaniant;
Omnemq; si qua est obiecta, ægritudinem
In seruos, ancillas, et uxorem euomant.
H A. Propè iam hercle murmur istud cōprimā tibi.

SCENA III.

Caphologus. Hamanus.
Phyfotas. Zares.

H Em clamat Hamanus intus, iracundia
Quasi commotus. H A. Docebo seruos, te quoq;
Nisi compescis linguam, imperium quanti meum
Sit faciendum. Si non foris domiq; pro
Imperio omnes meo ut faciant, perfecero, (de
Malè dispereā. C A R. Salue princeps. H A. Ex perf-
Proscriptione gentis exemplum petat,
Quicunq; fuerit ausus me contempnere.

c. Salve princeps. h a. Gēs tota propter me perit,
Et me mei haud recte curabunt seruuli. (quidem
Agite sultis. p h. Princeps salve. h a. Et ne adhuc
Homo Mardochæus nihili flectit mihi genu.

Proh pudor. Ego quid sit faciendum uidero.

C A R. Mitte iram, & ad amicos tuos iam respice.

h a. Ehem, adestis uos, nil uidi præ iracundia,

Adeò sum incensus. C A R. Quas ob causas? h a. Et
graues,

Et multas. c a. Credo equidē. nam nō nisi maximis
Soles moueri. at illis dij faciant male,

Sicuti certe faciunt, irarum qui tibi

Materiam suppeditant. uerum scire ne licet

Quid sit? h a. Quidni? Cupiebam Hercle rediens
domum,

Aut uos aut alium aliquem cui narrarem dari.

Quippe ferunt animi conceptam ægritudinem

Leuius ferri, si quis amicis eam, ut oneris

Partem totius aliquam, communicauerit.

Sedete ergo, ut uobis denarrem singula.

Ades dum uxor, & ausculta quid sit rei.

Vah præ ira uix narrationis initium

Repperio. p h. Quid si diuinem quis te usserit?

h a. Diuina si potes. p h. Num Mardochæus est?

Nam illum antè nominasti. h a. Recte. Teneo iam

Principiū. c. Ille' ne maledictus adhuc molestus est?

h a. Scies. hodie Regina me ad conuiuium

Cum Rege uocauit. C A R. Regina ad conuiuium?

H A. Ita inquam. Sed porrò, audi. accubuimus simul
 Ego, Rex & Regina soli. Splendidum
 Opiparumq; nimis erat conuiuum, utpote
 Magnifice & apparatu instructum regio.
 Regina intentis me intuebatur oculis,
 Subridens nonnihil: ita tamen, astantium
 Ut nemo neq; Rex illud posset cernere.
 At satis erga me animum declarauit suum,
 Quod mihi secundū Regē summe bene uelit. (mus.
 C A R. Nec immerito hercle. es enim uir lōge maxi
 H A. Ita opinor. Epulauimus inde Sybariticè:
 Græco more bibimus, propinante mihi
 Regina. P H. Non Regi primum: H A. Primum quidē
 Regi, sed nihil illud commemorare est opus.
 P H Y. Scio, perge. H A. Quid iā uobis dicā cæteras
 Iucunditate & lætitia conuiuum
 Finiuimus. Regina pōst magnas mihi,
 Quod esse sibi coniuua dignatus forem,
 Agebat gratias. P H. Haud dubium, quin diu
 Vultum desiderauerit aspicere tuum.
 H A. Videlur. Sed mane, nondum audisti omnia.
 Subiecit Rex, pōst quam uino incaluit satis,
 Pete iam Regina quidquid uis. nam dabo tibi,
 Tametsi regni partem dimidiā petas.
 C A R. Satis munifice. Expecto quid petierit.
 O si huiusmodi mihi daretur optio
 Quiduis petendi uel semel, facerem. mihi
 Petitione unquam ne esset opus altera.

Quid illa? H A. Dicam. Vultu ad gratiam
 Composito atq; sereno pro munificencia,
 Regi primum egit gratias: deinde, si
 Placet, inquit, o Rex uenias oro cras quoq;
 Ad me cum Hamano, ad (quod parabo) prandium,
 C A R. Quid ais? Mirum quin iam tandem cognouerit
 Qui uir sis, in rebus quod dicit maximis,
 Te esse sibi coniuam, & tuo aspectu frui.
 Audit uidetq; te ad Regem ingredi & egredi
 Solum, tuo q; solius nutu omnia
 Gubernari, inq; tua uitam & mortem manu
 Consistere, quid faceret aliud? Et ipsa te
 Propius noſſe & amicitiam percupit tuam.
 H A. Eadē et ego auguror, & inde magis ac magis
 Mihi placeo. P H. Neg. Iſt huc iniuria hercule.
 Quid posteā? H A. Tantum addidit, cras, inquiens,
 Porrò uoluntatem aperiam Regi meam.
 C A R. Scio, petitura etiā quid sit perēdie, (prandīū.
 H A. Quid' nā? C A R. Ut poſtridie quoq; uenias ad
 H A. Vereor ut poſsim. C A R. Cur? More cōſulo ge-
 H A. Eo ſanē die in Babylonem ire statui. (ras.
 C A R. Ohe in Babylonem? Propter me fortassis, ut
 Illic me ſatrapam facias? H A. Non ob id quidem,
 Quamuis eadem fieri tum poſſit opera. (dicio.
 C A R. Ego equos modo, & H A. Sine perorem, poſt
 A' Regina igitur bene poti ita diſceſſimus.
 Multa ibi ego mecum animo uersans, Regis animū
 Et Reginæ erga me bencuolentissimum

Non potui non magni æstimare: tum quoq;
 Quod præterea opibus possum, et potentia.
 Mei in magnam perduxit me fiduciam,
 Fortunæ quoq; porrectas video et identidem
 Porrectiores gloriam ad meam manus,
 Ut me hominem censem iure beatissimum.
 At si quid forte de me sentio nimis,
 Si quid me gero magnificentius ac addebet,
 Docete, ut intra me meos contineam terminos.
 At qui scitis quanta mea sit possesio,
 Quot qualiaq; prædia, quot armenta et greges,
 Quot oppida populiq; seruant mihi,
 Quanta sit auri puri argentiq; copia,
 Quam domus hic mea parum differat à regia.
 His adiçite fœcunditatem uxoris, et
 Fœlicem liberorum numerum, qui domus
 Vel soli sunt fœlicitatisq; anchora.
 Meam nec stirpem quisquam contemnere potest,
 Cuius maiores gesserunt diademata,
 Ut nobilitate etiam antecellam cæteros,
 Quoscunq; Rex habuit aut nunc satrapas habet.
 His omnibus addite, quantis Rex honoribus
 Me illustret, ut charum atq; patris me habeat loco,
 Ut omne regnum commendauerit mihi,
 Ut faciat quæ me cognoscit uelle, omnia,
 Ut ingressum mihi liberum permiserit,
 Etiam inuocato, quod sanè alij nemini.
 Accessit iam huc quoq; Regine immensus fauor,

Quod me hodie solum cum Rege ad coniuinum
Vocauit, & in summis habet beneficijs,
Ut cras quoq; ueniam. Qualia uos omnia haec
Putatis esse? Quid ait uxor? Z A. Sat bone
Sunt res nostræ. Dij faxint perpetuæ ut sicut.
Placere Regi & Reginæ, non ultimum
Rerum esse nostrarum uidetur commodum.

H A. Quid tu Physota: P H. Magnifica sunt omnia
Quæ narrasti, nihilq; est quod tuis queat
Fortunis addi, nisi etiam in Regis locum
Aliquando succedas: quod dij faciant precor.

H A. Carphologe quid putas? C A R. Beatitudinis
Omnem meritò solus numerum asscutus es,
Et ad deorum solus uitam proximè
Accedis: quin te reor agere foelicius,
Quam in cœlis unquam supremus agit luppiter.
Si saperet Rex, uelletq; dignum quidpiam
Pro meritis facere tuis, aram atq; uictimas
Tibi dicaret, numenq; tuum æquè ac Persicum
Coleret ignem, quod enim sol est in æthere,
In regno tu Persarum id es cumulatius.

H A. Recte dicas. Rex solo etiam me nomine
Præcellit: cætera in me augustiora sunt. (riete

C A R. Prorsus. Rex sine te umbra esset picta in pa-
Minus etiam. Atq; hoc scitur publice ab omnibus.

H A. Ecce autem ego hic beatus, & dijs similior
Quam hominibus, Regis & Reginæ amicus, &
Pater hodie descendens è palatio,

Non

Non sat magnificè comitatu instructus fui.
 Nam duo soli sunt me secuti seruuli,
 Alios hæc bona mea uxor detinuit domi. (ter
 Quod postquā animaduerti, haud equidē uulgari-
 Cōmotus sum. At missum hoc faciam. Posthac mihi
 Si factum fuerit. nolo plura dicere.
 Deinde progradienti omnes quum assurgerent,
 Genuaq; mihi satis reuerenter flecterent,
 Solus iterum iste scelestus Iudeus sua
 In pristina permanxit pertinacia.
 Non solum non surrexit, sed neq; de loco
 Me prætercunte se, quicquam mouit: sed ex
 Sacco limis fronte rugata aspiciens scelus,
 Meam nec dignitatem maximam, neq;
 Calamitates in quibus est, perpendit suas.
 Quid mihi diuitiae, quid opes, quid potentia,
 Quid maiestas & honos, quid Reginæ fauor
 Regisq; prodest: aut quid omnis deniq;
 Me satraparum nobiliumq; reuerentia
 Iuuat, Iudeus iste si turpisimus
 In contumeliam atq; contemptum mei
 Affectatum, diutius ad palatijs
 Fores sederit? Ante mihi terram maelim
 Dehiscere, quām contemptum tantum perpeti.
 P. H. Veniat sine duntaxat mensis duodecimus,
 Cum cæteris & isthuc vindicabitur.
 H. A. Egó ne in hoc mensem maneam duodecimum?
 Sudemue hanc tantisper feram in oculis ita

Quotidie?

Quotidie? Haud possum. Nec potus nec cibus
 Iucundus erit, donec Iudæum uidero
 Sedentem illic. Quid cras Regine prandium
 Quamuis opiparum me delectare poterit,
 Si istum ingrediens aut egrediens offendero?
 Nolo illuc ad conuiuium ubi me mordeat
 Ingredientem ex euentemq; in limine sedens
 Canis, Cramben recoclam atq; cicutam domi
 Absynthiumq; malo, Dij male faciant
 Illis maledictis quæ obuenere sortibus,
 Que vindictam usq; morantur in anni terminum.
 Iuda is sane pro sint illæ reliquis,
 Sed impuro isti nequaquam. Sententiam
 Vestram quid facto sit opus, dicite. Dic Zares.
 Z A. Edictio præcipe, ne ille uel alius aliquis
 Ante fores sedeat Iudæus, transgressus id,
 Confestim se sciat occidendum. P H. Quin iubes
 Illum permisso Regis in turrim abripi,
 Aut in tenebrosum foetidumq; carcerem,
 Vbi malam malus ætatem exigat, oculos neq;
 Tuos, neq; amicorum offendat cuiuspiam.
 H A. Quid dicas Carphologe. C A R. Dictū est satis
 Tamen si mea ageretur res, ut nunc tua, (quidem,
 Iuberem cubitos quinquaginta altam crucem
 Parari, et mane cras primo Regi statim
 Suggererem, si me uellet conuiuam sibi,
 Præterea si Reginæ uellet obsequi
 Me conuiua adductio, è medio antè tolleret

Iudæum

- Iudeum, præciperetq; suffigi in crucem.
 Tum sanè latus pergerem ad conuiuium,
 Et exemplum edidisse contemptus probum.
 H A. Dispeream, si non consulis rectissimè,
 Tuumq; hoc consilium sequar, simul ac dies
 Craftinus illuxerit. Heus serui, curate crux
 Cubitos excelsa quinquaginta in craftinum
 Parati ut sit. Nihil faciliori est loco,
 Quām turpisimum hominem in crucē subigere, ne
 Cor dolium ad Regem cungi sit quotidie.
 C A R. Rectè proq; iracundia isthuc feceris.
 Sed queso, cras ad Regem si perueneras,
 Eadem opera negocium meum expedi. (rie.)
 H A. Quodnam? C A R. De præfectura (scis) Babylo.
 H A. Scio, cras habebis literas. C A R. Ita fac rogo.
 H A. Faciam. Sed ubi tu hodie, quod patronum tuū
 Non es comitatus? C A R. Nēpe equos, quod dicere
 Volebam, & seruos comparaui hodie mihi
 Ad præfecturam. Quare te maiorem in modum
 Oro, des operam ne frustra emisse uidear.
 H A. Ille ex Babylone adhuc expectat ut impetrat,
 Urgetq; nimis daricos centum quos dedit.
 C A R. Ah daricos illi potius reddere obsecro. est.
 H A. Nequaquam. Non reddere, sed accipere aulicū
 C A R. Discedat hinc fac rogo quovis modo. Sine
 Suis nummis mihi tuam operam redemerit. est.
 H A. Quiesce, curabitur C A R. In te measpes sita
 H A. Luste. Me cunte in Babylone, ibis tu quoq;
C A R. Sublimis

Sublimis nempe in equis. Placet. Nunc ergo nos
(Noctescit enim) domus nostras imus, nisi
Quid uis? H A. Nihil iam. Cras ad me reuise.
C A R. Faciemus. Bene ualeas Princeps in crastinū.

SCENA IIII.

Carphologus. Physotas. Syrus.
HAc nocte Physota iam securus dormiam. (ris
P H. Licet. C A R. Nū tu quoq; nobis in Babylonē e.
Comes? P H. Siquidem aliud nihil fuerit in manus
Potius quid agā.s y. Carphologe audi. Verbis trib.
Te uolo. C A R. Quid est? s y. Obscro mi Carpho.
logue. Crucis
Nos seruulos conturbat sermo, quis herus
Succenset ob nullum nostrum facinus malum,
Nunquid scis quem nostrum uelit agere in crucē?
C A R. Nihil uero ad uos sermo periret crucis
Syre. Mardochæo, Regis qui sedet ad fores,
Paranda est. s y. Gratias habemus maximas.
Reuocasti à morte omnes nos. ita nobis male
Timuimus. C A. Nihil est, mihi credite. s y. Vale o-

CHORVS.

(ptime.

Mortales miseris uocant poetæ
Haud quaquam temere, uocabuliq;
Videre innumeris grauesq; causas.
Morbis mitte nouis subinde tangi,
Funesto quoq; bellico tumultu
Extingui inumeros, opum lucriq;
Insanum studium quid angat omnes.

Quid

Quid feruens amor, & cupido dira;
 Quid prava ambitio, fames, geluq;
 Quid terrae maris & uiae pericla,
 Conturbent homines, referre noli.
 Sed nec commemores quid æstus iræ,
 Vel quid triste odium, sagaxq; propter
 Vicinum inuidia adferant malorum,
 Nos sanè miseri satis superq;
 Ob mentis tenebras uidemur omnes,
 Quod sortis mala nos latent futuræ,
 Nec uentura bona in malis uidemus.
 Ceu quis noctis inambulat tenebris,
 Inscitè omnia palpitans tremensq;
 Nec lamas uidet ante se profundas,
 Nec fossas neq; plana nouit agri,
 Nec declivia, nec trahens in imum
 Saxum præcipitandus antè uitat.
 Sic densis tenebris tenemur omnes,
 Et mentes ualida occupat caligo,
 In præsentibus ad futura nunquam
 Respectus licet obtinere certos.
 Quapropter male fallimur miselli
 Luctu, tristitiaq; gaudijsq;
 Et spe fallimur ac timore nostro.
 Ira fallimur ac amore capti.
 Fallit uenditio, emptioq; fallit.
 Fallit ditio, fallit & potestas,
 Fallit propositum & simul uoluntas.

Stulti

Stulti utring; sumus, futura semper
 Si certo adfore uel secus putamus,
 Aut præsentia si tenent utring;
 Constrictas odio aut amore mentes.
 Nil cautus, nimis expetit, nec odit,
 Nec sperat nimium, nec extimescit,
 Sed se ad rem medium coaptat omnem.

ACTVS QVINTI,

SCENA I.

Polytlaſ. Philarches.

Dii immortales, quām afflictis hominibus &
 Noctes diesq; quamuis contracti & breues,
 Longi uidentur, apud alienos maximē,
 Et in harpyias huiusmodi si quis incidit.
 Annum me hic perpetuum fuisse puto. adeō
 Somnus abit, meq; meum excruciat negocium,
 Sollicitumq; habet. Ad hæc caupo, ad quē nos mala
 Aliqua tulit fortuna, suis rationibus,
 Nobis cum nummis demum & uestes detrahet.
 Ita ut lubet nos inter unguies macerat,
 Ut pulchre deplumatos dimittat domum,
 Ego sufficiens non sum pecuniariam
 Eius satiare ingluiem. Quare tu, ut placet.
 Ego domum cogito uel solus, nec uolo
 Spem magno cum damno infinitam persequi.
 Diescit, & ad iter inuitat serenitas.
 P. H. Hunc duntaxat diem apud me quæso permane-

Si

Si nihil ostensum fuerit melioris spei,
 Nullum alium neq; ego post hic hærebo diem.
 P o. Nihil est profecto quod speremus, aut diu
 Hic hæreamus. Hamani ego sententia (dem:
 Omne abieci animū. P H. Efficere uult isthuc qui.
 Sed mihi consultum non est, id pecuniæ
 Quod incaute dedi, desperare. Hunc diem
 Solum mane. unus non multum dispendi
 Dare poterit dies. P o. Tu. hercle gratia.
 Propter me Hamanum possum ne aspicere quidem:
 Adeò mihi cuncta eius uidentur fellea.
 P H. Agè carius, ut quamprimum illius copia
 Nobis conueniundi fiat. P o. Nondum arbitror
 Hesternam illum edormisse crapulam, ut tibi
 Necesse sit tam manè properare. P H. Neq; ego.
 Negocium quis tamen est, manè & uesteri
 Curare oportet, & uigilare. Nil sine
 Magno ferè labore datur mortalibus,
 Non raro quoq; uel magnus frustratur labos.
 P o. Ita est. P H. Eamus ergo expertum omnia.

SCENA II.

Syrus. Hamanus. Philarches.
 Polytla.

Animo hercle defecato uos esse iubeo.
 Increduli estis homines. Sed quid sit scio.
 Quibus res sunt malæ, semper aliquid etiam
 Rorò mali suspicantur. Sed mihi credite,
 Qui diligenter sum expiscatus omnia.

mm

Nihil

Nihil crux ad quenquam nostrum pertinet:
Satis alioqui heri uos furor exercuit.

H A. Luceſcit. Heus ſerui. s Y. Quid eſt? H A. Parata
ne eſt (s Y. Vide.

Crux qualem iuſſiſ ſ Y. Eſt. H A. Moſtrate ut uideā.
H A. Bene eſt. Hem exemplum ſtatua contēptorib.

Quid expectent, quamq; adeo eos ſim molliter
Curaturus. s Y. Vbi autem nos te contempſimus?

H A. Non de uobis agitur. Sequimini in regiam.

P H. Hamanus ecce autē illic graditut, quē tu adhuc
Dormire putabas. P O. Actus eſt inſomnijs,
Opinor. P H. Magnis hercle graditut paſſibus.

Agē properemus & nos, ante in regiam

Quām perueniat, ut aſſequamur. P O. Hoc quidem
Fieri nequit, quum iam appropinquet foribus. Et

Ego festinando illius cauſa ramieſ

Non ſum rupturus. H A. Vah, tā manē iam ad fore
Pia culum ſedet. Miror quid queritet

Hīc ſibi. s Y. Quis? H A. Faxo equidem magnum in-
ueniat malum

Profeſſione hac, proq; contemptu mei.

s Y. Quis? H A. Sordidatus iſte, flagitiū hominis.

Lucrum putet has aliquot horas. Curauero

Postremū hodie ut ingredientē uideat. s Y. Probē.

H A. Videte ut rigeat frendeatq; dentibus,

Sed sequimini. Crucem cumulatē commeret.

P O. Quid nunc agimus? Ingressus eſt. P H. Nil iam

Niſi hic ut pŕeſtolemur donec exeat. (quidem,

Hamanus. Harbonas.

Quid eſe dicam, quod adhuc has ſores ſera
Cohibet? An Rex nondum surrexit Harbonas?
HAR. Immò uero noctem hanc perpetuam per uigil
Traduxit. HA. Quid cauſe? Aegrotat? HAR. Non
arbitror.

HA. Quid agit ergo obſeratis foribus? HAR. Tem-
iuſit proferri annales historiasq; quas (porum
Auscultaret, ne fruſtra (opinor) ſomnij
Abiret tempus, cuius eſt parcissimus.

Manè eſt, post paulum credo aperire iuſſerit.

HA. Expectabo paulisper. Aliud forſitan
Aliquid habet negocij cui neminem
Interuenire uelit. HAR. Nescio aliud. Hoc ſcio,

Artaxerxes. Charsenas.

Hamanus.

Non fruſtra etiam nocte hāc traduxi Charsena.
Libenter audiui, que legisti omnia,
Ita multorum refricata memoria eſt mihi.
Vtilius eſt profeſtō nec iucundius
Historijs nihil, ad hanc quantum uitam attinet,
Inſtituitur his animus, ſimulq; pafcitur.
Magnarum plurimarūq; ſine periculo
Rerum & ſub tecto queritur prudentia.
Diluculauit iam, & alia ad negotia
Tempus uocat. Agè uero eam in qua es, paginam

Legendo totam absoluē. c h. Regni tertio
 Deinde anno, Mithridates in Persepoli
 Seditionem & defectionem maximam,
 Rebus studens nouis, conflauit. quam citō
 Araspes Medus indicauit, & operam
 In comprehendendo Mithridate bonam dedit.
 Quo seditio quieuit, & defectio
 Soluta est. Mithridates ille quidem cute
 Viuo detracta, obiectus est leonibus,
 At Araspi profide ducenta iugera
 Data sunt. a r. Perfidus homo Mithridates, et nimis
 Ingratus, digna perfidiae habet præmia.
 c h. Anno sequenti, quum in uenatione Rex
 In grandi esset periculo cum equo cadens,
 Sylvarum distractis alijs indagine,
 Ante omnes primus subuenit Regi Orphias,
 Regemq; leuauit casu turbatum oppido.
 Pro qua fide & opera illi Rex iussit dari
 Talentū auri magnū. a r. Memini hercle, et horreo
 Casum illū adhuc. c h. Nec mirū. quippe grauis e.
 c h. Anno deinceps octauo, Eunuchi duo (rat.
 Bagathas, & Thares, coniurarunt in necem
 Regis, certo q; die statuto surgere
 Volebant in Regem. Quod facinus comperit,
 Ad Regem detulitq; Mardochæus, ad
 Palatij fores hoc tempore qui sedet.
 Illiq; examinati, & confessi, in crucem
 Acti sunt. a r. Magna audacia & periculum
 Insigne

Insigne Charsena. Ex multis iam illud mihi
 In mentem uenit, insidias & pericula,
 Casusq; magnos, multosq; esse principum
 Regumq;: a deo ut nisi eos diuinum texerit
 Seruaueritq; numen, impossibile sit
 Humanis consilijs diu subsistere.

Tum certe Mardochæus nos certissima ex
 Nece praesenti, aliquo eripuit consilio Dei.
 Ecquid ei scis à nobis pro fide datum?

C.H. Nihil est hic annotatū, nec quidquā arbitror.

A.R. Aliquid omnino à nobis condecet dari,
 Ut magis etiam ad fidem inuitemus cæteros,
 Et is fructum fidei in nos dignum ferat.

H.A. Nimis longum erit ut aperias, & res quā fero
 Nullam patitur moram. Pulsabo ianuam.

A.R. Sat iam lectum est. Reclude, & quis foris siet
 Vide. C.H. Hamanus est. A.R. Ingrediatur. H.A. Te
 plurima

Exortus hic dies salute ô Rex beet.

A.R. Te luppiter amet. Nil iam te opportunius
 Veniret: quippe est quod te consultum uolo.

H.A. Mihi hercle etiā est, quod Regi suggestū uolo.

A.R. Me primum audi, pōst rem quoq; tuam dicito.
 Est uir, quem Rex honorare cupit ampliter,
 Dic quem in modum tandem is honorari debeat?
 Te hoc pro tua scire arbitror prudentia.

H.A. Et quis uir ille sit, & honoris scio modum
 Vir, quem Rex ampliter honorare percupit,

Vestibus & purpura induatur regia,
 Et torque Regis pariterq; diademate
 Ornatus, in equum quem Rex equitare assolet,
 Imponatur, eumq; satrapes primarius
 Pedester præcedat, cquum loro continens,
 Atq; per omnem urbem circumducens clamitet:
 Honori pari honorabitur omnis, qui fide
 Recteq; factis Regi se probauerit.
 A R. Pulchrè dixti. Veste ergo hic & torquē habes
 Cum diademate, equumq; meum assume celeriter,
 Et Mardochæo qui pallati ad fores
 Sedet, fac omnia ad hanc tuam sententiam.
 Aliquid omittas de his quæ dixisti, caue.
 H A. Obscro uero Rex, alij hoc committe potius.
 A R. Tibi mādo, nec aliis est satrapes mihi te prior.
 Age, uade, ut tempori redeas ad prandium.
 H A. O mihi iam terra debiscat. Quid negotij
 Hoc est futurum? Quid facto hoc Rex uult sibi?
 In latomias hinc rectā abire maelim.
 Sed faciundum est. Agite serui, ornamenta uos
 Haec capite, uos duo Regis equum producite,
 Meq; sequimini.

SCENA V.

Polytla. Philarches. Mardo-
 chæus. Hamanus.

O Ptime senex, quid tu in sordibus
 Ita iaces? Me quidem hercule miseret tui.
 Quāuis ego sum ipse miser plusquā credat aliquis,
 Resq;

Resq; mea planè restim mihi quæsum est.

Ecquam salutis spem tibi habes promittere?

M A R. Actum est amice. Nulla est spes nisi in Deo.

Ab hominibus tantum sperare non licet

Vt aut misereantur nostri, aut pericula

Suscipient et labores pro nobis. Fugit

Etiam imminentे ruina ab amicis quisq; nec

Facile inuenitur qui fortunæ destinet

Ita etiam aduersæ esse ut secundæ particeps.

P O. Verum profectò dicis. P H. Hoc uellem tamen

Amice facere, tametsi nil esset spei,

(Quandoquidem nil luctu diuturno, neq;

Istis uel perpetuis acquiras sordibus)

Affligendo me ut non augerem gaudium

Inimicis. Iam facis quod te facere uolunt.

M A R. Rectè quidem mones. Sed est solatium

Atq; leuamen quoddam afflictis luctus. Et est

Spes una Deum adfore immerito lugentibus.

Quid uos autem? Quid consecuti estis? P H. Nihil

Adhuc, iussit domum ire negatis omnibus.

P O. Ut illum dij perdant coelestes et inferi.

M A R. Sic est ut dixi uobis. Hoc specimen uiri.

Suos ut honores stabilitat, et suam augeat

Rem familiarem, gentis nostræ sanguinem

Opesq; nostras expetiuit. quid alijs

Sit expectandum, hinc facile coniisci potest.

Sed ecce egreditur nostri thesaurus mali.

P H. Is hercle uero ad nos(uideo) affectat uiam.

Alloquere iam: paratam eius habes copiam.

PH. Sine audiam prius quid dicturus siet.

HA. Age Mardochæe, istas citò uestes exue,
Ut induam te his quas fero, atq; impositum equo
Per ciuitatem circumducam. Quid teris
Pedem? Quid ita toruum aspicis, et mordes labrū?
Ita præcepit Rex qui te honorare statuit.

Quin surgis? M A R. Omnia pessime, nō satis habes
Nos certo morti destinatos tempore,
Nisi etiam derisum aduenias? H A. Non hercule
Derisus uenio gratia, sed ita mihi

Præcepit Rex. M A R. Nempe ut nobis illuderes?

HA. Nō, sed te ut honoraret. M A R. Honoraret pessime,
Quem te calumniante proscriptum scio? (sime,
H A. Est ut dico. Tu obtemperabis, si sapis.

Nec aliquam Regis iussui inferes moram.

Exue te inquā. M A R. Quamobrē Rex honoris hoc
Habere uult mihi? H A. Haud scio. Ita uult, ita
iubet.

M A R. Nunc intelligo, tua est hæc machinatio,
Qui nobis sub prætextu etiam honoris, malum
Struis. Quid abis in rem malam tetterime.

HA. Quid tu(malum)tandem istas fordes exuis,
Meq; oxyus imperium Regis finis exequi?

PO. Obtempera amice. Aliquid orietur hinc tibi
Fortasse boni. Honorem haud conuenit excludere,
Sat lento alioqui ad integros pergit gradu.

MA R. Si ita est neceſsum, oblioperabo, et exuā hæc.

H A. Accipe

Accipe iam has uestes, & diadema regium.

M A R. Mirum quin aliquid molitur his Deus

Noui in salutem. Non reluctabor, uocet

Ad ignominiam: aut mage si placet, ad gloriam.

P H. Quo hæc sunt Pol'ytla euasura uidebo hercule

Lubens. Mirifica rerum hæc est conuersio.

S C E N A VI.

C arphologus P hysotas. Hama-
nus. Mardochæus.

Q uin demiror si somnum hac nocte cepit, ut

M ihi quidem incensus contra Mardochæum heri

E st uetus. Ante lucem (opinor) regiam

P etiuit, iamq; Mardochæum habet in manu,

V t quamprimum in paratam suffigat crucem.

P H Y. Verisimile ædepol. Sed sequere, ut exitum

R ei uideamus. C A R. Ego uero uolens ac lubens.

P H Y. Nondum uidisset tantum contemptum sui,

N eq; tu, qui in cæteris esse attentus soles,

N ifi indicassem ego. Q uid præmij putas (tius

M e habiturū? C A R. Q uid! Sclesti hominis et to-

E x interitu gentis ditesces affatim:

Q uin ego quoq; mihi inde auguror immensas opes.

P er pulchrum ædepol intriuisti negotium,

M agnam à dijs hominibusq; quo inibis gratiam.

P H Y. Sic soleo Carphologe, & præripui istuc tibi.

C A R. Facile fero, dum fructuum sum particeps.

H A. I am nūc equū inscende, stapedes (puto) sat tibi

Sunt demissi. Teneo, inscende, & pone sequere.

P H Y. Quid illic agitur Carphologe ante regiam?
 Quò Rex solus? C A R. Miror quid sit? Vester quidē
 Et diadema & equum regis agnoscō satis,
 Sed esse Regem solitudo denegat. (tenet
 Quid si est Hamanvs? P H. Est ne is Hamanvs, qui
 Et praecedit equum? C A R. Is est profecto. Quid rei?
 Propius agè accedamus. Quisquis est eques,
 Egregium esse virum oportet, quem comitatur &
 Dicit Hamanvs pedes. P H. Sciemus iam, papa.
 H A. Silete, meisq; dictis animum aduortite:
 Hunc ad modum eos honorabit Rex, qui fide
 Recteq; factis Regi se probauerint. (est
 P H Y. Audim quid loquitur? Bene aliqd promeritus
 De Rege. Quis sit curio. C A R. Non potest tamen
 Diu celari quisquis est. Iam regius
 Personam cognosci ille ornatus haud sinit.
 H A. Silete, meisq; dictis animum aduortite:
 Hunc ad modum eos honorabit Rex, qui fide
 Recteq; factis Regi se probauerint.
 P H Y. Reducet opinor ad aulam, rursumq; exuet,
 Tum noscemos hominē. C A R. Scilicet. Huc ergo iā
 Adeamus ad fores, si quidem & Hamanvs huc
 Gressum dirigit. P H. Hē Iudeus nusquā hic adest,
 Iam dudum suspensum arbitror. C A R. Nil certius.
 Præ rebus omnibus eum è medio sustulit
 Hodie, mirorq; seruum cur reliquerit,
 Quem adhuc alios inter sedere conspicor.
 H A. Silete, meisq; dictis animum aduortite:

Hunc

Hunc ad modum eos honorabit Rex, qui fide
Recteque factis Regi se probauerint.

CAR. Facies ignota hominis, et mire lurida.

PHY. Gestio scire hercle quis sit, quidque fecerit,
Ob quod eum hoc Rex honore dignum censuit.

HA. Peractum est, quod de te Rex mandauit mihi.

Descende nunc, uestesque rursus regias

Exue. Tuas resumas per Regem licet.

MAR. Auspicium non malum salutis hoc mihi

Interpretor, Deusque confirmet precor.

CAR. Proh, dij immortales, hic uero (quid loquar)
Iudeus est. PH. Stupeo, et quid dicam nescio.

HA. Heus uos referte uestes cum diademate

Ad Regem intro, tu uero equum reducito,

Decinde domum omnes. Vos me sequimini ceteri.

CAR. Hui quid agis Hamane? Quid est? Quis te
uertit Deus

Ita repente in tristem hanc rem à consilio bono?

HA. Heu genius aliquis pestifer occurrit mihi.

Sed sequimini citro. Reliquum uobis domi.

SCENA VII.

Polytla. Philarches.

Hamanus.

IS uero domum properat. Cur non alloqueris, et
Occasionem oblatam mordicus tenes?

PHY. Quin tu recte mones, sequere. Sed quid sibi
Capite uult inuoluto? PO. Forfitan timet

Ne tegulae è tectis sibi communuant caput,

Ita

Ita mala est plena timoris conscientia. (uis tibi?
P H Y. Tace & sequere. Salve princeps.
H A Quid
P H Y. Nos tandem quæsumus princeps absoluto.
Scis iam quid uterq; nostrum consequi uelit.
H A. Ita absoluam uos, si mihi posthac uel semel
Eueritis odiosi, amboſ(ne uiuam)im crucem
Agam. **P H.** Ego sanè istuc non emam pecunijs.
H A. Audisti iam. Cuite salua abite dum licet.
P O. Habes responsum pro daricis optimum.
Fruere. Vah ardebat oculi, iracundia
Ex uultu erumpebat. Age nunc, si quid lubet,
Vel paulum huius nasum ursi tentes amplius.
P H. Non desinam tamen. **P O.** Ne me comite modò.
P H. Vel Mardochæum illum allegabo, quem puto
Iam aliquid apud eum posse. **P O.** Nil hercle egeris.
P H. Omnem mouebo lapidem, etiam si scorpius
Sub uno quoq; dormiat. Redeamus huc.

S C E N A VIII.

Hamanus. Carphologus.
Physotas. Zares.

Quid ego uobis dicam? Præter spem adeo nihil.
Dissilio præira, & ad usq; mortem maceror.
Ex hoc quid sit futurum, non etiam scio.
C A R. Ego maluisse urbanas purgare foricas.
H A. Iussit Rex antè quam de re uerbum mea
Locutus sum. **P H.** Quapropter? **H A.** Prorsus nescio.
Inauspicato hodie domo extuli pedem,
Ut Iudeo isti impio anteambulo forem.

Z A. Certe

Z A. Certe mi uir, Iudeus me sollicitam habet,
Ne his factis aliquod pariat tibi magnum malum,
Ne tu illi nequeas, uerum ille resistat tibi.

H A. Non arbitror, quanquam mala sunt præfigia.

C A R. Quid Regi tantum profuit? Miraculum est
Ignobili homini tantum honoris haberier.

H A. Quiescam hodie, cras autem nisi eum iusserrit
Rex in crucem tolli, antè coruos pascere
Velim, de cætero esse quam Regis pater.

P H. Vereor ut difficulter istud impetres,
Quum eum Rex tanti faciat. C A R. At tu desipis.
Ego non dubito, quim certò si Rex uiderit
Alterutro esse carendum, istum malit perdere,
Quam hunc amittere qui gubernat omnia.

H A. Rem tangis. C A R. Sed quid actū est de litteris?
H A. Nihil

Meam rem non licuit dicere, nedum tuam.

A' prandio de te cum Rege colloquar.

SCENA IX.

Harbonas. Syrus. Carpho,
Iogus. Hamanus.

H E m Syre, quid agitur? s Y. Statur. H A R. Video.
sed ubi herus? (crux

s Y. In consilio intus. H A R. Oh cui uestrū tā alta
Hic stat parata? s Y. Nostrum nemini Harbona,
Sed Mardochæo, cui tantum hodie contigit (ne uos
Honoris. H A R. Mardochæo? s Y. Ita inq. H A R. cum
Crucifigetis, qui Regi tantopere placet?

s Y. Ita

SY. Ita audiui. H A R. Videte etiam. Sed intro eo.
 C. Obscro. Equos scis. Sed Harbonas. H A R. Rex
 Hamane, Reginæ ad coniuicium iubet (oculus)
 Venire te. Quare iam mecum consulo.
 CAR. I, exporige frontem uino & hilaritudine.
 H A. Exporrigerem melius, si Iudæus manus (la?
 Hodie exporrexisset. H A R. Hem quæ hæc est fabu-
 H A. Nihil est. Tecum eo. Vos me secunda ad regiam
 Egredientem opperimini. Est, quod uos uelim.

SCENA X.

Philarches. Polytlas.
 Mardochæus.

H Amanus extrema nos iam sententia
 Reiecit Mardochæe, minatur crucem
 Si nostra de re posthac uerbum fuerimus
 Locuti. M A R. Nempe iam est affectus pessime,
 Quod tantum mihi honoris habere debuit.
 P H. Credo profecto. Ceritus mihi uisus est.
 M A R. Vrit hominē mihi inimicissimū honor meus,
 Cuius cum haud spectatorem solum oportuit,
 Sed etiam actorem esse. P O. Ego profecto gaudeo
 Amice, propter honorem habitum tibi, & precor
 Ut hinc iam contingent prosperiora indies.
 M A R. Gratiam habeo. Tibi quoq; beneficiat Deus.
 Quid porrò facturi estis? P H. Hic ad uesterum
 Vsq; sedebimus hodie, cras manè statim domum
 Ituri. Nihil enim amplius supereft spei,
 Nisi tu patronus nobis fueris. M A R. Siquidem
 Voluntati

Voluntati meæ facultas adforet:
 Sed sub Hamano quis sit rerum status, uides.
 P. O. Hamanus redit, & opinor, ad conuiuim.
 Nos ringimur interim bona eius gratia.

SCENA XI.

Artaxerxes. Hamanus. Esther.

Tardus ades. Non mihi esurire uideris, aut
 Domi gustasse aliquid. H A. Non equidem. Sed mihi
 Exulcerauit stomachum circumductio. (uis, age
A R. Quapropter? H A. Cras exponam Regi. A R. ut
 Eamus. Charsena, Harbonaq; sequimini.
 Salve Regina. E s. Te perpetuum fospitet
 Salus, domine Rex. A R. Veniunt coniuue, ut uides.
E S. Gratum est, habeoq; gratiam. Discubite
A R. Ascende Hamane, dextrum tibi claudam latus,
 Ita sedebit Regina ex aduorsum mihi.
E S. Adfer iam escas Atache, unumq; ceteri
 Apponite. A R. Non Regina Estherera erat satis
 Herinos coniuias fuisse tuos, nisi
 Hodie sumptum faceres quoq; nostri gratias?
E S. Libenter ô Rex aspectu & præsentia
 Fruor tua. Sed his iam apponat Rex manus.
A R. Faciā, Estherera. Sequere Hamane. H A. In me nō
 erit mors.
A R. Hec tuus Estherera bene hercle cōdiuit coquus.
E S. Utinam palatum domine Rex, iuuēt tuum.
 Propino hoc tibi Rex dimidiatum, si placet.
A R. Accipio abs te libenser. Profici plurimum.

Hamane

Hamane tibi hoc totum. Respondeas uolo.
 H.A. Haud illibenter. Hec mihi responso
 Persicilis est. A.R. Ambrosia nos & neclare
 Regina accipis. Et quanquam hodie somnus mihi
 Fuit iratus, nec tempora nec oculos meos
 Fouere uoluit, & inde non nihil caput
 Grauauit, ut cibi potusq; nulla mi
 Ad hoc usq; diei fuerit cupiditas:
 Conuiuum hoc tamen niemet mihireddidit,
 Et hilaritate iam perfudit affatim.
 Et quia scio ac intelligo conuiuum hoc
 Petitionis ergo alicuius habere te,
 Dic demum Estheram mea, quid tibi uelis dari.
 Confirmo enim, sancte q; promitto, omne me
 Usq; ad regni daturum dimidiam tibi
 Partem. Quid est: Ne lachryma, nec catastrophes
 Conuiuio adde inconuenientem. Quin ego
 Hoc totum iam ut hilarescas praebibo tibi.
 E.S. No possum ô Rex, nec licet in tantis quos gero
 Mæroribus. A.R. Dij meliora. Non intelligo
 Quid isthuc sit mea Estheram. Fac me quidquid est,
 Vt sciam. E.S. Pro benignitate domine Rex
 Qua te mihi daturum promisti omnia,
 Immortales & ago habeoq; gratias.
 Ego uero non regnum nec opes illas peto,
 Ob quæ spectantur homines suntq; incliti:
 Sed donet mihi queso Rex misericorditer
 Meam populiq; uitam atq; salutem mei.

A.R. Quare

Quare petis quod antè cumulate obtines,
 Nec petere necessū est. E s. Est necessum (Proh do-
 O' Rex. A R. Ah ne fleas. Expecto quid siet. (lor)
 e s. Nam uenditi sumus, & in mortem dediti,
 Tam ego quam̄ populus me& radix propaginis,
 Ob nullum nostrum facinus impium & malum.
 Exemplo nullo, nullo iure omnes sumus
 Simul delendi, ut hostem nostrum sanguine
 Placemus nostro. Utinam autem uenderemur in
 Seruos & ancillas, si quid peccauimus,
 Et maiestatem offendimus si quid tuam:
 Ferremus id mali, grauemq; infamiam,
 Aequo animo: & ego ipsa seruitutis sufferens
 Incommoda tacerem, nec auribus tuis
 Opplorarem. Iam uero nulla calamitas,
 Nec rerum aut capitis diminutio potest
 Hostem placare nostrum, sed simul & semel
 In uniuersum nos cogitat eradere,
 Quem tamen unquam nec re nec uerbo lesimus,
 Nec contra te ô Rex inuenti sumus mali.
 Supplico igitur pro me, proq; populo meo,
 Ne dedas nos inimico nostro, tu quoq;
 Tot innocentum animarum ne fias reus,
 Nosterq; sanguis nostri hostis libidini,
 Odio, malicie, auaritiaeq; seruiat.
 A R. Quis iste autem? & quantae est autoritatis et
 Potentiae, ut haec facere ausit? E s. Hostis noster est,
 Peſsimus Haman us iste, qui nostrum cupit

n n Vastissima

Vastissima ingluvie exorberem sanguinem. Cnus
 A.R. Quid: Tu ne is es, qui in consortem nostrā ma.
 Mittere uelis? Hoc à te sperem pessime?
 Hui scelerā, ô insidias. Vos me cum.

SCENA XII.

Artaxerxes. Charsena.

O Maximam

Repertam in aulicis ingratitudinem.
 O temerariam meam facilitatem. Ut mihi
 Nullis fideles queo parare honoribus?
 Mihi inter scorpiones habitare uideor,
 Quandoquidem meus insidiatur mihi intimus.
 Hem tot honoribus impertitis nihil effici?
 Iam tibi de Hamano quæ dixisti Charsena,
 Credo. Iam me decepium ab eo esse conficor.
 Vah quam fidelem, quam iustum, quam deniq;
 Amantem se mei simulauit perfidus?
 Quam diligentem in regni atq; meis commodis
 Tuendis atq; promouendis se mihi
 Finxit? Nunc intelligo, permagno examine, &
 Multo difficulter, inspiciendos tempore,
 Quis te credas, quos fidos semper censeas.
 Humano corde pariter est & peius nihil,
 Nec abstrusius. Haud dubito quidem iam Charsena,
 Quin & alia multa clam contra me & subditos
 Sit machinatus. C.H. Ut dixi Rex. Si scias,
 Mirabere, teq; ipse reprehendes, qui patrem
 Aliquando tam malevolum appellaris uirum.

A.R. NO

A.R. Non feret inultum, si quidem hoc uiuet caput.
Redeamus intro.

SCENA XIII.

Hamanus. Esther. Artaxerxes. Harbonas.

Mardochæus.

O bsecro uero Regima, ne
Ob hanc rem irascare mihi. Dij (qui omnia) sciunt;
Tuum mihi haec tenus esse ignoratum genus,
Nec ludeos ad te attinere sum ratus.

E.S. Nescieris sanè. Quid tu autem hominū pessimo
Populum innocentem, qui te nulla læserit
Injuria, falsis defers calumnijs,
Et crudeli facis ut dannes sententia?

H.A. Ah da ueniam obsecro. E.S. Quin abis à me,
Haud feram

Ut sanguinolentis manibus me attingas tuis.

A.R. O scelus et furiae, quid nā aspicio. Me in domo
Etiam præsentē uult Reginam perdere.

Comprendite, uincite, adq; mortem ducite.

O Charsena mi, recte redij in tempore,

O audax facinus. Heus lorarij, hunc uirum

Abducite actutum. Sed annulum prius

Meum ei diripite de manu, iam nunc meo è

Cōspectu abducite, et afferuate cautius, (in domis)

Donec præterea quid iussero. H.A.R. Quum hodie

Hamani (domine Rex) ueniſsem, forte ibi

Cubitos altam ad quinquaginta uidi crucem;

nn 2 Quam

Quam Mardochæo illi, qui pro Rege optima
 Semper sensit, parasse serui dictitant. (cem)
 A.R. Quid? Mardochæo, cui honos est habitus, cru
 O'scelera, ut mihi charos omnes disperderet.
 Faxo, pararit insciens illam sibi.
 E.S. Hei mihi. Patruum etiam uoluit suspendere,
 Ut expeditam inde ad me sibi strueret uiam.
 A.R. Num est Mardochæus Estheram patruus tuus?
 E.S. Est, ô Rex, meq; sibi adoptauit filiam.
 A.R. Cur tu non istuc olim dixisti mihi?
 I, Mardochæum mox huc accerse Harbona
 Tonsum cultumq; purpura. Quid audio?
 Tam propè consanguineos Regina Estheram habes,
 Nec indicasti? omnem illi gratia tui
 Honorem contulisse, mihiq; proximus
 Fuisse. E.S. Ne palam facerem, interdixerat.
 A.R. Male hercle interdictū. M.A.R. Rogare mittite,
 Loquar pro uobis, si qua fuerit copia.
 A.R. Sed aduenit. M.A.R. Salue Rex perpetuū, et meū
 Huc aduentum clementer quæso suscipe.
 A.R. At surge, ne timeas. Venit hodie mihi
 In mentē beneficij tui in nos Mardochæe,
 Eunuchorum infidias quod propalaueris,
 Vitamq; nobis opera seruaris tua,
 Et ea propter honoris id hodie habitum est tibi.
 Et quanquam ex hoc magis etiam benefacere
 Propensus fuerim, hodie tamen percommode
 Cecidit, quod Hamani infanda scelera, ac perfida

In nos

In nos molimina compererim, simulq; quod
 Præcelsam tibi (cuius adhuc opera uiuimus,
 Quemq; hodie primum nobis affinem audio,
 Reginæq; patruum nostræ) parauerit
 Crucem. unde statui in Hamani perfidi locum
 Te fidum nobis sufficere. Hic ergo annulum
 Accipe meum, sisq; meorum primus principum.

Operamq; da, tantis meis beneficijs
 Et dignitati collatæ ut respondeas.

Et talem erga nos in cunctis animum geras,
 Qualem iam nostrum in te manifestò perspicis.

M A R. Immortales tibi ago habeoq; gratias,
 O' Rex, meisq; summis nitar uiribus,
 Ne instupidum uel in ingratum dignitatis hoc
 Videaris collocasse. E s. Ego quoq; Rex tibi
 Magnas ago gratias, non solum plurimi
 Quod me abs te fieri, et charam haberis sentiam,
 Sed patruum etiam meum quod tanta gloria,
 Tantoq; dignitatis ornaris gradu.

A R. Merito factum mea Esther, quid ultra petis?

Si certo Rex coram te inueni gratiam,

Hamani hostis nostri literas, quas in tui

Omnis regni misit prouincias mei

Ad perditionem populi, fac quæso irritas

Fieri, utq; alijs nouis reuocentur epistolis.

Quomodo enim aspiciam populi exterminium mei,

Qui nil peccauit, sed odio proscriptus est?

M A R. Itidem ego quoq; precor. Sis innocentia

Rex nostræ tutor. A R. Bono animo este. Scribite
 Pro Iudeis ut lubet, meum habetis annulum.
Quid præterea uultis? E S. Dic Mardochæe, scis
Quid fieri conueniat. M A R. Hoc Rex quoq; si pla-
 Permitte Iudeis, ut uice uerfa suos (cet,
 Vlsciscantur inimicos, ut salutis &
 Simul ultionis gaudium obtineant duplex. (duos
 A R. Fiat. M A R. Habuit ad facinora sua Hamanus
 Instigatores, nebulones deterrimos,
 Physotan & Carphologum, quos negotij
 Aduersum nos esse autores certos scio,
 Nec dubium & in alijs eos similes sui
 Fuisse. Carcharophonta quoq; qui ad regie
 Portam est, famæ tuæ ô Rex consulere parum
 In admittendis pro suare hominibus, &
 Literis accipiendis, est manifestum omnibus.
 Idq; se Hamani institutione facere ait.
 Hos igitur puniri, & mali exempla studij
 Edere, ad existimationem pertinet
 Regis. Sunt præterea ex Babylone duo hospites,
 Iam triduum hic expectantes pro rebus suis
 Ab Hamano responsum. Ille uero repellit
 Eos duriter, & comminatus est crucem,
 Si res suas ad ipsum ferrent amplius.
 Omnia ego hæc ad fores dum sedi, comperi.
 Non autem iustum & æquum, in rebus homines
 Iustus audire nolle, sed repellere.
Qum afflicti omnes, & qui quid habent negotij,

Tantquam

Tanquam oraculum & asylū adeant Regis fores,
 Ut maximē secundum qui Deum hominibus
 Prodeſſe queat, & ab iniquis defendere.
 Non hos autem ſolos Hamanus reppulit,
 Sed & alios complures, ut querimonij
 Omnim ubiq; aures caleant, & Regi imputent
 Quidquid Hamanus uel eius conſectanei
 Iniquē agunt. Quare precor, huic rei quoq;
 Rex consulat. A R. Credo iam hercle tibi Charsena,
 Qui mihi de Hamano ſimilia prop̄e dixeris.
 O dij qualem ſou in ſinu peftem meo?
 Sumus ne nos info: riunati homines, quibus
 Falsa intmorum imponitur fiducia?
 Vade Harbona, Carphologum atq; Phyſotam citō,
 Carcharophonta quoq; comprehendи præcipe,
 Ad meq; perduci. tum illos Babylonios
 Etiā accerſe huc. M A R. Omnes ante fores Harbona
 Inuenies. H A. Reclē. A R. Ex hiſce Mardochæe iam
 Mihi diſce ſubeffe, ac præeffe cæteris.
 Siſ bonus ipſe, mihi fidus, & equis omnibus,
 Ab omni iniquitate quamuis abdita
 Abſtine. Deus eſt enim qui terram iudicat,
 Nec operum prauitatem impunitam ſinit.
 Non poſſumus per nos Reges facere omnia,
 Nec famulorum nobis corda licet fingere.
 Quapropter niſi famuli noſtri metuant Deum,
 Et nobis consulunt ſibiq; pefſimē,
 Ut ē quamuis alto deiſciantur gradu.

Hæc Mardochæe memento. Nemo charior,
 Nemo mihi uisus magis ex sententia
 Vir esse, nemo deniq; apud me honoribus
 Auctior Hamano fuit: insidijs quia tamen
 Vos & me adortus est, uoluitq; perdere:
 Et quia (quod est malorum radix omnium)
 Suis in actionibus haud metuit Deum,
 In cruce tibi parata erit exemplum omnibus.
 Sed aduenit Hamani sodalitum. M A R. Dabo
 Operam ô Rex summâ, ut me inuenias qualē uelis.
 A R. Fac Mardochæe. Nihil certe est longæ uelis
 Ut ilius q; integritate: quamuis improbi
 Aliter existiment,

S C E N A . X I I I .

Physotas. Carphologus. Ar.
 taxerxes. Mardochæus.
 Carcharophon.

D li superi & inferi,
 Quid hoc esse potest, quod captiuui ducimur,
 Nil nobis conscijs? C A R. Demiror ubi siet
 Hamanus. Certe scit quod iter restet mihi.
 A R. Quid est: Hamani uos socios esse audio? (es.
 P H Y. Sumus. A R. Satis tu hercle ad crucem confessus
 Malefactoris socius non est sine crimine.
 Quid tu: Male accepisse diceris hospites,
 Si qui ob negotia ad nos uenerunt sua. (hi.
 C A R. C. Feci nē pe id quod Hamanus præcepit mi.
 A R. Intelligo. Qualis præceptor, talis etiam
 Discipulus.

Discipulus. Hamanum heus rursus huc adducite,
Vt cortem & socios postremum uideat suos.
PHY. Hei mihi quid uideo? Hamanum uinctum. O
tempora.

A.R. Abducite nunc omnes, atq; crucifigite.
Hamanus curate in eam figatur, sibi
Non Mardochæo, quam parauit insciens.
Et filios Hamani una crucifigite,
Progenies hæc ut deleatur funditus,
Vt Iudeos decreuit ipse perdere.
Curate ut ante occasum solis pendeant.

A.R. O mancipia & equi quos frustra emi mihi.
A.R. Faxo, purgetur aula a Carcharophontibus,
Carphologis & Physotis, atq; horum patre
Hamano. Mardochæe duc Babylonios
Ad te, rebusq; examinatis quas uolunt,
Decerne, iustum quod & æquum uidebitur.

MAR. Faciam. A.R. Sequimini hac. MAR. Vos mecum
Babylonij.

Nolite spectatores expectare ut huc
Redeamus. Nemo redabit. Vos ualete nunc.
Iustitiam colite, Deumq; timere discite.

CHORVS.

CVR mali pacem requiemq; uobis
Pollicetis? Quid studijs malignis
Queritis, mortem nisi sempiternam &
Dedecus omnis?
Impijs nullam literæ prophanae,

Et minus multo sacra scripta uerbi
Prædicant pacem, sed acerba semper
Multa minantur.

Iam docent casus hominum stupendi,
Fabule tradunt ueteres hebrei, ν,
Quod Deus factis probet ipsa semper
Verba minarum.

Vos licet falsam ueniatis in spem,
Non fidem uerbo fore prædicato,
Viderit Iudex tamen ille digna
Reddat ut olim.

Quim & incertum nimis ante mortem
Quid uehat uester, stabilisq; nunquam
Temporum cursus. Duplices malorum
Sunt quoq; poenæ.

Non opes possunt, neq; uis, genus' ue,
Sed solet uitæ probitas, fidesq;
Sola præsentem simul & futuram
Reddere pacem.

F I N I S .

AMPLISS. VIRIS DD.

Ioanni Iacobo & Georgio Fuggeris,
Dominis in Kirchberg. & Vucis-
senhorn, D.D.suis.

Sentētia est cotburni clara T'ragici,
Longeque ueracissima,
Oin̄gōs̄ ſis αὐτῷ ταῖς ἔρεσι εἰληπτὴ ὅρος.

Cauſam rogabit quipiam:
Tī γε φωτρῶας αὐτὸι φίλτρον χθονὸς;

Gentilis hęc ſententia,
Sed talis eſt, quam ſi prudens Germania

Tandem ſibi proponeret,

Quae ſpectat uſq; ad interitum miſerrima,
Iam uafitati proxima,

Sperare poſſet & pacem & concordiam,
Quibus nibil ſalubrius.

Alioquin haud licebit pacis commodis
Domi forisque perfrui,

Nicauta certè primo quoque tempore
Sue ſaluti consulat.

Variæ uariorum ſunt de iſtoboc ſententiæ
Hinc inde ubique gentium.

Ratio tamen mihi ſit longè tutiſſima,
Quam comprobauit exitus.

Exempla ſunt per tota paſtim Biblia,
Sed eſt Iudith optimum.

Quo poſſit hostis hiſ arceri finibus,
Qui uexat hinc illincque nos,

Quā ſol

Quà sol uenit, & quà lux descendit hēspero,
 Seu Turca sit, seu Barbarus:
 Seu qui suos istos iuuat nunc symmachos,
 Tyrannus ille perfidus.
 Quid antichristus, quidq; eius satellites?
 Regnoq; Dei infestissimi.
 Quod si meis pareas monitis Germania,
 Sequeris ista deigmata.
 Ut tēre poenitentiae piamine,
 Pulsis nefandis cultibus.
 Deum tuum toto coles ex pectore,
 Ut te docent hæc dramata.
 Hinc arma sume aduersus hostem fortiter,
 Arcebis hoc à mœnibus.
 Certam dabit tibi Deus uictoriam,
 Qui te defendet fortiter
 Quare uiri uirtute uerè nobiles,
 Dominiq; cordatisimi,
 Hoc drama uestris sumptibus amplissimi
 Peragamus ad laudem Dei,
 Quod editum est & auspicijs uestris. Deus
 Est finis actionibus.
 Adiusta nostras hic armabit dexteras
 Duella uictor maximus,
 Nostri duelli ipsius esto gloria,
 Finis per omne seculum.
 V. M. deditiss.
 X. Betul. Aug.

PERSONAE VRBIS.

*Iudith uidua**Promptulus puer Iudith**Abra ancilla Iudith**Ioachim summus sacerdos.*

Legati Hierosolymitani.

*Simeon Iudas**Sachar Onias.*

Senatus Bethuliensis.

*Ozias consul Rasaias**Chabri Sabeth**Mesech Ioseph**Iabina Nathaniae**Emanuel Iebanias**Melchias Charmi**Lechinan Achior Proselytus**Misael filius Cos. Eudulus seruus Cos.*

Officiales et ministri publici.

*Signifer Scriba**Liturgus Praeco**Archidemius Apparitor.**Architecon*

Ciues priuati.

Polites Demus Tharsus.

Vigiles et custodes urbis.

*Phrurarcha praefectus uigilum**Sphendonites Phylax**Gregorius*

<i>Gregorus</i>	<i>Gnoſter</i>
<i>Nephelodes</i>	<i>Pyrgophylax</i>
<i>Tichophylax</i>	<i>Nyctoporeus</i>
<i>Pylius</i>	<i>Pylorus</i>
<i>Pannychius</i>	<i>Agrypnus.</i>

Puellæ.

<i>Anhydria</i>	<i>Hydrophila.</i>
PERSONAE CASTRORVM.	

*Holophernes imperator.**Amorites Moabites Socij.**Signiferi.*

<i>Thraso</i>	<i>Simalion</i>
<i>Donax</i>	<i>Liturgus</i>
<i>Phrurarcha</i>	<i>Heroldus</i>
<i>Gynæcrates</i>	<i>Gynæcius</i>
<i>Thaltybius preco</i>	<i>Vago à cubiculo</i>
<i>Pincerna</i>	<i>Phemius cantor</i>
<i>Armiger</i>	<i>Scapharchus.</i>

Demius Desmon excubitores.

IUDITH DRAMA
COMICOTRAGICVM
Exemplum Reipublicæ recte insti-
tutæ, Xysto Betuleio Au-
gustano autore.

PROLOGVS.



Lerisq; controuersia est morta-
libus,
Nec dum ratum, uel expeditum
mentibus,
Num fas sit arma Christiano su-
mere.

Mundus furit, nec ullum fit piaculum,
In quoslibet ferrum impium constringere.
Frater fratri mucrone, uah, confuditur.
Erecta signa utring; picta conuolant
Cruce, a spicem & Christum miles exercitus
Vt roq; sperat partibus suis fore,
Sæuis cadunt ciues suis uulneribus.
Ciues enim sunt, qui dederunt nomina
Christo suo imperatori in baptisme,
Se uelle bellum contra Mundum & Satanam
Confederatos gerere perquam fortiter.
Conspirat hisce caro nostra contumax,
Versa uice est uidere. Nam defectio
Ad castra Mundi pernix fit mala fide,

Dolus

Dolus malus persequitur innocentiam.
 Hi perduelles sunt censendi maximi,
 Qui sanguinem intestinum fundunt saeuia.
 Si belli causa queritur legitima,
 Princeps certat de paruo territorio,
 Aut gentium ius est uiolatum. Pauper hoc
 Colonus aut ciuis luet huic obnoxius.
 At sponte currit miles ære militans,
 Qui bella captat, spe prædandi: non quidem
 In hostium terra, socios solet male
 Mulctare. Quod genus latrones dixeris
 Rectissime: quia non illis religio fit,
 Quo sacramento militent, num iusta sint
 Haec bella, que pro partibus truces gerunt,
 Penes ue quam partem maior sit æquitas,
 Non haec habent pensi: sed si stipendum
 Hic grandius numerat, tum miles impius
 Lucro inhians desertor atq; proditor
 Fit patriæ, atq; principis proprij sui.
 Quid rusticorum, te precor, tumultus est?
 Seu rectius, seruilis euocatio?
 Quid ambigo? Brevis mea haec sententia est.
 In orbe Christiano bella multa sunt,
 Sed intestina & omnino ciuilia.
 Eo magis lamentis & suspirijs
 Ploranda nobis dæmonis uersutia.
 Quid ergo Turca? Barbarossa barbarus?
 Quid ipse Gallus? Quid? Nebucbadnezer est?
 Ecquid

Ecquid Philistim? Quid Pharaon Aegyptius?
 Quid Assyrius Holophernes hoc in dramate?
 Si te iubet Dominus ferro decernere,
 Est auspiciatum crede bellum. Et optimum
 Augurium pro fociſ q; aris q; sumitur.
 Sed arma in hoc bello sunt haec ualidissima,
 Preces fluentes ex sincero pectore,
 Ieiunium, atq; uitæ pœnitentia.
 Si bella sint nobis cum Turca barbaro,
 His machinis uincemus. Sed quod uincimur
 Subinde turpiter, fit quod uirtutibus
 Adscribimus trophœa per uictorias
 Quæſita, quodq; caſtra ſunt blaſphemijſ
 Scortis q; plena, & ſi quid ſcortis turpius.
 Num Turca fit tam turpis miror maxime.
 Non aſſolet Deus largiri gratiam,
 Niſi ſi diuit qui ſoli gloriā ſibi
 Meramq; & integrā. Hincq; ſæpius fuga
 Tergum damus, ſæuitq; in nos crudelius
 Victor ſuperbus tam dira tyrannide.
 Nec martias ſeruat leges, nec gentium
 Ius, nec piæ naturæ: nec mouet quidem
 Humanitas pectus ferinum barbari.
 Leonibus ſunt ſexuum discriminata
 Inſeuiendo, qui parcunt ætatulæ
 Teneræ. Sed hic crudelis ecce barbarus
 Laniat miſellos nil meritos infantulos,
 Animus meus tam foeda exhorret dicere,

Quām sēuus ille factat, spectaculis
 Pascens suos oculos cruentos. Non satis,
 O Rector orbis, ista erat rabies fera,
 Nomenq; sanctum Christi pulsū ex Asia
 Et Africa, ni iam monarchæ maximi
 Christi gerentes nomen tam plausibile,
 Cedant locum Machometo, & inirent fœdera
 Cum perduelle nominis sancti tui
 O Christe: causa sed sunt nostra crimina,
 Quod non tuum nomen ueneramur, ut decet:
 Quod nec fides fluens ex puro pectore
 Confidit in te, non salutis perditæ
 Credit sibi esse autorem, nec patris tui
 Cœlestis aliam maiestatem cultibus
 Colimus suis, quod stulti nostris finibus
 Expellimus uerbum salutiferum tuum,
 Non ambigo uiri Augustenses optimi,
 Quin si Deum colamus puris mentibus,
 Vitæ prioris emendantes crimina,
 Veraq; nos mutemus poenitidine,
 Bonus Deus staturus sancto fœderi,
 Ceruicibusq; sit pulsurus onera
 Tam dira, ut hoc uidere licebit dramate.

ARGUMENTVM.

Bethulia est sita in tribu Manasside,
 In rupe celsa, accessus illuc asper est.
 Hanc marte duro sœuus pressit barbarus,
 Assyrius ille Cambyses bello potens.

Holophernes

Holophernes dux superbus est exercitus.
 Senatus et populus periclo territi,
 Domino diem statuunt, si forte opem ferat.
 Deliberant, uelint ne hosti se dedere.
 Sed ecce foemina est uiris cordatior,
 Iudith uirago mente praesentissima,
 Periculis in ipsis plena consili,
 Belli molem totam in se sponte suscipit.
 Indicit illis publicum ieunium,
 Committit se castris tenera puellula
 Comitata, causas cædis aptas queritat,
 Noctem tyranno pollicetur. Sobria
 Dum steruit ipse, et noctu uino diffliuit,
 Sica secat ducis caput. Reuertitur
 Victrix in urbem. Terror hostes occupat:
 En fit fuga ingens. Ecce castra præda sunt.
 Hymnus Deo cantatur, et tripudijs
 Lætis repletur urbs gestis Bethulia.

CHORVSEXP SAL. XLVI

Tutum confugium Deus,
 Firmum robur is, atq; auxilium citò
 Compressis misericordiis per mala, quæ pertulimus diu.
 Quare non metus amplius
 Exterrens animos occupet anxios,
 Quamuis terra suo se moueat pondere maximo.
 Si montis celeri iuga
 Cursu, et præcipiti turbine corruant,
 Fluctus æquoreos concutiant per rapidū impetu:

Si uel inde maris sonus
 Frendat terribili murmure sc̄euius:
 Aut si celsijugis montibus adsit furor insolens.
 Nam sunt flumina riuulis,
 Quæ mulcent liquidis moenia murmure
 Dulci:moenia quæ cunctipotens en Dominus colit.
 Inq; æuum sacra permanet
 Vrbs, cuius medio præsidet optimus
 Defensor populi, qui auxilium tempore fert suo.
 Gentes dira tremant, furor
 In regnis trepidans concitus ingruat,
 Per terras fragor esto altisonus concutiens solum:
 Præsens at Dominus suis
 Pressis auxilium pro imperio feret:
 Solus cunctipotens. Nam Deus est ô Iacob tuus.
 Festinate uiri boni
 Huc, spectate Dei facta celebria,
 Admiranda citò, quæ fuerant, euanuere ea.
 Martis terrificos tulit
 Horrores, peperit pacificos dies
 Cunctis gentibus, ut uita quieta undiq; sit loci.
 Is dicet merito suis:
 Excelsus Dominus gentibus ille ego.
 Ergo cognita cunctis mea sit magna potentia.
 Dux est agminibus Deus
 Nostris, & miseris rebus in arduis
 Tutū confugium est. O Iacob, his Dominus, Sela.

ACTVS

I V D I T H.
A C T U S P R I M I,

S C E N A I.

Ozias Cos. Ioachim summus
Sacerdos.

R E S ardua est, ut indicas, sanctissime
Dei sacerdos, & princeps dexterime,
Pericula isthæc sunt sane grauissima:
At si modo simus forti constantia,
Non ambigo, quin tota Palæstina sit
Futura salua. 10. At amplius requiritur,
Simplex fides, preces, castum ieunium.
Sed interim te consul hoc interrogo,
Constantiae cum iam sit facta mentio,
Num uestra sit præsenti plebs constantia?
Quid muſitet grauissimis rumoribus,
Quid hinc & inde incerta captet consili,
Num iactitet usq; iam defectio,
Si res redacta sit fortunæ ad ultima?
O Z I. Quando aura spirat paſsim fortunatior,
Constans satis, per seq; quisq; fortis est:
At quando belli persrepunt pericula,
Rigent pleriq; frigida formidine.
10. At quid senatus? O Z I. Haud proclive est dicere.
10. Qui fit? O Z I. Pudet fateri inertiam. 10. Pudet?
O Z I. imo. 10. Deus prohibeat. O Z I. Hic tibi dixe.
Vix unus aut alter facit ferè suum (rim,
Officium: & heus, quotusquisq; est locum suum
Quam sit necesse, qui uelit tueri. 10. Ehò,

Hierarcha cō
ſultat cū cō
ſule de futu
ris periculis
ſustinendis.

*Quid audio? o z i. Si res uenerit ad calculum,
Videas parere qui malint tam barbaro
Domino, atq; dulcem libertatem amittere.
Quam qui focos, aras, Deiq; gloriam
Velint manu sua forti defendere.*

o z o. At quid precor, de uestra ais concordia?

*o z i. Rebelle nil, uel contumax me consule,
Quod nunc sciam tentatum est, ne tantillulum.*

*o z o. Multum interest, crede hoc, si sit concordia
Inter patres, plebemq; tum respublica
Floret, uigetq;. Si uero è contrario
Discordia est, nil saluum ibi relinquitur.*

*O Consul, o Ozia mi charissime,
Integritas magistratus hoc efficit,
Ut uniuersa ciuitas iam prompta sit,
Quicquid bonum atq; candidum est, amplectier.*

*Si sit pius princeps, Deiq; cultui
Studeat, facit populus contentionibus
Magnis id ipsum: sin princeps sit impius,
Aut nulla sit timclus Dei sententia,*

Frigus per urbem fit, crede hoc, celerrime.

Lex atq; scripta prophetarum funditus

Tolluntur, in diem secure uiuitur,

Si uulgus æmulatur facta principis.

Ergo, uides, que sit tui expectatio.

*o z i. Tua me monentis uerba sunt mihi admodum
Iucunda, nec non grata princeps optime.*

Sed tempus instat ut finem negotio

Queramus

Quæramus, ut huc primo quoq; tempore
Vocetur ad te ciuitatis concio.
Mandabo seruis publicis negotium hoc.

SCENA II.

Ozias. Præco. Apparitor.

P RÆCO. PRAE. Paratu o Cos. iussum tuum,
Ut me decet, statim exequar. o Z. 1. Abi citò,
Voca senatum huc ad forum: nam concio
Fiet frequens. apparitor fidissime,
Dic buccinatori ut pro more signa det,
Quo conuoleat populus frequens huc ad forum.
Summus sacerdos alloquetur publice
Populum & senatum de rebus grauissimis.
APP. Negotium hoc, ut conuenit, factum dabo
Promptissimus, segnis mora esto à me procul.

Consul iubet
concionem cœ-
tuoscar.

SCENA III.

Ioachim. Ozias.

Menti meæ sermo tuus subinde fit
Recens, & auribus meis: nec pectore
Arcere possum, quod dicas de ciuibus,
Tam non inesse illis firmam constantiam:
Quæ causa sit, non uideo, ni sit infrequens
Diuina passim lectio, tam publicè
In concione, quam rebus domesticis:
Si sim Dei beneficia benè recentia,
Quæ contulit nostris olim patribus pijs,
Quid Abrahe & Isaac, Iacob fecerit.
Sigesta Moysi, Aegyptia atq; Iosue,

Prosequuntur
deliberatio-
nem.

Dauidis, Ezechiae, & in Babylonica
 Captiuitate nuper Danielis, &
 Zorobabelis, qui postliminium dedit,
 Aliquis legat: tum fieri non, aut uix potest,
Quin rebus ut in aduersis sit & erectius,
 Et firmius fiat pectus mortalium:
 Credens Deum suum, qui sic maioribus
 Fecit suis, cunctis retrosum seculis,
 Et fultus audet tot promissionibus
 In rebus afflictis constanter fidere.
OZI. Sunt uera quae dicis sacerdos maxime:
 Sed en senatus uentitat. **Q**uin concio
 En conuolat turbatim (ut fit rebus nouis)
 Thronum occupato, dum presbyteri singuli
 Pro more te excipient, sacerdos maxime.
Io. Id stando fiat, ne nota hinc superbie
 Nascatur, haec uirtus nam principem decet,
 Ut quanto quisq; maior aut poterior,
 Is tanto se gerat in populo submissius.

S C E N A IIII.

Cos. dat scri-
bæ negotium
excipiendi.

Ozias. Scriba. Ioachim.
EN Scriba uir diserte, en summus Pontifex.
 Oratione publica excipito uirum,
 Ut ipse nosti pro tua eloquencia.
 Namq; hoc tuum officium, scis tute, efflagitat.
SC R. Faciam meum officium consul quam sedulo.
OZI. Thronum capesse, ut te monui, princeps pie,
 Dum scriba noster iussus pauca dixerit.

IO. Non

10. Non addebet sedere cunctis statibus.
 s c r. Consul, senatus & populus Bethulie,
 Dei sacerdos, & princeps in Israel
 Huc te uenisse gaudent ex animo sibi.
 Presentiam tuam credunt sibi bono
 Fore, & auspiciatam ualde reipublicæ.
 Quare pijs congratulantr plausibus,
 Obedientiamq; promptam deferunt,
 Rogantq; sit faustum & felix Bethulie.
 Aequi boniq; fer pater sanctissime,
 Si quid secus quam sit tua expectatio,
 Geratur hic, animi sunt candidissimi.
 Aperi modò hic illis tuam sememiam.

SCENA V.

Ioachim. Ozias. Chabri.
 Melchiel.

Animos benignos uestros clare intelligo,
 Animis benignis sic uicissim audite nunc,
 Viri Bethulienses. Res est ardua
 (Pectoribus hoc firmis, hoc tutò credite)
 Et caufa huius peregrinationis est,
 Quæ me, piumq; quenq; in Israel uirum
 Meritò tenebit sollicitum. Multos dies
 Omnes per angulos Iudeæ, & oppida
 Celer peragrans huc ueni Bethuliam,
 Monitus graui Babylonico periculo.
 Ex quo nuper postliminio nos Zorobabel
 Reduxit, heros ille prudens, strenuus,

Pōtifex hor-
 tatur populu
 Bethuliensem
 ad constatiā.

Fortisq; princeps Israelis. Hinc ego
 Monitus saluti consulturus publicæ.
 Trepidatio est, terrorq; magnus undiq;
 Ad nos relatus certus rumor bellicus,
 Assyrium Cambysen ad arma martium
 Spectare contra nos, qui illum nec læsimus,
 Nec contra gentium ius hunc uiolauimus
 Quoquo modo. Victorij superbit hic.
 Hæc summa lupi contra oves occasio est,
 Robustior quod est, hoc est tyrannidis:
 Ut quo quis imperij protendit latius
 Fines, hoc latius regnare percipit.
 Visum est eis in nos utile, regnantia
 Vibrare sceptræ. Quod Nabuchadnezer, is
 Qui nos subegit, factitauit antea,
 Quum nos modis miseris afflixit. qui sumus
 Prä cæteris populis, priscis temporibus,
 Ut scitis, & nostri iuris semper, quia
 Präscriptione temporis liberrimi, &
 Nulli seruiuimus tyranno. Viximus
 Et legibus pijs, & sanctimonij
 Domino Deo fuiimus semper charissimi.
 Sed est timendum, ne sit hic crudelior
 Futurus, ut qui habet ducem sæuissimum,
 Holofernem, inanes exhalantem glorias,
 Qui non solet deuictis ullis parcere.
 Grassatur æqua in omnes inclemensia,
 Teneros, senesq; iuxta & castas uirgines,

Matres

Matres pudicas, atq; foeto turgidas.
 Victorij superbit ille barbarus,
 Quod Idumæos sub regis sui iugum
 Redegit, Heptapolimq; cepit uiribus
 Magnis in deditioñem. Item phalangibus
 Itineribusq; magnis nunc in Israel
 Contendit, id quod non pridem per epistolam
 Est indicatum tam uobis, quam cæteris.
 Et oppidis & rebus publicis Dei
 Sibi arrogat nomen, cultumq; maximi
 Celsissimi, sed sic maiestas corruet.
 Nullis dijs pепercit uictor (si modo
 Sunt nominandi dij qui cæcis gentibus
 Coluntur) is superbit ex uictoria,
 Ea frui cupidit. Quare illi commodum
 Videtur, ut deuictos nos tyrannidi
 Regis sui subigat, nostris ceruicibus
 Iugum graue imponat. Multo grauißima est
 Hæc omnium conditio, quod ille impius
 Templum Dei nostri Optimi atq; Maximi
 Prophanat, interdicit concionibus,
 Sacrisq; in uniuersum cæteris, tamen
 Nolim uiri fratres animo consternier
 Quenquam. Dei præsidio sed constantius
 Nixi confidite. Is non deseret pios.
 Natura uestram ciuitatem munijt,
 Anfractibus saxosis, & angustijs,
 Locoq; nullo rupes hosti perire.

Si cura adhæc uigil uobis accesserit,
 Si commeatus sit, si instructa ciuitas
 Et machinis, & rebus necessarijs,
 Tum cæteras Deo curas committite.
 Is turris est, & arx uobis fortissima.
 Si nos eum uotis pijs precabimur,
 Si continentes curam nostri corporis
 Negligimus atrati, & squalore sordidi
 Geramus intus corda ualde candida:
 Si sit magis nobis curæ eius gloria
 Diuina, quam salus uel nostri corporis,
 Velsplendidæ fortunæ: tum promptus dabit
 Voti esse compotes. id quod maioribus
 Nostris, prioribus iam retrò seculis
 Euenit inter cæteros uel maxime
 Mosi duci, quem hostis Amelech male
 Vexabat armis: sed expansis brachijs
 Orans Deum, uincebat: at si languidus
 Remisit, inclinata tum uictoria
 Est uisa. Quur: hostis fidebat fragili,
 Qua fultus ille tum fuit, potemia.
 Sed erat ualentior multo precatio,
 Quam tela sint, & omnes belli machine:
 Quia Dominus præsto illis & præsens fuit,
 Viri Bethulienses. Hæc pro temporis
 Necesitate uisum est ad uos dicere.
 Curate uos quæ uestra sunt. modum dedi.
 Nam si fuit tempus post orbem conditum,

Quo pœnitentia uera fuerit opus,
Vigilantiaq; nunc est hoc quam maxime.
Iter meum per Israelis oppida
Pergam, meo functurus isthic munere.
Commendo uos Deo Optimo atq; Maximo,
Visurus, ut spero, uos pulsis hostibus.
Valete. Spem cunctam uos ponite in Deo.
O 2 1. Viri Bethulienses, ciues optimi,
Audistis hæc quæ princeps & sacer Dei
Antistes hic pro concione dixerit.
Nec rumor ille qui de bello spargitur,
Vos hic latet. Causas bellorum tollite.
Non hostis hæc molitur uiribus suis:
Est uirga, qua suos emendat maximus
Monarcha mundi, quando fit defectio.
Causæ duelli sunt, commissa crimina.
Purgate mentes, emendate pectora,
Negotium bono Deo committite.
Sed non sit interim uobis ignauiae
Locus pudendæ, sed præsentि pectore
Animisq; promptis & uirtute bellica,
Votis pijs, instructi mente sobria,
Vtrang; sortem (quod princeps piissimus
Mandauit) expectate quæso fortiter.
Hæc sunt patres, quæ uisa sunt pro tempore
Vos admonere. Verum si quid amplius
Seruire scitis rebus afflictißimis,
Pro more dicat quisq; Chabri tu prior

Senten.

Sententiam tuam dic. C H. Præclarissime
 Hierarcha dixit, nec tu quid remissius
 Ozia. Fortitudo cœlitus peti
 Debet. Modus placet, placet sententia.
 Ego non puto quenquam fore, id qui non uelit,
 Nisi cui salus non pectus tangat publica.
 o z i. Dic Melchiel, M E L C. Pro re nil utilius potest
 Dici. adprobo. Si qua maior prudentia
 Latet recondita in cuiusdam pectore,
 Hæc audiatur. o z i. En nutu, silentio,
 Et gestibus patrum, populiq; maximus
 Consensus est. Laus detur autocratori.
 Abite quisq; ad coniugem atq; liberos,
 Curabimus nos nostras partes sedulo.
 Si signa tubæ clangor dabit, currите
 Huc ad forum telis instructi, & pectore,
 Memores sacri ciuilis recte fœderis.
 Iam restat o patres, ut sanctum principem
 Summi Dei sacerdotem benignius,
 Ut nostra nos humanitas docebit, hic
 Tractemus. hæc domi curata cuncta sunt.
 Negotium melius nos in conuiuio
 Et pensitemus, & fruamur principis
 Sermonibus solum Deum sapientibus,
 Quo promptiores simus si neceſſe fit.
 I præ, tuum latus claudam sanctissime
 Mystes, senatus nos sequetur. Vos patres
 Sequimini or, ut nos instituamur rectius.

Chorus

CHORVS EXP SAL. LXXXIII.

AN quisquam similis tibi supreme

Atq; eterne Deus, potens & alme,

Quar mutus retices silentio alto?

Quar pressis miseris quiescis? Ecquid

Iam nos deseris? Ecquid hoste diro

Nobis auxilium negas premente?

Hostes nominis en tui tumultus

Sæuos, terribiles mouent maligni,

Osores caput efferunt superbū.

Aduersus populum tuum dolosas

Fraudes, insidias struunt latentes,

Sanctum consilijs petunt inquis.

Conspirant, populum euocatione

Cogunt, huc age, conuenite, adeste.

Quar non perdimus hunc citò popellum?

Quar non funditus Israels omne

Nomen tollimus? ecquid orbe toto

Nos illos superesse sustinemus?

Conspirant animis iniquiores

Contra te Domine, atq; iniire foedus

Ausi sunt temerarium prophani.

En tentoria fixa sunt Edomis,

Ismael populi expeditione

Venitiant, Agaronides Moabiq;

Ammon & Gabalitudis phalanges

Aduentant, Amalech Philistijm q;

Vna cum Tyrijs originis uetus te.

Omnes

Omnes Assyrijs sua arma iungunt,
 Ut Locho auxilium ferant uetusto,
 Firmo foedere symmachi fideles.
Illis ut Madian uices repende,
 Illis ut Sysaræ irrogato pœnas:
 Pœnas quas Iabim ad Chisona dabant.
Nanq; illi perierte in oppido Endor,
 Quod agro est finus atq; pingue sterlus,
 Illud sit sanies tabesq; putris.
Et fac esse duces eorum ut olim
 Orebus Midian, itemq; Zebus,
 Ductores Zebe, Salmanach potentes:
Bellis qui populum tuum nefandis
 Vexabant miserum, superbientes
 Iactabant, habitemus arua forte.
Illis fac Deus ut rotentur acti,
 Ut uento stipulae leni actitentur,
 Ut syluae uirides edantur igne.
Tali suppicio Deus tyrannos
 Istos affice, turbinis procella
 Illos obrue, fulminisq; telo.
Illorum facies pudore multo
 Impleto, ut memores tuumq; nomen
 Confusi uenerentur, atq; adorent.
Turbentur uario colore tinti,
 Turbati pereant, modò ut Deum te
 Agnoscant Dominum potentiorem.

ACTVS SECUNDI,

SCENA I.

Demius. Desmon. Achior.

Sphendonites. Gregorus.

Phylax. Gnoſter.

NE plus satis pergamus, hem refer pedem.

DES. Ni fallor iſthic eſt uigilum custodia.

En excubant, statio eſt in ſomniſ, peri uigil,

Adtentā. tu caue tibi. DEM. Refer pedem.

DES. Fundas habent, funda ualent, caue tibi.

Hostili gressu huic ad nos adfectant uiam.

DEM. Fidei male uirum ut meruit ligabimus

Huic arbori. DES. Liga pedes, ego uolo

Manus eo modo conſtrīgere, ut modo

Nullo queat reſoluere. DEM. At maturius.

DES. Dic oppidanis, quis nā te huic conſtrinxerit,

Discede mox, moraſq; rumpe. Is hic bene

Sedet, luet poenam dignam factis suis.

Cunctis uelim fieri ſic prodi toribus,

Quo tuta ſit ſemper maiestas regia.

SPH. Cursu cito inſequere, citius propera, fugam

Adornat alter. PH. Quin funda uteris tua?

Iaculare nil cefſes. DEM. En fundis miſſitant.

DES. Celeri gradu propera, inſequuntur, ne fuam

Libidinem in nos expleant crudelius.

DEM. Tute uide ut neuter pes posterior ſiet,

Sub calce ne naſcantur tarda gramina.

DES. Nunquam neceſtas nobis ſic iuſtitit,

Achior sym
machius preſ
dicionis iniſ
mulatus, Be
ſtuliſib. ab
Hoſerne
expoſitus, ar
bori alliga
tur.

En saxa fundis aduolant celerrima.

S P H. *En uinctus hac in arbore. Quis nam tu putas
Is est?* **G R E.** *Adito, quære ex ipso quis siet,
Aut unde sit, cuias, quis huc ligauerit.*

P H Y. *Iudeus haudquaquam est, hoc uestis arguit.
Assyrius est, ni fallor, nec gregarius.* (rit.

S P H. *Quid uinctus hic sedes? dic quis te huc uinxerit?* **A C H.** *Haud difficulter isthuc uobis dixero.*

*Si uita salua sit, si pax sit publica,
Nil promptius mihi est, quam uobis dicere,
Quid haec sibi uelit captiuæ sessio.*

P H Y. *Fidem meam stipulor tibi te saluum fore,
Si tu tuam fidem bonam seruaueris.*

A C H. *Nil amplius peto, nexus resolute,
Statuite me pro more uestro, ducite.*

*Lubens sequor, nil promptius. Senatui
Vestro dabo rationem, uel populo satis
Superq; declarabo meam innocentiam.*

*Quin insuper docebo, quod uestrum interest,
Vel maxime rescire, quantis uiribus*

*Dux Aßur, & quid nam captarit consili
Aduersus Israel populum Chaldaicum.*

D E M. *Adparet esse non malus, nostratibus
Fauere partibus non ambigo. illius*

*Nos uincula restringemus. **G N.** Dic nomen tuum.*

G R E. *Dic. **A C H.** Achior. **S P H.** Animo macte sis in.
Securus esto, adibis nostrum consulem:* (tegro,
ut bonus uir est, te pace publica

Donabit,

Donabit, & tractabit humanissime.

P H Y . Sequere modò intrepidus, præsenti pectori;
 Non est in Israel id moris, ut dolo
 Malo, aut malis agatur artibus. Bonum
 Aequumq; tam coluit semper gens Israel,
 Quim non alia sub sole. Nil temerario
 Decernitur consilio: sed prudenter hic
 Deliberantur æqua lance singula
 Nostro in senatu, quum frequens est sessio
 Dijudicantur. A C H . Nil detrecto, ducite
 Modò, & nihil tam prompte faxo, credite.
 Nec gratus continget isto tempore,
 Quam si in frequenti concione hic audiar.
 Nam conscius mihi sum me nil in Israel
 Mali aut iniqui designasse: quin magis
 Periclitatus sum, quod hunc impensis
 Populum duci uestrum meo laudauerim.
 Studio salutis uestræ sum huic periculo
 Expositus. S P H . Hic pericli nihil timendum erit;
 Causam senatui si tu probaueris
 Tuam bonam esse, aliud si nihil dixeris
 Quam quod bonū atq; æquū fuerit. Nam pessimum
 Ut scis, malum consilium est consultoribus.

SCENA II.

Liturgus. Gregorus. Achior. Achior ab
 QVIS hic uir est? mirum est, quo ceperint loco. oppidanis
 Vbi nam uirum hunc cepistis? Certè is hostis est. obseruant
 & capitur.
 G R E , Homines eius foris uinxerunt arbori.

pp 2 A C H , Non

A C H. Non hostis(hoc credas) nec perduellio,
Ex autoratus per meos sum proditus
Vobis. Ob hoc soluta sacramenta sunt.
Aut captus, aut amicus sum Bethuliæ.

S C E N A III.

Liturgus. Ozias in senatu.
Achior.

Liturgus fa-
mulus publi-
cus, de Achior ad senatū
refert. Achior
senatui ne-
gotium expo-
suum.

Vigiles, patres dum pro officio excubias agunt,
Nacti uirum foris ex Assyrio agmine,
Qui ait suos se prodidisse milites.
O Z I. Si statur hic. iube ingredi. **L I T.** Fiat modō.
Causam tuam, uir Assur, nunc senatui
Expone. **A C H.** Pax patres sit huic confessui.
O Z I. Pacem precaris perduellio tuis
Hic hostibus? Tu incircuncisus Assur es.
Quid nam sibi isthæc proditio uelit tua,
Id non satis liquet. dolum nobis malum,
Et hostium fraudem arguit. Non proditus,
Sed huc uenisti ut explorares proditor.
A C H. Quod hostium dolus uobis suspectus est,
Non id quidem mirum patres Bethuliæ.
Atqui Deum testor uestrum sanctissime.
Fas sit mihi Assur sacra iura soluere,
Fas sit uiros odisse, & uobis omnia
Consilia quæ tegunt, sub auræ prodere,
Nec legibus patrijs ullis tenear. Fero
Me proditum esse. non ego interim nego,
Non esse me uestratem: sed si facta sit

Pcr

Per uos potestas, ut dicam rem hic ordine,
 Falso lubens. & hoc salutis eruiet
 Vestrae meæq;. o z i. Sit tibi fandi copia.
 Quod si innocens fueris deprensus, hoc tibi
 Bonum atq; commodum fuerit. dic libere.
 ACH. Viri Bethulienses, & patres pijs,
 Verißima hæc sunt, quæ dicam breuißime.
 Postquam superbis multis ex uictorijs
 Dux Aßur est Holopernes, qui sine sanguine
 Regis sui ditioni & regna & oppida
 Subegit, ad Euphratis alti terminos
 Vtrinq;: quin rebellium seuuus solo
 Aequauit urbes, & superba mœnia.
 Et ferro & igne uastans cuncta perdidit.
 Agros Damasci in ipso messis tempore
 Absumpit igne, diripuitq; prædia.
 Cilicas feros, Iaphet inde terminos,
 Plagas Noti, atq; adeò terram ditissimam
 Arabum occupauit, atq; adflixit pessime.
 Trepidatio uicinas urbes horrida
 Inuasit, & Sidona diuitem, & Tyrum
 Vetustam, & Ascalona, Azotum, amplissimam
 Et cæteras, quas non necesse singulas
 Numerarier. suos ad ipsum missitant
 Pacem petitum oratores, qui coemant
 Quicunq; conditiones non æquißimas,
 Tributa non detrectent uel grauißima.
 Ex his superbit ille uictor, nil putans

Suæ amplius potentiae resistere.
 Veruntamen postquam resciuit Israel
 Spectare ad arma, non offerre promptius
 Claves, Malum, inquit, frendens toruus dentibus,
 Quis populus iste qui rupes hic montium
 Colit? Cuò dynastas omnes conuocat,
 Exquirit, ecquæ uestra sit potentia,
 Quibus ue præsidij nixi contemnere
 Ipsum audeatis, quur præcludere aut uias,
 Aut arma capere, aut armis sortem credere,
 Consultat. Indignantur omnes, & tacent
 Reliqui, duces Moab & Amoritudum.
 Interrogatus & ipse, quid nam censem,
 (Neq; enim gregarius miles, sed dux fui
 Ammonius præ cæteris præstantior,
 Et Achior nomen mihi est notissimum)
 Tum liberam peto dicundi copiam,
 Ne fraudi id eſſet, si secus quid dicerem,
 Quām sorte multorum eſſet expectatio.
 Datur. mora dico sublata, quod mihi
 Ex lectione crebra cognitum fuit,
 Exorsus, inde quod uestris ex Biblijs
 De gente uestra, de Deo uestratum
 Compertum erat, quomodo in Aegypto fertili
 Pharaonis atrocis ſeuam tyrannidem
 Passis diu, dederit per fluctus exitum
 Siccis, & inſequentes hostes miferit:
 Arabumq; petris, & solis in alpibus

Per quadraginta annos, uobis benignius
 Benefecerit, coeleste manna miserit,
 Sicutibusq; aquas dulces durissima
 Dederit petra duris vibratu Moseos.
 Ut sim breuis. Vestris quondam maioribus
 Id esse priscis obseruatum, seculis:
 Si uestra gens mala fide
 Suo Deo seruuerit, tum destitutos omnibus
 Beneficijs Dei, ut in rupto foedere
 Fieri solet. Nam foedus uos firmissimum
 Habere cum uestro Deo, idq; legibus
 Certisq; conditionibus (quas dixeram)
 Nempe ut Deus uester defensor undiq;
 Assertor & uindex afflictionibus
 Vestris uelit iuuando adesse accerrimus,
 Sise pio cultu uelitis, nec deos
 Alios latria prosequi. Multum & diu
 Paradigmatis id obseruatum sepius,
 Constantibus uobis datas uictorias,
 Pulsosq; reges, ex sedibus passim uiros
 Fortes ceßisse. Nam uestrum Deum
 Sic emulum esse, ut non alios ferat deos,
 Nec auspicio quem tentasse id hactenus
 Illi occupare regnum, siue gloriam.
 Et haec quidem narraueram. Nec interim,
 Patres, seram dissimulanter quid consili
 Dederim duci, non esse quir despondeat
 Animum, aut suis coeptis desistat turpiter:

Quin id magis confessim exploratoribus
 Negotium det, qui hæc explorent singula.
 Si qua Dei uestri iram concitaritis
 Cultu dei peregrini, uel quoquo modo,
 Certissimam uictoriam sibi fore:
 Veruntamen, quod si officium faciat suum
 Hic quisq; uestrum, uobis propitium Deum
 Vestrum fore, & partes uestras defendere.
 Mihi esse compertissimum: nec illius
 Exercitum, currus, equos, tentoria
 Quicquam ualere. Et uix cessaram dicere,
 Quis clamor? & quanta illic indignatio
 In me ducis? quam dentibus tum frenderes?
 Spirant minas, & uoce clamant horrida,
 Læsam esse per me maiestatem regiam,
 Quod ego potentiorem dixerim Deum,
 Quam sit potestas regis Assur maximi.
 Iam miles omnis iurat in necem meam,
 Haud aliter atq; si sim uester proditor,
 Ac partibus uestris patronus adsiem.
 Communibus uotis adclamant singuli:
 Is hostis est, is hostis est, is hostibus
 Tradendus. Hinc patres uobis sum proditus,
 Ut aut luam, uobis ira impotentibus,
 Vel in suas uictoris incidam manus,
 Si forte sim seruatus ex periculis.
 Hinc, hinc patres & præsides Bethulie,
 Vestrum est uidere, quid nam uos hic æquitas

Monat.

Moneat. Fidem uestram niser nunc inuoco,
Vobis meam stipulor fidem sanctissime.

SCENA IIII.

Ozias. Senatus. et tota
concio.

O Achior, tu duras partes prædicas,
Nostras tuasq; iuxta. O ciues optimi,
Auditis in quo sit status noster loco.
Præsentius non est nunc afflictissimis
In rebus auxilium, quam maximi Dei
Nostri: sed is si forte sit infensor
Vel casibus non cautis, uel neglectui
Cultus sui, preces fundamus consonas
Suspiciois natis in imo pectore.
Nam maxime his placatur ipse uictimis,
Nec gratius sacrum (si psalmis credimus
Davidicis) quam uitæ poenitentia.

PRECATIO CONCIONIS.

Altissime cœli Deus,
Terræq; dexter arbiter,
Hinc arce uim sæuissimam,
Minas superbas hostium.
Clemens uicissim respice,
Quam nostra sit simplicitas
Submissa, quam plebis tuae
Sit pura sanctimonia.
Iustas luat superbia
Pœnas, declarat fortiter

Te deditos tibi bonos
Forti manu defendere.

S C E N A V.

Ozias. Achior. Chabri.

Melchiel. Phrurarcha.

Consul solat
Achior. Da-
tur Phrurar-
chæ negotiū,
ut curet uigi-
lia.

Non est quod abiicias animum, quin tu magis
Fiducia spem forti firmam concipe.

Noster Deus, quem fortiter professus es,

(Bona fide hoc recipio tibi) fidelis est.

Est autocrator, est monarcha maximus.

Tibi is tuam rependet hic constantiam.

Faxit tuos uideas hostes occumbere

Tum, cum sua bonitate liberauerit

Nos ex malis his nobis ingruentibus,

Nostrasq; partes uindex iustus adseret,

Nos uindicabit profligatis hostibus.

Tum res tuas benedictionibus suis

Almis secundabit (credas) benignius.

Quod si tibi id rebus tuis uidebitur

Consultum, & hic lubentes te donabimus

Nostra tribu, nostraq; ciuitate. Quid

Multis e eris nobis longè charissimus,

Gratiissimusq;. Et charam coniugem tuam,

Tuosq; liberos nobiscum habebimus

Honore summo, non secus quam si sient

Prognati in Isracl. A C H. Isthaec humanitas

Hic uestra sanè grata (nec id iniuria)

Nobis erit. Tolerabimus bona & mala

Vna.

Vnā. Nec est periculum, quod abnuam
 Subire, dummodo inter uos possim meam
 Cultor Dei uestri uitam consumere.
 Vestra fruar bonitate, quum proselytus
 Fuerō. o z i. Viri fratres, & presbyteri Israel,
 Virum hunc conuiuio excipiēmus sobrio,
 Cœnabimus domi meæ, atq; corpora
 Curabimus factis refectionibus.

Inibimus consilium sanum & sobrium,
 Quibus modis posſit defendi ciuitas,
 Et quomodo fit salua nobis patria.

C H A. Sic censeo, domi id multò fit rectius,
 Nec est necesse hæc ad populum referri.

M E L. In arduis rebus placet suffragium
 Plebis, domi possunt hæc fortè transfigi.

O Z I. Phrurarcha tute scis negotium tibi hoc
 Datum, uias, portas & propugnacula
 Custodibus munire, & fontes maxime,
 Misq; manda, si quis hoc exercitus,
 Aut miles Assur occupet hic angustias,
 Mihi id domi meæ celerem per nuncium
 Mora sine omni nuncietur. P H. Hoc bene
 Curabimus, hic nulla negligentia est,
 Faciemus officium nostrum quam sedulo.

CHORVS EXP SAL. LIX.
 Eripe me Domine hostibus his,
 Perdere qui sat agunt animam
 Ecce meam innumeris studijs

Omnigenis,

Omnigenis, uario quoq; consilio.
 Destrue consilia hæc Domine.
 Eripe me Deus hisce malis
 Hostibus. Ecce furore suo
 Nescio quo mihi damna parant,
 Ne precor hi noceant scelere,
 Sanguine qui saturi esse uolunt.
 Infidias mihi nang; parant
 Horribiles misero. Ecce ruunt
 Ex statione sua ualidi.
 Nec ratio ulla subest alia,
 Quam quia non malus esse uolo.
 Perdere nil meritum properant.
 Surge rogo, auxilium misero
 Ferre para mihi nunc celere,
 O' deus agminibus superis
 Praeses & omnipotens Domine.
 Nec populis pius esse uelis,
 Qui bona nulla probare queunt,
 Omnia qui faciunt scelera.
 Non miserere uirum, potius
 Sumito supplicium meritum.

ACTVS TERTII.

SCENA I.

Vigilie no-
 ñurne in ur-
 be habentur.

Nephelodes. Pyrgophylax.
 Tichophylax. Nicoporeus.
 Pylus. Pylorus.
 O Pyrgophylax, o Pyrgophylax,

Nunquam

Nunquam mage, quam modo crede fuit
 Opus ut uigilantibus hic animis
 Oculisq; hoc in discrimine nunc
 Peragamus noctiuagi excubias.

P Y R. Imo, nisi mœnia celsa Deus
 Tueatur et in uigilet, uigiles
 Frustra uigilabimus assidui.

N E. Nihilominus est opus ut uigiles:
 Turrim tibi mando tuam, atq; uale.

P Y R. Quin tu quoq; iam officium facito
 Hac nocte tuum . T I. Te Nyctoporeu
 Moneo officij. N Y. Tibi Tichophylax,
 Murus tibi creditus est. Valeas.

T I. Valeas quoq; tu. uigil esto bonus.
 Ecquid tibi in his rebus miseris?

P Y L I. Mihi porta data est, alijsq; meis
 Socijs. P Y L O R. Si quid uobis fuerit
 Visum, quod non placeat, siue quid
 Hostile foris, aut arma sonet,
 Facite indicium. T I. Patria potius
 Nihil est, nec uita mihi, aut aliud
 Quicquam. P Y L I. Commune malum satis hoc
 Monet, ut curæ sit publica res.

N E P. Quarta ò boni ciues sonora
 Campella dixit, quod sit hora.
 Hostis procul, procul fuge.

T I. Quarta ò boni ciues sonora
 Campella dixit quod sit hora.

Hofis

Hostis procul, procul fuge.

SCENA II.

Phrurarcha. Pannychius. Agrypnus. Gnoster. Pyrgophylax.

Agitur idem.

Tichophylax. Pylius.

Nox alta filet, strepitus procul est,

Nec in urbe modo, sed mœnia sunt

Tranquilla satis. G N. Quid Pyrgophylax?

Ecquid tibi quid? P Y R. Bene cuncta quidem:

Etiamnum hostile nihil video.

P H R. Cura ut uigiles memor officij.

P Y R. Fidei mihi semper erit ratio.

P A N. Mora parturit haud dubiè mala. P H R. Vach

Multò citius præstò fuerint

Hostes timeo, quam nos cupimus.

Vigiles muri officij moneas.

G N O. Hem Tichophilax, uigilas' ne bene

ti. Nihil est potius mihi in hisce malis,

Quam publica (crede) salus. P H R. Bene. sed

Nunquis strepitus fit ab hoste? T I. Mali

Nil dum video: si quid uideam,

Fidei memor esse uolo. P H R. Facito.

Num porta Pyli satis excubijs

Munita? P Y. Puto. P H R. Facite officium,

Somnus procul esse uelit: moneas

Socios, uigilent alacres. P Y. Moneo.

P H R. Non est locus aut tempus uigili

Somno indulgere modo his grauibus

Rebus,

Rebus p y. Moneo fidei, moneo
 Patienter ut hoc commune malum
 Nunc sustineant, nihil efficio,
 Quin murmura sunt. P H R. Nil murmure opus.
 A G R. Quur non proceres hic excubias
 Peragunt? Miseri sunt, bis miseri.
 P H R. Te haec uerba malum ciuem esse probant:
 Ciui le nihil sapis: at magis est
 Tibi seditio studio. proceres
 Sat habent quod agant, uigilare solent
 Quum steris, & alta quies tibi fit,
 Qui presidibus maledicit, is ex
 Domino maledicit. P Y. Idem monui,
 Sed frustra tamen. P H R. Bene tu bone uir
 Facis ut decet, hoc iubet ipsa fides.

SCENA III.

Pyrgophylax. Tichophylax.
 Nyctoporeus. Polites. Eudu-
 los. Ozias. Buccinator.
 Demus. Tharsus.

H E U S Tichophylax, heus Tichophylax.
 T I. Hem Pyrgophylax, hem quid tibi uis?
 P Y R. Ecquid tibi, te rogo, num strepitus
 Auditur? T I. Id ipsum, nec procul est.
 Exercitus in cliuis, nisi me
 Oculi fallant, hinc despicio
 Sub praeципiti anfractu, & uiridi, haud
 Procul a saltu sonipes crepitat,

Holopher-
 nes noctu ur-
 bem obsidet,
 ponit castra,
 uigiles de his
 consuli indi-
 cium faciunt,
 uo antur ci-
 ues ad armas

Hinnit,

Hinnit, fremit: & trepidat sonitu
 Tellus. P Y R. Videor mihi idem auribus his
 Audire: sed ipse en hostis adest,
 Est impius Assyrius. propera,
 Fac indicium celere, celera
 Ad consulis ædes: hinc mora sit
 Procul: ista pericula dic celere.
 T I. Quin Nyctoporo iubeas. Melius
 Fuerit, satiusq; manere. P Y R. Vigil
 Heus Nyctopore. N Y C. Hem: P Y R. Propera citius.
 N Y. Quó nam? Quid nam tibi uiss? P Y R. Celera,
 Fac præsidibus mox indicium,
 Huc Assyrium uentasse. N Y C. Malum id
 Omen, miseros nos, heu miseros,
 P O. Quid uociferatio? Quid precor heus
 Miserabilis iste tuus sibi uult
 Clamor. N Y C. Miseri sumus. hostis adest.
 P O. Heu nos miseros, heu nos miseros.
 N Y C. Mecum propera, nos indicium
 Faciemus præsidibus: ianuam
 Pulsato, prior siquidem fueris
 Cursu. E v. Quæ nam ista frequens
 Crepitatio? N Y C. Mox. Domino uolumus
 Facere indicium, quod barbarus est
 Sub mœnibus. O Z I. Heus uigiles. N Y C. Domine
 Consul, fragor armorum crepitat.
 Sub mœnibus altis, Pyrgophilax
 Me iussit ut indicium facerem

Tibi,

Tibi, præsidibusq; alijs. o z i. Properans
 Fac clæsica sœu sonent, citius
 Quo confluat armiferus populus.

N Y C. Faciam. p o. Trepidatio magna nimis
 Fiet taratantarico sonitu.

N Y C. Heus clæsice clæsica signa dato.

B V C. Ni consul id ipse suo iubeat
 Iussu, minimè faciam. N Y C. Facias.

Nam consul id ipse iubet, tibi sum
 Huc nuncius. hoc mihi fide fide
 Sanctaq; bonaq; . B V C. Satis mihi fit.

Taratantara nunc resonet fremitu.

P O. Horribiliter sonitus sonat iste satis.

Concursio fit, trepidatio fit,
 Populi fremitus, strepitus, miseros

Nos, heu miseros. Q uis finis erit?

D E M. Quid clæsicus hic sibi uult? rogo te.

P O L I. Heu hostis adest. Heu Assur adest.

T H A. Armis opus est. nil efficitur
 Clamore. Timor procul esto, procul.

Præsentia nunc mihi pectora sint,
 Fortisq; animus. P O. Nil arma ualent,

Ni dux. Dominus præsens fuerit:

Ils solus iura salutis habet.

En consul adest, armatus is est

Armis, animo, et bene consilijs.

Ozias. Phrurarcha. Pylorus.
Pyrgophylax. Holophernes.

Consul iustrat **M**ācē o*cives animis opus est,*
urbem, excusū Et pectoribus firmis. Agite,
bias & por-
tas, neqd doli Pellite curasq; metumq; procul,
aut proditio-
nis lateat. Ha In Domino fidite. Magnipotens
bet cū hoste Etenim robur dabit. Auxilio
deditioñ pe Veniet, sicut & nostris patribus.
tente ex mu-
ro colloquiū. Ad signa manete, fides animis

Sit integra. Quin Phurarcha ueni,
Comes esto mihi. Vigiles uidero,
Portasq; dolus ne quis lateat
Malus, aut mala proditio. P H R. Nihil o
Consul melius quam consilium hoc.

Oculus domini melius uidet id,
Si quid geritur non ualde probē.

OZI. Ecquid uigiles agitur? **P Y L.** Strepitus
Ingens sonat armorum, uarijs

Clamoribus o patriæ pater, o

Consul caput urbis: & armis

Exercitus horrifico frendet truciter

Fremitu. **O Z I.** Nunquid sera salua satis?

P Y L. Sera salua quidem est, & salua fides.

O Z I. Nihil amplius ipse potes facere,

Quam si patriæ præstes fidei

Ius. Ad turrim celerabimus, &

Ibi prospiciam, quid nam hostis agat.

P H R. Heus Pyrgophylax, quid nam Assur agit?

P Y R. Fragor ipse docet, quod castra locat,

Sub præcipiti clivi, domine

Consul, video ni fallor eum.

O Z I. Hoste! ne? P Y R. Duce. P H R. Numquid properat

Eques huc? P Y R. Sub moenibus ipse furit,

Spiratq; minas, et colloquium.

H O L. Heus heus uigiles, heus heus uigiles.

P Y R. Holopernes nos uigiles uocat. O Z I. Hem.

Ecquid sibi barbarus ille uelit,

Rogitato. P Y R. Holopherne, quid tibi uis? (nam?)

H O L. Proceres uolo. P Y R. Cōsul adest. H O L. Vbi

Dic prodeat hic in colloquium.

P Y R. Amplissime consul, colloquium

Tecum petit hostis. Nunc aderit.

O Z I. Hem barbare uir, quid tu tibi uis?

Ecquis furor est nouus iste tibi?

Quid bella pijs heus saue moues?

Ecquid placidam turbas requiem?

Curius uiolas, quod gentibus est?

Non Assyrijs Iude ex tribubus

Iniuria fit, uel facta fuit

Vnquam. Sine nos cum pace bona

Exercituum Dominum colere.

H O L. Quid ius siue fas, nil id moror. heus,

Hoc ipsum cause plus satis est,

Quod uos alium quam Assur Dominum

Colitis. Deus ille tuus ualeat.

Hic Assyrio paret imperio,
Iniuria magna satis fuerit,
Et causa duelli ualde grauis.
Hæc est apud Assur sufficiens
Iniuria, quod non imperio
Vos sponte suo portas patulas
Præbetis, ut haud pauci populi
Fecere, sibi, patriæq; suæ
Peperere salutem. Namq; sine
Vel sanguine, uel sine uulnere se
Se dedere conditione bona
Potius uoluere, tributa dare,
Et supplicibus sceptrum genibus
Assur uenerari, et pace frui,
Quam saeva et dira duella pati.
Reges, populi, respublicæ in has,
Hus ecce manus claves facile
Offerre meas nihil addubitant:
Hinc gloria magna mihi erigitur.
Non uestra potentia maior erit.
Quæ uos rabies miseris agitat?
Quæ nam uæcordia tam stupidos
Vos reddidit? aut cur pectora sunt
Vobis tam dura? Superbia uah
Vobis uestra exitio fuerit.
Vobis non ulla superstes erit
Soboles. Pauor et luctus miseris,
Et plurima mortis imago. Viri,

Matres

Matres, cum uirginibus, iuuenes
 Hic ecce cadent diro gladio.
 Discrimina sexus nulla aderunt,
 Nulla atatis: sed campus erit,
 Vbi mœnia uestra superba modò
 Stant. Nam ut uictis dolor unicus est:
 Sic nil nisi maxima perniciēs
 Vobis erit expectanda. Caue.
 Ast si melior mens iusserit, ut
 Hac religione mala posita,
 Vos uestraq; deditioñe modò
 Dedatis in Assyrii imperium,
 Pars pacis erit tetigisse manus
 Nostras, positis armis, patulis
 Portis, ueniam rogitantibus hoc
 Dabo, ut liceat porrò facile
 Aequis tolerabilibusq; domi
 Et uiuere conditionibus, et
 Cum pace frui imperio Assyrio.
 O 21. Oratio dura, superba quidem
 Satis est: minitaris acerba satis.
 Ad quæ modò pauca tibi refero
 Pro me. Deus omnipotens Deus est
 Noster, Dominus Sebaoth, uarijs
 Bonitatibus in nos conspicuus,
 Terram dedit hanc nobis, pariter
 Fœdus pepigit sanctum populum
 Voluit sibi nos, Deus ipse piūm

Nobis populo fore pollicitus
 Ex foedore se Domunum, ille aderit
 Nobis, feret auxilium properans.
 Heus obsidione tua facile
 Nos eripiet, tutos faciet
 A te. Neq; enim cuiquam temere
 Rex ille suum æternum imperium
 Cedet. Quia uero minister ego
 Patriæ populiq; mei, dominus
 Vero minime sum, haec pauca tibi
 Pro me uolui. Sed quid populo
 Visum fuerit, scibis. Quoniam
 Pro more senatus cum populo
 Iam iam statuet, responsa dabit.
 Ne sit tibi nunc mora difficultis.
 H O L. Quæ uis aut presidium huic populo,
 Cui tanta superbia inest animis?
 Vah tanula, uah nos oppidu'a
 Tantis contemptibus excipient?
 Quod nam facinus fieri poterat
 Indignius? Haud scio quid faciam..
 Tantos se dedere uel populos,
 Vel regna, modò oppidulum istud erit,
 Cui nostra potentia magna siet
 Materia risus? Prò dolor. An
 Impune ferent? Non illud erit.
 His non lapis ullus erit reliquus,
 Quim corruat. Non tuti fuerint

Vel huberibus matris teneri
 Fœtus, uel ex utero scindam pueros.
 Exempla satis crudelia nos
 Edemus in ipsos, ut reliqui
 Circumcisí populi sapiant
 Damno ex alieno, & Assyrios
 Dominos agnoscant esse suos.

S C E N A V.

Ozias. Chabri. Rasaias. Mesech.
 Sabeth. Iabina. Joseph. Emanuel.
 Nathanias. Melchias. Iebanias.
 Lechinan. Charmi.

Viri Bethulienses, patres optimi,
 Patriæ salus iubet rem forti pectori
 Gerere atq; consilio, fide & prudentia
 Opus est. Patres conscripti, qui respulca
 Salua eſe poſſit, hic nunc consultabimus.
 Locum suum capessat quisq; armatus, &
 Prior locus sit consilijs: hinc pectori
 Forti geramus rem, ne nostra ciuitas
 Veniat in hostium manus, ignavia
 Nostra. Id foret per Israel turpiſſimum,
 Iuxtaq; cum periculo Manaſſidis,
 Coniunctius, quam quis fortasse iudicet.
 Quinto periculo fit heu respulca
 Nunc constituta, id experimur maximo
 Nostro malo: ast id unde fit, nouit Deus.

Senatus de
 rebus dubiis
 consultat, de-
 cernit ut ne-
 gotii summa
 Deo cōmen-
 detur, armati
 in defensione
 patriæ capiā-
 tur.

Nos intra sacra & saxa nunc angustijs
 Premimur grauiſſimis, Paucis ſic res habet.
 Dux Assur obſidione nos premit graui,
 Petitq; deditioñem ſaluis omnibus.
 At is tamen dat conditiones admodum
 Duras & intolerabiles cultoribus
 Summi atq; maximi Dei, nec libero
 Populo ferendas: contra iura gentium
 Vrbem petens his legibus, noſtrum ut Deum
 Negemus, Assyrios deos hinc cultibus
 Veneremur, ut tributa non adeo quidem
 Tyrannica ipsius regi pendamus, &
 Iuremus in nomen magni regis ſui.

Quid ſit opus factō, patres perpendite:
 Conferre quid ſit aut honeſtum, aut utile
 Considerate, quid ſalua fieri fide
 Queat. Chabri pro more dic ſententiam.

C H A. Res non leuis, ſed ardua eſt, & per grauiſſ.
 Dicam tamen paucis, quod rei publicæ
 Videtur eſſe ſalutiferum. Tyrannus hic
 Tumultuatur, & minas ſpirat graueis,
 Ut inſcius, cum quo monarcha res ſiet
 Illi futura: is aſtimat praefentia, &
 Præterita iuxta. at qui is longe, dubio procul
 Errat, mea quidem ſententia: quia
 Ignorat & foedus noſtrum, & potentiam
 Conſederati. Quod ſi id intellexerit,
 Ab iſtituto opinor forte cefſerit.

Sed

Sed quid uiri redarguo ignorantiam,
 Quum uix sient pauci in populo, fidei Dei
 Qui foederi, fidei q; in rebus asperis
 Fidant? Quod o utinam uiri dicam male
 Falsus tenet me non mediocris, credite,
 Timor, mali quid mens præfagit. attamen
 Ut sim breuis, rebus patres præsentibus
 Sic consulo, ut pro concione publica
 Populus in hostem animetur, & ut firma fide
 Sancto Dei porrò optimi atq; maximi
 Et foederi fidens nitatur, & pijs
 Precibus in uota uocet Dominum. **Tum consuli**
 Mandetur, ut ne rebus his respublica
 Quid detrimenti capiat. **Hæc sententia est.**
R.A.S. Quām præter expectationem adobruit
 Nos hostis ille, cuius nos potentiam
 Merito extimescimus. sed quid timere nos
 Iuuat id quod est ineuitabile. heu dolor,
 Nihil timendo proficiemus: sed male
 Diffido nostris uiribus, licet probe
 Munita sit natura nostra ciuitas.
 Annona uero deficiet nos, & famæ
 Nos atra tandem ad deditioñem turpiter
 Compellet. id quod rebus nostris integris
 Habere possumus, pacem implorabimus.
 Ne quicquam, & ipse quem dicit Chabri Deus
 Irascitur nobis, quod foedus fregimus,
 Nec id semel, sed heu dolor frequentius,

Vita impia, & peccatis multo plurimis.
 Hinc, hinc patres, irascitur nobis Deus,
 Duella mittit. Assur est Dei manus,
 Qua nos ferit, punitq; iam fœdifragos:
 Cui qui resistit, is resistit maxime
 Dei potentiae, & diuinus uiribus.
 Quare meo nos consilio nunc barbaro
 Dedemus, & fruemur pace. Nam salus
 Cum seruitute præferenda perditis
 Rebus, quid heus iuuat perire funditus?
 Videre nostros liberos crudelius
 Mactari, & id quod est multo fœdissimum.
 Ad stupra nostras coniuges & uirgines
 Rapi, grauissimis duelli legibus.
 Nam nulla uictis est relicta alia salus,
 Quam quod salutis nulla spes relinquitur.
 Ast seruitus potest successu temporis
 Tollit: sicut dies edax est tristium
 Rerum omnium consumptrix. Hæc mens est mea.
 M E S. Rasaias uidetur istud optime
 Considerasse, quid sit è republica,
 Caussasq; rerum ponderasse exactius.
 Non nos Nabuchadnezer in Babyloniam
 Duxisset, aut Philistijm multo prius,
 Vexasset armis, ni Deus peccamina
 Populi sui punire decreuisset: at
 Post quam expiavimus belli piaculo, aut
 Captiuitatis, & satis poenarum erat

Datum,

Datum, Deus nos postlimino reddidit:
 Virgam suam, ut pater, fregit cum filios
 Correxit. En Deus decreuit plectere:
 Durum est Dei stimulo recalcitrare, uel
 Diuina fata uelle ui confringere.
 Quin potius ut patris feremus fortiter
 Ferulam. id, mea sententia, salubrius
 Consilium erit, quam nos et nostros liberos
 Perire diris armis, atq; extinguer
 Hic funditus. Babylonis transmigratio
 Conditio durior fuit, quam sit modo
 Hec quam dedit dux Aßur. Tempora
 Adimunt mala ista, sed nulli præiudico.
 Per me sibi quibusq; sit sententia
 Et libera, et salua, atq; ut par est. integra,
 SA. Dicis probe Mesech, id ipsum sentio,
 Et in tuam pedibus eo sentemiam.
 Quid inde lucri, si uel nostros liberos
 Vel coniuges maclationi turpiter
 Nos deslinemus, prostituamus uirgines?
 Nihil. Nec hoc uero simile fit, quod Deo
 Probetur istud, et si iratus maxime
 Nobis siet. Inter duo dicunt mala,
 Minus malum, si dira quem necessitas
 Premat, eligendum. Sed nos leges hostium
 Negotio minori, quam saeuitem
 Feremus. Ac tyrannidi quam tempora
 Ferunt, dics medebitur. Nam temporis

Medela

Medela si licet non præsens sit, tamen
 Tolerabilis magis, quam præsens hostium
 Cædes. Deum qui mortui laudabimus?
 Quæ laus Deo fieri potest in tartaro
 Nigro? Licet nobis negandus sit Deus,
 Id ore fit, laudemus ipsum pectore.
 Scrutator ipse est nang; ut scitis, cordium.
 Simulabimus prudenter ad tempus Dei
 Posuisse cultum. Fortè à nobis exigent
 Oden Sionis, ut quondam Babylonij.
 Canemus ipsis threnos pro psalterio.
 Isthæc mea est patres pij sententia.
I A. Mea mens patres longe est alia quam sit uirum
 Qui iam ante me dixeré, qui non candida
 Fide Deo credunt, suam fiduciam
 Male conscijs sibi abiecerunt, nec Deo
 Tot euidentibus documentis optime
 Nobis benigno audent constanter fidere.
 Quam callidum hoc est consilium, quod maximos
 Luctus, dies quos affert, hos diuturnitas
 Tollit; quid impium magis quis dicere
 Quæso potest, quam quod uolunt prudentia
 Præcipere fata, & consilio suo Dei
 Consilia quod nituntur ante ferre? Qui?
 Quid stultius, uel è rep. minus
 Dici queat non perspicio. sed optimi
 Patres, mea hæc breuis & clara est sententia.
 In uota nos uocemus cum fiducia

Dominum

Dominum Deum, memor quod esse foederis
 Velit. benignus est, fidelis credite,
 Errata condonabit pœnitentibus.
 Mede. t. præsens esto poenitentia.
 Quod si ipse stabit nostra ex parte, uicimus.
 Qui propter hosti fortiter resistere
 Conemur, idq; freti præsidio Dei.
 10. Miseratione digniores iudico,
 Qui in liuido odio, qui suadent dedere
 Patriam hostibus, producunt res antiquitus
 Gestas in Israelis gente: sed quia
 Ipsi fide sunt destituti candida,
 (Quæ causa semper est erroris) turpiter
 Cecutientes errant, & absurdius
 Ratiocinantur, & sua prudentia
 Bene callida inferunt iram Dei magis
 Magisq; Nanq; sola diffidentia
 Maioribus nostris fuit uel maxima
 Irre dei caussa, & Babylonis pro Deum
 Captiuitas: & quicquid ullo tempore
 Maioribus nostris mali accidit, suum
 Originem inde sumpfit. Ergo uos patres,
 Quod facta opus sit, rectius perpendite.
 Non deseret nos noster optimus Deus,
 Si firma sit fides nostra, & constantior
 In rebus his & omnibus fiducia.
 EMA. Quis contra nos, pro nobis si Deus erit?
 Si quis fidem facere uoleat dictis suis

Paradi-

Paradigmatis, res gestas ille antiquitus
 Exactius dicit causas expendere,
 Quis sine quoque euemus consequutus est.
 Vnus scopus scripturæ semper est sibi
 Similis, Deum suis adesse. Det precor
 Vestrum quis historiam sacris ex Biblijs,
 In qua Deus sanctos deseruerit suos.
 Sanctos uoco, qui sancta ipsius foederæ
 Constanter & fideliter custodiunt,
 Qui non leui quoquis iactantur uentulo.
 Quod si Dei foedus sancte seruabimus,
 Seruabit ipse nos in his angustijs.
 Tam fortis est, quam cunctis retro seculis,
 Qui semper est bonus, nec ullo tempore
 Vel deficit, uel fit sese imbecillior.
 Quare Dei meo patres suffragio
 Mandabimus tutelæ sancta mœnia.
N A T. Sunt uera quæ dicis Emanuel. Bene,
 Prudenter & cordate differis. Bene
 Causas duelli aduersi nobis explicas.
 Exempla sunt res gestæ patrum seculis,
 Iram Dei exarsisse tum uehemenius,
 Cum foederis sancti fidem fefellimus.
 Noster Deus seuerus æmulator est,
 Non gloriam suam concedit alteri:
 Non fert honoris ullus ut sit particeps
 Sui. Viciſſim quando recto pectore
 Coluimus ipsum, nobis semper extitit

Præſens,

Præsens, opem nobis tulit fideliter.
 Non principis cuiusquam uel tyranni erat,
 Regis' ue tam ualens in nos potentia,
 Quæ nos manu quantumlibet forti sua
 Ferire, uel superbam quæ uictoram
 Referre de nobis potuisset. At Deus
 Robur dedit populo & uires tantas suo,
 Ut sëpe magnos pauci bello fuderint
 Exercitus, fugarint, & uictorias
 Claras reportarint, trophæa crexerint,
 Et cœperint in deditioñem maximas
 Urbes, suis tyranos sëpe sedibus
 Pulsauerint. Quæ uos, uiri, uæcordia
 Inuasit, ut uelimus hosti turpiter
 Nos atq; ciuitatem nostram dedere?
 Nunquam id mea fiet, patres, sententia.
 MEL. Videmini patres consultò singula
 Dixisse, nec quid mutem habeo, nisi unicum hoc
 Addam, fides amissa mutat pectora.
 Cor languidum fit, quando conscientia
 Vel foederis neglecti, uel fidei male
 Eroditur, diris terretur, & modis
 Miserrimis cruciatitur atq; affligitur:
 Nec est uir amplius, cui uirtus pectore
 Fideli erat prius longe fortissima.
 Exempla sunt abunde, sed non temporis
 Ratio feret citarier. Sed ô patres
 Macte modo uirtute rem capeßite.

Non

Non nostrares, sed hic negotium Dei
Nunc agitur, is uires sibi dat fidentibus.

I E. Dominus tulit legem, & sanciuit foedere,
Ne quem Deum, quam se colamus amplius,
Cur nos pijs Cambysen & Assur cultibus
Veneremur? Ecce eadem lege natus est,
Ut moriatur: est ijsdem obnoxius
Periculis, quibus nos. Non diuinitas
Fortuna præsens est censenda, sed magis
Præcipitum. modis eiusmodi Deus
Fastigio celso ponit, quos perdere
Vult: nam periculosius tanto cadunt,
Quanto altius casus fit, maior impetus,
Qui celsior. sed interim tentat Deus
Nostram fidem. Quam turpiter nos dabimus,
Si non fidem seruabimus Deo integrare
Pœnas luemus iustas, sed grauiſſimas.
Quare patres obtestor hoc bona fide,
Magis fore è republica, si moenia
Tutabimur. Deus curabit cætera.

L E C. Sic prorsus est, melius nihil scio patres.
Satis superq; causarum est à singulis
Dictum, ex quibus relinquitur, quod optimum
Sit, atq; consultissimum, nunc moenia
Munirier: nil quod munitionibus
Conducit, intermittier: sed omnia
Fretos Deo, tentare extrema fortiter.
Natura nostram ciuitatem anfractibus

Scopulisq; muniuit, uiarum angustijs
 Decem uiris resistet sola fœmina
 Cordata, quæ præsemis esset consilij.
 Saxis adobruet uir unus agmina
 Scandentium & hærentium altis rupibus,
 Ad ima deturbabit, & dabit uiros
 Mille unus in preceps. Viarum angustias
 Nos occupemus mox armato milite.
 Consultius patres quod è republica
 Magis siet, profecto nil prorsus scio.
 Ne nos Deo pro summo, solo, maximo
 Cogamur in tyrannidis potentia
 Vulgus deum uanis religionibus
 Colere. quod absit ô à nobis longius.
 CHA. Accedit hoc patres, quod est turpisimum
 Mortalium in rebus, qui sumus fœdere
 Sancto Israeli genti uincti, corporis
 Vnius omnes membra sancta legibus
 Certis, ea tentare quicquam nescia,
 Desertionis crimen id esset maximum.
 Non nostra res unorum agitur, sed omnium
 Qui sunt eodem sancte gentis fœdere
 Socij. Tribus Manassidibus Bethulia
 Pars est: Manassis, Israeli. ô patres,
 Ceu porta firma his nostra existit ciuitas,
 Si nos uelimus Assur esse maximè.
 At turpius fuerit socios sic prodere,
 Et hostibus uias præbere in Israel.

Non sic patres, non sic fiet: constantior
 Maneat fides, ne proditores turpiter
 Fiamus Israelis. macte uiribus
 Hosti resistemus, sociosq; ex foedere
 Poscamus auxilium. certe quod foederis
 Fuerit sacri, facient suis pro uiribus.
 Nostrum sua quisq; hoc faciet manu,
 Quod iussit patriæ salus, & religio,
 Amor Dei, cuius agitur negotium:
 Consulq; curet istud pro sua fide,
 Ne detrimenti quid capiat respublica.
 OZI. Quamus sit unus, alter, atq; tertius,
 Qui non probè dixerunt de republica:
 Maior tamen pars hic inclinat maxime,
 Fiducia ut nostra in Deo constantior
 Posita, geramus rem manu uiriliter.
 Operam fidelem dabo reipublicæ.
 Nunc quid senatus his in rebus censeat,
 Id concioni paucis indicabimus,
 Nunquid uelit quod nos decreuimus ratum.
 Mox hinc duci responsa dabo, quæ petit.
 Et comes eat pro se mihi nunc quilibet.

SCENA VI.

Ozias. Emanuel. Nathaniæ.
 Holophernes. Armiger.

Concioni se-
 natuſ consul-
 tum indicat.
 Responſum
 Holoferni da-
 aux.

Viri Bethulienſes, fratres optimi,
 Quæ ſint pericla, quis ſtatus fit publicus,
 Videtis. hinc ſenatus ita censuit,

Vt quisq; uestrum pro se patriæ suæ
 Operam suam locet; Deoq; maximo
 Committat inde curas tutò cæteras,
 Cuius negotium geritur, et religio
 Defenditur. Qui ciuis esse uolet bonus,
 Testetur id confessione publica,
 Extendat ad coelum suam nunc dexteram.
 Vestram probbo ciues sanctam concordiam;
 Pectusq; deditum saluti publicæ.
 Eamus ergo responsum ad moenia.

Comites patres mihi uos adiungier uolo.
 Eamus. E M A. O si dux Assur saperet bene,
 Et oppidum nostrum obsidione solueret.

N A T. Saperet mea quidem probe sententia.
 Miror quid isthæc tam superba audacia
 Portendat, ut summo ausit atq; maximo
 Inferre bella. Que nam isthæc audacia est?
 E M A. Ludibrio est Deus prophano pectori.
 Metitur ex præsenti sorte singula.

Successus ille quo iam multo tempore
 Est usus, insolentem reddidit ducem.
 Non se metitur ex sc. N A T. Vah superbiæ.

Secura uero isthæc uirium præsumptio
 Erumpet in neruum tandem. Periculum
 Tanto duci grauius cum exercitu suo
 Certè imminet, quanto ipius est securior.
 O Z I. Dux Assur, chem, responsa tibi
 Porto, Seniores cum populo

Statuerunt omnia ferre prius
 Discrimina, quam tibi dedere se.
 Freti auxilio summi Domini,
 Tutabimur urbem quam dedit, &
 Ex foedere cuncta geremus, eo
 Quod summa fides, & summa Dei
 Nostri bonitas, nobis aderit.
 Noster Deus est exercituum
 Dominus, Deus omnipotens, Dominus
 Cœli astriferi, terræ atq; maris,
 Cui mors paret, & dux tartareus.
 Dominantium enim Dominus Deus est.
 Cuius regni non finis erit:
 Sicut illius imperium fuit ab
 Aeterno tempore perpetuum.
 Hic præsidium nobis & open
 Est pollicitus, stat pollicitis.
 Sed rex tuus Assyrius nihil est,
 Nisi mortalis, uarijs q; malis
 Obnoxius haud minus atq; aliis
 Homo, quem fortuna incerta regit.
 Est umbra fugax, ut bulla perit.
 Nunc, si placet, imperium Domini
 Cum rege tuo conser: temere
 Ne quid statuas, fidus moneo.
 H o l. Monitore superbo non opus est.
 Abs te hoste putas me consilium
 Petere? Erras. Quim potius moneo

Te, ut prospicias tibi. Consilium
 Animo statui, iuroq; tibi
 Per sceptra, per imperium domini
 Cambysæ regis, & Assyrium
 Nomen, me mœnia uestra solo
 Aequaturum, iuga celsa trahere
 Mox ecce ruinam à sedibus, hinc
 Vrbem totam eruet ista manus.
 Auulsaq; saxis saxa uidens,
 Mixtisq; undantem pulueribus
 Fumum, pauidus, trepidansq; tuas
 Tendes ad sidera uociferans
 Palmas, gemituq; replebis iners
 Totum aëra, cum serò sapies,
 Cum nullis amplius est precibus
 Locus hic ullus reliquus miseris.
 Heus armiger, heus, serua officium,
 Quid' nam induperator uel manibus
 Vel luminibus nutet, pareas:
 Si spromptus ad officium ipse tuum.
 A R M. Non eſſe queo dux officij
 Desertor, sed mea semper erit
 Erecta fides. pro te domine
 Duriſima quæq; subibo lubens:
 Pro te morior, quo cunq; iubes:
 Per fata ſequar. nil ecce mihi
 Antiquius eſt, quam uel gerere
 Rem fortiter hic, uel oppetere

Mortem pro laude tua. H O L. Probo te,
Animumq; tuum, laudoq; fidem.
A R M. Et si puer ipse quidem uideor
Annis, animo uir fortis ero.
Hæc gloria summa mihi fuerit,
Si pro domino fidus moriar.

SCENA VII.

Ozias.

Apud signa
Cos. roborat
ciuum ani-
mos, precipit
de custodiis
& munitioni
bus.
Nolite patres animis cadere,
Non desperatio consilijs
Adhibenda est. At qui agitate animis,
Quod & hosti non ratio solida
Vel explorata salutis adest.
Euentus belli sunt dubij.
Non is sciunctus ab interitu est.
Animis opus est, & consilio
Præsentि, & auxilio Domini,
Qui nos non deseret, ast aderit.
Sed inertibus id non polliceor.
Sunt mœnia nobis alta satis,
Sunt propugnacula celsa iuga,
Anfractibus hæc munita probe.
Aditus non est multis patulus:
Populi pars conseruent aditus,
Ne quæ hostibus accessus pateat,
Neu quæ dolus uspiam adesse queat:
Vel ne quæ hostes present manibus
Scopulos, telis hos obruite.

Pars

Pars turres, mœnia: quisq; suum
 Faciat munus, quod quenq; decet.
 Matres castis cum uirginibus,
 Puerisq; suis pugnant precibus.
 Hec fortia tela, ut ulla alia.
 Huc signifer, huc signum statue.
 Ciues cum buccina signa dabit,
 Memores sitis, quid uos patriæ
 Debeat. Vesta salus agitur.

SCENA VIII.

Holophernes. Amorites. Moabites. Scapharchus.

Vos symmachi, & centuriones optimi,
 Et uos tribuni forte robur militum,
 Ut quisq; uestrum exercitatus est probē,
 Gnarusq; rei bellicæ diutino
 Vsu, fidesq; uos monet, sanctissimi
 Cunctos sacramenti, nunc nobis consulat,
 Quibus modis isto potiamur oppido.
 Quibus precor nituntur ipsi uiribus?
 Dubio procul latet quid hicce præsidij,
 Quid arma contra nos superba sumpserint.
 AMO. Nil tale quicquam ô imperator maxime.
 Nos cuncta diligenter explorauimus,
 Quibus modis queat expugnari hoc oppidum.
 Munitius nihil natura condidit:
 In rupibus situm est, nobis nec uspiam
 Accessus amplior, quam iumento patet.

Holophernes consultat cum chilarchis & tribunis militarib. de expugnatione oppidi priuatur ciuitas aquis.

Nec pluribus quam binis perius uiris,
Vix singulis quibusq; scansio datur.

Vnum tamen uidi quod præbet maximam
Spem ciuitatis hic potiundæ. H O L. Siccine:
A M O. Iuxta latus portæ fons uiuus uenula.
Per saxa dulci purus ecce murmure
Scaturit: ibi multam uidi frequentiam
Petentem aquas magnis contentionibus.
Hinc colligo magnam esse aquæ penuriam.
Si fonte nos potiamur, nostra ciuitas
Dubio procul fuerit. H O. Quid? Hē, lepidū caput.
Quid tu Moab: quid hisce in rebus consulis?
Ecquid tibi uidetur, o exercite?
M O A. Laudo uiri fidelem isthanc industriam.
Hic dignus est, cui tu benefaxis, quemq; ames.
Nihil est opus tormentis siue machinis;
Sitis premet, si commeatus suppetat.
Puto tamen canalibus deducier
Aquæ satis pro defendendis moenibus.
Quare puto consultum, si canalibus
Pruentur oppidanī. H O L. Recte consulis.
Mittemus isthuc militum decuriam,
Centuriam' ue, aut plures qui custodijs
Hinc oppidanos arceant à fonte. A M O. Opus
Quidem manu est armata, sed fossoribus,
Ligonibusq; in primis. H O L. Sed ne uos manu
Armata adobruant ciues, si sentiant.
A M O. Prudenter hoc quidem tu o dux, ut omnia.

Nam

Nam pluribus pauci possunt resistere.
 Hec est loci natura, sed meatus est
 Angustus admodum, non binis perius,
 Vix singulis iter patet scandemibus.
 An fractibus crebris in præceps lubricis,
 Conteclus est meatus densis frondibus,
 Ut nemo nos ex urbe posse cernere.
 Dux ipse ero, præmissis exploramibus.
 H. O. L. Probe mones. Scapharche, quicquid iusserrit
 Dux Amor, expeditum redde gnauiter. (quimini.
 S. C. A. In me mora est nulla. A. M. O. Ergo uos me se-
 mo a. Sic optime quies datur nunc militi
 Fesso ex laboribus itineris grauiſſimis,
 Curetq; corpus, ut melior ad arma sit.

SCENA IX.

Hydrophila. Anhydria.

I Am demum miseris sumus,

Iam non spes superest magis:

Afflicti nimium sumus,

Non spes ulla salutis adeſt

Nobis, ô Deus, ô Deus.

A N H. Quid queso mea tu, sibi

Clamor uult tuus? Obtice.

An tu sana fatis? mea

Tu, praesenti animo sies.

H Y D. Rebus tam miseric erit

Tam uæcors animo? Viden?

Hostis saeuus aquas tulit,

Conqueren-
tib. de aqua-
rum penuria
puellis, sedi-
tio in urbe o-
rit factionis
eorum qui ad
defectionem
inclinabant.

Vrbis diuitias. A N H. Aīm?

H Y D. En, hic ipsa uides. A N H. Aquas?

H Y D. En ne gutta quidem, uidens?

A N H. Eheu, uah nimium mala

Nobis heu miseris dies

Orta est tota salus male

Nobis disperijt. H Y D. Patres

Prudentes sapiunt ita

Prudenter. A N H. Quid aīs? Tuūm

Os non sustuleris loquax

In cœlum. Maledicere

Diuis principibus tuis

Non debes, temeraria.

H Y D. Pax cum conditionibus

Oblata est, sapiens tamen

Ordo presbyterum male

Vult urbem perijse. Quid?

Si uæcordia non tibi,

Vel cæcus potius stupor

Censendus fuerit? A N H. Mea

Tu, res ardua(credito) est,

Quam prudens, uenerabilis,

Sanctus presbyterum senum

Confessus melius uidet.

En quantus numerus tibi

Grassatur, domui puto

Oziæ uenerabilis

Propinquat, celerans uidens

Quid

Quid' nam hoc esse mali potest?
 Si non seditionibus
 Res nobis agitur domi,
 Non intelligo quid siet.
 Non damni satis est foris,
 Ni ciues furijs domi
 Funestis agitati eò, ut
 Intestina monere non
 Cernant arma suis male
 Sani ciuibus, in suos
 Fratres stringere dirius
 Ferrum: quæ Deus ô potens
 Hos uæsania tristior
 Cœpit: Prò dolor, ô Deus.
 Nostris auxilium malis
 Non differ, perijt tuum
 Non nen, ni adfueris citò.

SCENA X.

Mesech cum turba. Misael
 puer. Ozias.

P Ver, heus. Vbi consul, ubi est dominus?
 M I S. Non est procul, ecquid turbasibi
 Vult: M E S. Dic populum sibi uelle loqui.
 M I S. Pater optime, prospice, te precor. En,
 Ignobile uulgas colloquium
 Petit. M E S. Hem scelus. O Z I. Ecquid tanta sibi
 Intemperies uult? quid populus
 Mesech tecum? Quid' nam iste furor?

Mesech sena-
 tor, dux et au-
 tor defectio-
 nis armata ci-
 uiū manu cō-
 sulē adit, peri-
 culū minatur,
 nisi hosti de-
 ditio, primo
 quoque tēpo-
 re fiat.

M E S. Non

M E S. Non est furor iste, dolor potius
 Iustus, merito susceptus. Age,
 Descende citò ad nos colloquij
 Causa. O Z I. Iam nunc adero. M I S. Veniet.
 O Z I. Non hic modus hactenus alloquij
 Fuit. Hic uulgi magis hem furor est,
 Cuius caput ipse uideris. Age

Dic quid sibi uult nouus iste furor?
 M E S. Non est furor, inquam, sed dolor est
 Populi, qui hic astat collachrymans.

O Z I. Non, non opus hastis, non gladijs.

M E S. Tanto discrimine non gladijs?

O Z I. Ecquid sibi turba uelit, breuibus

Hic expediās. M E S. Deus altipotens,

Iudex atq; arbiter esse uelit

Inter nos & uos presbyteros.

Hem siccine confieri? O Z I. Quid age?

M E S. Respublica per uos prodita. O Z I. Quid?

Bona uerba precor. M E S. Se res ita habet.

Nam pacis conditiones uos,

Si non æquas, at iure tamen

Belli proiecisti temere.

En nulla salus nobis superest.

Rex Assyrius, qui est uirga Dei,

Nostrum interitum iurauit. Age,

Tam uos prudentes hem patriæ

Patres: hæc cura: fides & amor

In ciues uestros: prob facinus,

Tantum us

Tantum' ue uirum, tantum' ue ducem,
 Tantisq; triumphis famigerum,
 Contemnere uos? Quo præsidio?
 Quibus auxilijs freti? Deus haud
 Pro nobis pugnabit miseris.
 Offensus nostra saepe mala
 Vita, dedit Aßyrio ecce duci.
 Si deueniendum erit in Aßyrij,
 Holopherne nunc uictore manus,
 En hi iurarunt malle sibi
 Iam consulere, atq; suis bene adhuc
 Saluis, quam turpiter ac misere
 Mactari immanibus ac grauibus
 Coram sua pignora acimacibus,
 Modò sit respublica salua aliqua,
 Modò sit nobis patria exilium.
 En quanta sitis, qua nos premimur?
 Mors ante oculos nobis uolitat.
 Non uicerit armis, uicerit at
 Nos obſidione graui miseros.
 Aqua deficit. Ecce canalibus hinc,
 Hinc dulcis aquæ ductus procul est
 Deflexus ab hostibus, æthereus
 Liquor est exhaustus, sunt uacuæ
 Cisterne, annona etiam grauis est:
 Armata manus seruat latices.
 Penuria eorum multa grauat.
 Sitis ast in primis exitium

Nobis

Nobis feret. Amplius haud poteris
 Quisquam tolerare. Sit imferimus
 Auroras bis decies miseri.
 Exhausti uiribus, esurie
 Et totidem noctes uigiles
 Transegitimus insomnes. Tibi nunc
 Edicimus (ut populus statuit)
 Ut deditio fiat citius.
 Satius ducit seruire sibi,
 Cum coniugibus, cum pignoribus
 Charis, quam cernere, mœnibus his
 Solo æquatis, quæ dira feret
 Belli sors, quæ iustus meritis
 Nostris Dominus dabit miseris.
 Nos dira & tristia fata manent,
 Nos qui delinquimus heu grauiter,
 Nil certius nobis supplicio.
 Haud euitabilis ira Dei
 Nobis spectanda uenit miseris.
 Aut est moriendum, aut Assyrij
 Heu triste iugum seruile humeris
 Portandum. At nobis hoc satius
 Visum est, rebus tu consulito.
 O z. i. Communi in naui nos ferimus,
 Communi in naui uos uehimur,
 Vestro iussu imperium teneo.
 Sors hec uoluit. Indignus eram
 Quir elegisti? Si mage sum.

Visus dignus, qui consulerem,
 Non id regere est: quin est potius
 Seruire animali monstrifero,
 Et multiplici monstro capiti.
 Sum conscientius ipse mihi bene, quod
 Aliud nil quæsicerim, nisi quod
 Pietate sicut fultum. Accipite.
 Non me penes est quicquam facere,
 Ad presbyteros uestras referam
 Turbas. M. E. S. Locus haudquam moræ erit.
 ozi. Proceres rem iam mox accipient.

SCENA XI.

Cos. cum confessu senatus.
 Sancti patres, malum malis coniungitur,
 Ut uera sint, quæ dicuntur proverbio,
 Nullum malum magnum solum mortalibus
 Solet euenire. Nam malis hostilibus
 Accedit intestina nunc discordia.
 Inclinat heu iam uulgas, ut defectio
 Turpissime fiat. nam hos sic trepidatio
 Cepit. Patres presenti animo fuerit opus.
 Prudentiaq; fortis in his periculis.
 Praesentibus rebus tu Ioseph consule.
 10. Manet prior uiri patres sententia.
 Hostilibus non fido conditionibus.
 Hostis fides, non est fides constantiae.
 Fortis Deus nobis aderit precantibus,
 Precantibus sincera mente, et pectori

Ozias consul
 frequenti cū
 patrib. sena-
 tu deliberat,
 quomodo in-
 testino ciuita-
 tis malo suc-
 curredum sit,

Non

Non frigido. Maior Dei potentia est,
 Quām quæ queat per hostis uires uincier.
 Tumultus iste fortè sedari potest,
 Si quinq; eis dierum detur terminus,
 Hic interim Deus fortè exorabitur.

E M A. Clemens Deus ne nunc quidem nos deseret.
 Fidus Deus nostram tentat constantiam.

Necessitas probat quām fortiter Dei
 Iugum feramus, num sibi firma fide
 Fidamus. at rationem inire oportet, ut
 Qucas leui mederi huic inconstantiæ
 Vulgi. Negamus quod petit præfractus,
 Timendum erit, ne fracti animis tentauerint,
 Violentius ne moliantur, quod rei
 Vehementer obfit uniuersim publicæ.

Vulcus modum nescit. Quod uult, uel nimium est
 In alteram partem, uel est quām par minus.

Populi furor quadam arte mitigandus est,
 Perniciosa opinio eximenda ei,
 Eo modo, ut nihil decedat gloriæ
 Dei: Dei q; summam gratiam fore,
 Cum summa sunt pericula: præsenior
 Quod fit Dei fauor, quando est afflictio:
 Sed sic fidem demum ueram probarier,
 Si sint preces ieiunæ, castæ, sobriæ.

N A T. Quod attinet præsens, patres, negotium,
 Subscripserim Iosepho prudentissimo.

Tractandus est populus furens clementius,

Alias suum non agnoscit stultus bonum.

MEL. Pro temporis necessitate non puto
Quicquam patres melius à quo quam consuli
Potuisse, quam quod isti dixerunt uiri.

IE. Prudenter hæc sunt dicta ab his ex tempore,
Si sit modo, qui posset eloquentia
Exasperatis his animis mederier.

Non tempus est aliud, quo quid periculis
Maioribus queat turbare publicum

Statum. I E C H. Dolenda res me exterret, horreo
Quoties recordor, quo simus periculo.

Ex ciuib[us] magis quam ex ipsis hostibus,
Quoquomodo hoc arceri possit, approbo
Consilium. & hoc patres uobiscum censeo,

Non præsidio Dei quicquam præsentius.
Precibus id excitari duntaxat potest.

Et si quid est neglectum huc usq[ue] ex fœdere,
Precantibus ueniam dabit dubio procul,
Fidum integrabit fœdus, & sacri sui

Erit memor iuris iurandi. sanius

Consilium erit, quam sic furori atrocious
Ire obuiam. C H A R. Prorsus uobis assentior.

Sed cæterum quantum ad meam uitam attinet,

Ego susq[ue] deq[ue] mortis has minas fero.

Domine Deus tibi me totum commiserim,

Vitæ necisq[ue] sors iuxta fuerit mihi.

Satis est Deum me habere clementissimum.

Si mors mea est cessura ad gloriam tuam,

Nil promptius fuerit, quam hanc lucem perdere.
 C H A. Placet mihi collecta iam sententia,
 Ut res prius tentetur, & creberrimis
 Precibus Deo fuisis, & poenitentia.
 Dei iuuamen haud à nobis est procul.
 R A S. Modò ne diutius figatur terminus.
 Angustiae longas ægre ferunt moras,
 Tum maxime, cum uitæ instat periculum.
 Nam tum dies, quam totus annus longior
 Videtur. I A. Iosepho ego subscripserim.
 S A B. Res non moras fert. Hæc mea est sententia.
 O Z I. Conabor an possum placare mentium
 Turbas, & obtinere nequid durius
 Statuant. M E S. Soluta iam confessio est.
 O Z I. Fratres, uiri Bethulienses optimi,
 Chariſſimiq; , quid senatus consulat,
 Audite nunc rogo benignis auribus.
 Aerumna qua premimur, fatemur, durior
 Est, qui in diu ferri queat. solus Deus
 Potis est, ut auferat multo maius malum:
 Si modò malum est quod ipse iniunxit dexteræ
 Sua, fatemini hæc fieri diuinitus?
 Dedit hæc Deus: idem Deus dexterimus
 Ut est, ita & benignus isthæc auferet.
 Si nos modo in precibus perseuerabimus
 Ieiuna & abstinentia poenitentia.
 Rogant patres, rogat senatus optimus,
 Et offerunt nobis fidem integerrimam,

Quod

Quod si diebus hisce quinq; & noctibus
 Constanter ad Deum precantibus salus
 Omnino nulla affulserit, quod poscitis,
 Tum dabitur necessitati maximae.
 Nec est quod interim lymphæ penuria
 Vos acrius turbet: uel pluuijs aquis
 Necesitas extrema utetur. Nil erit
 Nostrum domi priuatim, nilq; publicum,
 Quod non sit expositum uestris hic usibus.
 Non uiribus, non hostis urbem machinis
 Capiet. M E S. Patres pro hisce ad hæc respondeo,
 Abibimus domum hisce mœsti legibus,
 Fameli ci quintum expectabimus diem.

CHORVS EX QDE, DA
 pacem Domine.

DA pacem placidam diebus istis
 Afflictis dominator alme rerum,
 Fatum nos premit asperum duelli,
 Sors nos dira magis magisq; uexat.

Hostis non aliis magis laborat,
 Quam qui nomina sœuus insequendo
 Pessundet tua, cum modo colendi
 Vindex ergo tuum tuere honorem.

Da pacem placidam Deus fidelis,
 Quam nos perdidimus malignitate
 Concussa q; fide, benignitatis
 Aeternæ fuimus bonis abusi.

Nam mens conscientia confitetur ultrò

Culpam, fœderam negligentiores
Quām par nos fuerat Deus benigne,
Heu seruauimus. at fidelis es tu.

Da pacem placidam, tuumq; w̄sūmā,
Quod pectus melius reformat, atq;
Confirmet, scelerisq; pœnitudo.
Fac nostros animos subire possit.

Fac præsens tua gratia, & potestas
Auertat mala damna, dedecusq;
Fac nos à trepidatione tutos,
Laus ut noninis amplior tui sit.

A C T V S Q V A R T I,

S C E N A I.

Judith. Promptulus. Chabri.
Charmi. Ozias.

Judith vidua,
ubi resciuit,
quod patres
Deo iuuandi
terminum cō
stituissent, rē,
ut par erat,
indigne fe-
rens, aliquos
ex ordine se-
natorio uo-
car, cū iis de
temeritate
expostulat.
Aperit ipsis
suū de inter-
ficiendo per
dolum hoste
consilium.

E Hē puer. P R. Quid hera? quid? ecce præsto sum.
I v. Curre ad forum, senes duos mihi querito.
P R O. Ecquos? i v. Opinor Chabri & Charmi, Prō-
Nostī, uiros honestos & senatorios. (ptule
P R O. Noui probe. i v. His ex me salutem dicio.
Dic me rogare, ne grauenetur paululum
Mihi dare aures: esse rem ualde arduam,
Quir alloqui ipsos peruelim. P R O. Expediuero
Rumpens moras omnes, nam nil est promptius
Mihi, quām me & seruire heræ fideliter.
Eccos simul, ni fallor an e curiam
Stant colloquentes, certè sunt ipſissimi.

- Hos alloquar. Iudith hera, uiri optimi
 Salutat officiose uos, rogat simul.
 Ad se uenire primo quoq; tempore
 Dignemini: negotium esse perarduum.
- CHA. Quid nam pia hæc, quæso, mulier uolet sibi?
 CHAR. Miror quidē, quidnā siet. CHAB. Sed heus,
 Heræ tuæ responde, nos iam gressibus (puer
 Properantibus uenire. Veniemus, currito.
- PRO. Renunciabo id heræ adcuratissime.
- CHA. Est digna cui priuatim, nec non publice
 Certatum ab omnibus geratur mos. CHAR. Ego
 Causa Manasidis mariti, quicquid est
 Operæ, lubens insumam. Nanq; exemplum erat
 Virtutis antiquæ, atq; reipublicæ
 Columna. CHAB. Sed quid si genus clarum patris
 Recenseas ab Israel ad proauos,
 Ad Oziel, ad Ox ipsum Merari patrem?
- CHAR. Sunt ornamenti gentis, & Bethulie.
- CHA. En præstolatur nos profectio ante ostium.
 Pacem Deus tibi duit castissima.
- CHAR. Vrbis decus pacem tibi diuinitus
 Precor. IVD. Precor uobis uicissim maximi
 Pacem Dei, uiri patres. Res ardua est,
 Quod uos uoco: non ægrè fert: candido
 Animo uocauimus uos. CHAR. Absit, dominus, procul.
 Molestius quicquam ut feramus. candida es,
 Quouisq; honore digna. dic quia' nam uelis.
- CNA. Tibi paratum est officium promptissimum,

Si quā modo te cum tuis iuuare nos
 Quid possumus. i v. Quæ nunc uolo, sunt publica.
 c. Quid est? i v d. Dolēda sunt profectō, si modō
 Sunt uera. C H A R. Dic. C H A B. Dic obsecro intē
 i v. Delatus est ad me rumor tristissimus, (gerrima.
 Quod uos patres, consulq; alias sanctissimus
 Vir, in senatu sanctione consona
 Statueritis Deo iuuandi terminum.
 Indigna res, fideq; cassa: fœminæ
 Si sitis, haud decebit: quin forti magis
 Estote, re non conclamata, pectore.
 Quod facitis, est extrema desperatio.
 Dirum nefas, si rem uos diligentius
 Spectabitis. C H A. Fatemur id, sed quid' nam agat?
 Populus inaudax hoc nobis extorserat.
 C H A R. Sed ecce consul ipse Ozias aduenit.
 O Z I. Salute uos impertior, charissimi,
 Et tu decus sexus muliebris. res tuæ ut
 Se habent in hoc rerum statu? i v d. Mediocriter.
 Sed quod adest, animo forti ferendum erit.
 C H A. Hæc ipsa res o consul est, quam herois hæc
 Nostrum senatus consultum percepit, &
 Hoc improbat. Quare audiamus, quæ siet
 Sententiæ ratio. O Z I. Pudicitia decus
 Dic libere, quid sentias, nos non pudet
 A fœmina cordata plus prudentiæ
 Haurire. i v d. Non ignoror, quod sit fœminæ
 Prepon: salut tamen magis me patriæ,

Dei

Deiq; honor mouet, quam quod mos publicus
 iubet. Decoro iam cedat necessitas.
 Vos sumitis uobis patres, quod non decet
 Mortalium cuiquam, ut uelit præscribere
 Leges modum ue Deo optimo atq; maximo.
 Ipsius in manu sunt cuncta: arbitrij
 Ipsius est, iuuare quando & quomodo
 Vult ipse, non, non consilijs mortalium
 Deus indiget. Grauius Deus irascitur
 Tentantibus, & ipsi diffidentibus.
 Non est nefas aliud, a quo cunctipotens
 Vehementius rerum Dominus abhorreat,
 Quam sit id ipsum ingratæ diffidentiæ.
 Nouit modum, nouit iuuandi terminum,
 Iuuabit ipse, cum facta est probatio.
 Probationis autem sunt comitantia
 Indicia, & cor poenitens, & supplices
 Preces: mouetur his, illis acerbius
 Irascitur. Venie impetrandæ unius modus
 Est, nempe poenitens peccatus, animi dolor
 Acerbus ex delictis. Conciliatio
 Vero fauoris aeternæ tropos Dei
 Vitæ male actæ, & cordis emendatio
 Male creduli. Qui sacramento perfido
 Offendimus Deum, fidei foedere
 Trahemus in nostras partes, clementiam
 Ipsius implorabimus ardentibus
 Votis, ut hisce adesse dignetur malis,

Et principalem spiritum nobis dare
Aduersus hostes sancti ipsius nominis.

Non hic agi nostram causam, nomen suum
Ab hostibus tam barbaris culcarier.

Si uictor Assur sit futurus gloria
Plenus, fore ut idolis hic fiant sacra,
Et numinis sui ferox explosio.

Causa est satis bona, si modo ei uos, o uiri,
Non negligentiores desimus rei.

Conferite quæso quanta sit potencia
Vtriusq; partis, aut quanta auxilia sient
Vtriusq;. Noster imperator est Deus.

Sed Assur ille barbarus et arrogans,
Fretus suis humanis tantum uiribus,
Vel nescio cuius Beli, uel Væouis.

Si res opus paradigmatis domesticis
Habet, Deum nos defendisse fortiter.

Originum libri referti sunt sacri,
Constantibus fide quod adfuerit Deus,
Et Abrahæ, proliq; ipsius perpetim,
Maioribus nostris & Mose & Iosue,
Et hisce qui pollebant inter iudices,
Regiq; David, ipsius nepotibus.

Et non diu antequam fuimus nos exules.

Quando Israëlis rex Ezechias maximum
Obtinuit hunc triumphum, quo fortis suum
Hostem duello uicit Senchrib, angelis
Divinitus sibi in auxilium missis. Age

Macte uiri uirtute estote. Res Dei
 Geritur. suam profecto rem non deseret.
 Habetis è contrario documenta, quod
 Maioribus nostris antiquo tempore
 Misit malum, cum ferrent indignamus
 Onus suum, misit serpentes noxios
 In solitudinis petrosæ anfractibus,
 Lethalibus necantes insidijs, malum
 Profecto dirum. Vah, quoties in hostium
 Dedit manus rebelles, intratc abiles
 Et murmurantes aduersus sententiam
 Suam? Patres, si nos edemus murmura
 Contra Deum crebro tumultuaria,
 Timendum erit, ne quid grauius nunc accidat.
 Si nostra conferetis hæc pericula
 His quæ patrum sæpe accidere etatibus,
 Et lance non iniqua hæc æstimaritis,
 Videbitis quod isthæc desperatio
 Et uita nostra sit multo scelestior,
 Quam quanta quanta hæc nostra sit afflictio.
 Habete & hoc persuasum, & certo certius,
 Quod hostis obsidio, sit castigatio
 Paterna, qua nos admonet benignius
 Populum suum, reducit ad officium Deus.
 .oz i. Sunt uera quæ dicas, decus Bethuliæ.
 Nos haud negamus quicquam eorum. sed pius
 Animus tuus spectatus est, & cognitus
 Nobis satis superq;. nec dubium fuit

ss 5 Nobis,

Nobis, Deo te deditissimam, atq; ob hanc
 Causam Deus tuas preces exaudiet
 Præ cæteris quibusq;. Quare supplicans
 Populi tui subito uices. C H A. Exaudiet
 Tuas preces, cui non irascitur Deus.
 i v. Si quid meis uotis efficitur, ô patres,
 Non fuero segnis sed precum communio
 Est efficacior multo. C H A R. Subscripscrim
 Tibi lubens. I V D. Hæc admonere uisum erat
 Non sunt minoria, quæ moliri mens uide.
 Videte num consulto consilium meum
 Suscepimus, statim cras sub diluculum
 Exire portam. adeste ibi cum clauibus,
 Aderoq; & ipsa cum fidelis ancillula.
 Reserate nobis, securi de cæteris
 Rebus: meum fuerit curare cætera.
 Vos interim pro nobis ad Deum preces
 Per uniuersam ciuitatem fundite.
 Tranquilla reddam spero uobis omnia,
 Metu tyrannidis sublato funditus.
 o z i. Sapientiam tibi tantam, tantam fidem
 Tribuimus, ut non quicquam contra patriam
 Statuas. tibi nos obsequemur candidè,
 Exibis. I V D. Interim ualete, patriæ
 Patres. o z i. Vale, te comitabimur domum:
 Nox ingruit. i v. Nō est opus. C H A R. Sic cōuenit,
 Ozia tu duc ipsam, nos sequemur, &
 Comitabimur uos usq; ad ædes scœminæ.

I V D. Non

I V D . Non est domus procul, sed hic ē proximo est.
 Nec ipsa ab ædibus recessi longius.
 En hic domus patet. sed ades mi Promptule. (cet.
 P R O . E quidē paratus sum. I V D . Facis, quod te de-
 Officia uestra patres sunt gratissima.
 Abite quisq; domum tranquillis mentibus.
 Nil sit prius quam ut sedulo precamini
 Instetis. hæc sunt arma adeo ualidissima.
 O Z . Faciemus ut iubes. Dominus custodiat
 Te semper. C H A B . Ecquid nā hoc fieri putabimus?
 C H A R . Exempla non desunt, nobis heroides
 Geßisse res egregias sepe fortius
 Ipfis uiris diuina prouidentia.
 C H A . Fortassis hæc diuino afflata numine
 Iussu ue rectoris summi salubria
 Molitur. C H A R . Haud aberras Chabri longius
 A ueritate, nox discessum flagitat.
 O Z I . Valete, cras adeste indicto tempore.
 C H A . Aderimus ad tempus, consul dexterrime.

S C E N A II.

E X C A P I T E N O N O .

Iudith.

D Eus meus, patris Symeonis ô Deus,
 Cui semper adsuisti in rebus arduis,
 Cui pectus & gladium dedisti uim dicem,
 In filiarum temeratores noxios
 Quorum cubile redditisti sanguine
 Madidum, rapina factæ illorum coniuges,

Judith in com
clavi noctem
orando tran-
sigit, cōtinet
adeo hæc sce-
na ipsius pre-
cationem.
Quod ut spe-
ctatores ui-
dere possint,
stat apertis
cubiculi fene-
stris.

Deus,

Deus, Deus, seruator ô celsissime,
 Defensor æquitatis, exaudi preces
 Viduæ Tuam nil prouideniam fugit,
 Antiqua eorum coram te recentia
 Sunt: & futura quæq; tibi Deus pater,
 Præsentia, & nihil conantur quod tibi
 Non cognitum sit. Nosti quid rex Assur hic
 Contra tuam maiestatem tentauerit,
 Quam sit superbus, quam contemptor arrogans
 Potentia tua. Contemptum negligunt
 Nixi sui armis, equis & uiribus.
 Tuum ô pater potens dicamen nesciunt,
 Quod bellicos tumultus dissipas manu
 Forti, tuis deletis hostibus. Tibi
 Celsissimum Domini nomen proprium est tuum.
 Hostile robur rumpe, extingue funditus,
 Exere furorem in Assyrios dexterrium:
 Statuere enim tua sancta, prophana reddere,
 Templumq; nominis tui atq; gloriae
 Replere abominationibus, tue
 Arae sacrata demoliri cornua.
 Effunde mox furorem & iram in hostium
 Capita, meæ robur manui Deus insere.
 Apud animum facinus concepi callidum,
 Astutis meis hostem rogo percute,
 Ut milites, ducesq; mixtim corruant.
 Fac ut meo pereat hostis strategia.
 Robur tuum non est in multitudine,

Non sonipedis strepitus unquam tibi placet:
 Robur tuum tantum submisso in pectore est.
 Robur soles praestare potentissimum,
 Adiutor es paruorum & imbecillium,
 Defensor & seruator presentissimus
 Spe destitutorum. Paterne mi Deus,
 Deus potens possessionis Israel,
 Domine poli astriferi, terraeq; amplissimæ,
 Creator & rex universæ machinæ:
 Ego freta, mi Deus, tua clementia,
 Tibi supplico, ut tui memor sis foederis.
 Sermonibus meis adhibe fraudem & dolum,
 Quibus tuos hostes flagello & uulnere
 Neci duim, qui contra sancta foedera,
 Contraq; sanctum templum, contra uerticem
 Syonis, & solum nostrum, uah partium,
 Concilia ceperunt: in illos mi Deus
 Statuae potentiæ paradigmata,
 Ut innotescat cunctis paßim gentibus
 Populum Israel curæ tibi tuum fore.

SCENA III.

EX CAPITE DECIMO.

Judith. Abra ancilla. Ozias.

Chabri. Charimi. Promptu-
lus. Chorus.

Ela age ades mea tu, mea Abra ancillula
 Semper mihi fidelis, audi quid uelim,
 Quod facinus apud animum meum conceperim.

Judith, ut eſ-
 titutuſ erat,
 ante aurorā
 a conſule ap-
 ritur porta,
 exit cum fa-
 mulis, acce-
 ptis ad iter
 edulius.

Scis

Scis quanta nos miseris premat afflictio?
 Ex hostis hanc patriam dulcem manibus means
 Eripere, te, tuaque opera mihi erit opus.
 Non ambigo, quum sit tibi id animo tuo
 Quoq; insitum. Iste namq; animus tuus mihi
 Spectatus est, quod sit muliebri in corpore
 Pectus uirile. A B R. Nil o hera antiquius
 Fuerit mihi, quam pro patria hanc effundere
 Vitam. Iube, parebo, nil grauabor, ac
 Lubens subibo quoduis onus maximum.

I V D. Laudo tuam puerilarem fiduciam.
 Cœlum rubescit, en per Orizont a nunc
 Solare lumen ascendet: nunc tempus est
 Mihi constitutum ab ipso nostro consule.
 En consulem, et uiros duos primarios.

A B R. Video probè. I V D. Age iam nunc nos parabimus
 Ad iter. En. O Z I. Hunc diem uobis faustū precor.

C H A. Precamur et tibi Cos. clarissime
 Reiq; publicæ tranquilla tempora.

O Z I. Aderit opinor mox Iudith fœmina
 Quouis uiro cordatior. C H A R. Diutius

Hæc non moras faciet. C H A B. Veniet, modò uenit.

C H A R. Nisi fallor, en crepuere ab ista iam fore. (est.

C H A B. Est ipsa cum puella. C H A R. Succincta utraq;

I V D. Ut iussero facias. repone portulam,
 Et sacculum farinæ, et panes azymos,
 Carycasque dulces, hoc disponens ordine
 Imponito, ut olei locus sit uasco,

Viniq;

Viniq; quincunci sic recte construe.

ABR. Sunt recta sic, hera? IVD. Sunt rectè singula.

Facis probè: tuam laudo hanc industriam.

Nunc suscipe hæc, meum sequens uestigium.

Tu cereum funale præfer Promptule,

Præito nobis usq; ad portam. PR. O. Promptus en

O hera sum, IVD. Rectè facis. Sed consul est

Cum patribus Chabri atq; Charmi ad urbicam

Portam, ut mihi indixere hesterno uestigium.

CHAR. Sed eccam Iudith, ipsa adest ancillula

Ornata & onerata. OZI. Salve, fœmina

Columnen Bethulie. IVD. Saluete præfides

Vrbis, parata sum, uobis quemadmodum

Promiseram: referate portam. Egrediar,

Factura quæ Dominus dictabit spiritu

Suo mihi. OZI. Fiat. IVD. Cura mi Promptule

Quæ iusseram PR. O. Ô hera id faxo, atq; sedulo

Curabo diligenter, ut puerum frugi decet.

Deus pudicitiam uestram custodiat.

IVD. Eo patres, preces uobis mandauerim

Crebras, domi priuatim, nec non publice,

In synagoga, & concionibus sacris,

Cum liberis, & coniugibus. OZI. Curabimus.

Patrius Deus tecum siet cum gratia

Sua, & fauore consilium regat tuum,

Solymorum ut urbs per te fruatur commodis

Suis, tuum quo nomen in domo israel

Celebretur, & soboles tua multis seculis

Materiem

Materiem laudis, firmæq; gloriae
 Habeat. C. H. Amen, fiat, Deus te dirigat.
 I V D. Mea Abra, nos conabimur Deo ducere
 Rem maximam, pudicitiae periculo,
 Quod arduum magis mihi præ ceteris,
 Adeoq; uitæ ipsius est. A. B. Acerba sunt
 Quæ dicis hera, sed pectus fiducia
 Firma Deus meum muniuit. nos Deus
 Non deseret, nec destituet nos gratia
 Sua. Scio, miles genus tam barbarum,
 Inferre uim parabit nobis callidam,
 Perinde erit nobis ut agno simplici,
 Inter lupos rapaces. Quod si non Deus
 Tuebitur nos, quo sit salua castitas,
 Non sexus est nostro satis uirtus potens,
 Valida uero: sed curæ istud erit summo Deo.

S C E N A III.

Chabri. Charmi. Promptulus. Ozias.

H Eratua se miris exornauit modis,
 Quibus solent choreas, quæ tripudijs
 Salacibus uolunt salientes ducere.
 Dic mi puer, quibus noctem studijs tua
 Domina peregit istam, cum uenit domum.
 P R O. Nos conuocauit, & hortata sedulo
 Nos ad preces, modum precandi dictans,
 Ut rector ille rerum quod conceperit,
 Facinus suum ad patriæ salutem dirigat.

Precatis

Promptulus
 puer enarrat
 percūstanti-
 bus patribus,
 quidnam iu-
 diu hera no-
 etu fecerit: q
 ua in actione
 commode ue-
 nire non po-
 terat, per pue-
 ri narratione
 exponuntur.
 Mirantur pa-
 tres super for-
 mam & orna-
 tum, atque a-
 deo forte co-
 filium.

Precata dein uotis ipsa est ardentibus.

C H A R. Utinam sient plures in urbe eiusmodi

Antiquioris disciplinæ fœminæ.

Sed prò dolor, rarißima hæc exempla sunt

Aetate nostra matronarum talium,

Quibus Dei cultus magis, quam sordidus

Questus siet curæ. famulis nunc utimur

Instar iumenti: cui tamen lex dicitat

Ferias, ut alternans requies illis sicut. (mi,

C H A B. Sed heus puer bone, quid hera ipsa, quid do

Et quid precor fecit? P R O. Quid: ipsa per uigil

Oravit, hirto cilicio corpusculum

Amicta. Quid: caput cimere confersit, &

Noctem genuflexo transegit supplicans.

Precibus peractis ueste exuta sordida,

Sumit suas festiuas, ut uidistis hic,

Niueaque; crura hæc induit sandalibus.

C H A. Mirabar ornementa, odores, & comas,

Auro plicatas, quam mitræ uolumina:

Pellucidis gemmis fulvoque; auro riget.

Quid uestis illa consecrata gaudijs,

Dico stolam, qua dum uir uixit uisa erat?

Mirabar et armillas cum monilibus,

Et anulis, et inauribus splendentibus.

C H A R. Adscita sunt que narras, sed natius est

Ornatus, enuenistas ipsa corporis,

Niueusque; candor aspersus letissimæ

Rosæ colore, quo uirum libidines

tt Facile

Facile excitabit. o z. Quid? quod præter corporis
 Habitum uenustum, nescio quid amplius
 Habeat decori, quæ maiestas nescio,
 In fronte sit, diuina quadam gratia
 Condita? C H A R. Spero illius arte excidium
 Hosti imminere. C H A B. Deus fixit. o z. Dubio
 Hæc liberabit nos Dei præsentia. (procul

S C E N A V.

Judith ab Ho-
 lophernis ex-
 cubatoribus
 excipit. Ipsa
 defectione si-
 mulat.

Demius. Desmon. Judith.
 Abra.

EX urbe quispiam uenit Desmon uidens
 Ni fallor, est mulier, eiusq; pedissequa.

D E S. Muliebris hoc uestitus arguit quidem,
 Nisi caligo mihi perstringit lumina.

I V D. En Abra, miles excubias illic agit.

A B R. Sensere nos uigiles, ô hera, ô heu mihi
 Miseræ. Deus succurre nobis. I V D. Nil agis
 Clamore, sed memor' ne quantas glorias
 Efflaueris: nil te trepidatio iuuat.

Animo est opus, nec non cordato pectore.

A B R. Memini, sed an non censes me esse uirginem,
 Meæ pudicitiae timentem, et fragilem,
 Obnoxiamq; perturbationibus?

D E M. Interroga cuiates sint, aut quò uelint,
 Aut quod sit institutum earum. D E S. Me sine.

Ehem gradum parumper nobis fistite

Vestrum, quid ambulatis sub diluculum?

I V D. Hebra asum, D E S. Vests docet, si maxime

Taceat,

Taceas. IV D. Fidem uestram miseræ nos supplices
Hic inuocamus, & fidei nos dedimus.

D E S. Mulierculæ uenustæ, uos temerarias
Oportet esse, quæ committitis hostibus
Vestram salutem. IV D. Non profectò, longius
Erratis à uero. Hæc potius prudentia est
Callida satis, quæ non perire in oppido
Cum ciuibus nostris uolumus. fiducia
Vestræ æquitatis fretæ, nos huc transfuge,
Vestram fidem petimus his conditionibus,
Si uera erunt, quæ nos duci narrabimus
Vestro. D E M. Manebimus promissionibus
Nostris, fidem seruata si seruaueris.

IV D. Dextram ducis tetigisse pacis pars erit.

D E S. Conscende currum cum tua pedissequa.
Non mos apud nos est, honestas foeminas
Pedibus iter facere. nobiscum ad principem
Ibis, modò ut sies præsenti pectore.

D E M. Dux noster est benignus liberalibus,
Et candidis, mirusq; amator, si qua sit
Mulier, sicut tu paulo liberalior.

Non sordidas amat, quibus sed gratia est
Ex moribus bonis. nam multo gratior
Virtus fluens ex eleganti corpore.
Non ambigo, quin sis futura principi
Propter bonos mores tuos gratissima.

D E S. Comitem modò præbeto nobis non grauem.

IV. Sequemur Abra, nunquid ut prædixeram,

Sic euenit, que sors nobis felicior
 Continget unquam, uel quibus felicitas
 Affulxit, ut non possit obscurari?
 Inibimus summam, ut confido, gratiam
 Ab imperatore ipso tot uictorijs
 Pleno. A B R. Meis pro uiribus conabor ut
 Ex parte quadam sim nonnihil blandula.
 D E M. Mulier uiden' nostrum ducem in tentorio
 Cū satrapis? I V D. Video. D E M. Princeps benignus
 A B R. En hera quanta militum turba aduolat. (est
 D E S. Gynecrates Holoferni mox renuncia,
 Istas duas mulieres ecce transfugas,
 Defectionem ad Assur quod prudentule
 Parauerint, sue saluti ut consulant.

SCENA VI.

EX CAPITE II.

Gynæcius. Holophernes.
 Gynecrates. Judith.

Sistif Judith
 Holophernis
 tribunali, sup
 plex rogat a
 duce ueniam.
 promittit am
 plissima. Fi
 des ab hosti si
 mulationi ha
 betur.

Ecce imperator, ecce prædam milites
 Cepere dignam te duce elegantulam.
 In rupibus Bethuliæ tales feræ
 Versantur. En Hebræam peruenustulam.
 Vel hæc potest oblata fortitudinis
 Occasio esse. Ecquis non uel grauiſſimum
 Periculum subiret: namq; hoc oppidum
 Captum, suam dabit mulierem in singulos.
 HOL. Leuate eam manibus, inuenit gratiam in

Oculis

Oculis meis. sine ut oculos meos probè
 Pulchro illius queam conspectu pascere.
 G Y N. Resurge pulchra, spem secura concipe,
 Et moribus duci probato te tuis,
 Blanditijs, tua res habebit optime.
 Ponas metum, nihil est pericli fœmina.

H O L. Ne me putas uirum superbum, uel trucem,
 Tyrannidis tam fastuosæ principem,
 Qui contra fas uel contra iura gentium
 Mortalium quenquam uiolauerim, nisi
 Regis prius maiestatem lacefferet,
 Rebellione, uel quocunq; alias modo
 Contra Assur arma duelli sumpserit.

Quod si maligna gens tua isthæc non meis
 Victoriosis armis obstitisset, en-

Tranquilla pax esset iam uobis omnibus.

Sed laudo te, sanumq; consilium tuum
 Vehementer approbo. hæc salus erit tua,
 Tu nostra eris, felixq; cum gens funditus

Tua hæc peribit. Hoc amabo te rogo,

Quis autor extitit tibi quod transfugis?

I v. O imperator, audi quod famula tua

Dictura sim. tibi hoc de me promittito,

Me nil tibi dicturam, quin sit maxime

Ex re tua futurum, & pro uictoria.

Hoc assequenda. H O L. Dic audacter omnia.

I v. Quod si sequeris, quæ tibi dux iam dixero,

Habebis hanc dubio procul uictoriam,

Tam uera sunt quæ dicam, quam quod maximus
 Rex ille Cambyses & uiuit, & regit,
 Cuiusq; tu uirtutis exequitio es,
 Scelerumq; uindex, quod tibi hæc uictoria
 Continget. Imperium sicut mortalium,
 Sic bestiarum terræ, quidq; in æthere
 Volucrum, marisq; procellosi piscium,
 Regni Assur haud alij quam mundi machinæ
 Sunt termini. tua laus per orbis climata
 Celebratur, & contingit astriphorum polum.
 Increbuit rumor per urbem, per tribus,
Quod Achior tibi futura dixerat.
 Sunt uera, quæ dixit. Nobis iustus Deus
 Irascitur, furore iusto percitus.
 Minatus est nobis persepe oraculis
 Propheticis, ni nos resipiscamus, fore ut
 Hostis manu cadant hæc nostra moenia.
 Quid amplius tibi uis? ô dux amplissime,
 Male consciū ciues sibi sunt, & laugidi,
 Spe destituti, sunt exhausti uiribus.
 Sitis prenuit, fames eneruat, peruigil
 Eos labor fatigat, semimortuos
 Iuraueris: tanta est ipsis necessitas
 Famis sitisq; ut destinarint omnia
 Quæ lex cauet, mactare, & quæ sacrificijs
 Sunt consecrata, quæ prophanis est nefas
 Comedere, uel haurire nefandos sanguines.
 Et uasa rebus destinata quæ sacrifis

Sunt,

Sunt, cuncta uertent in pecunias, sibi ut
Oleum atq; uinum emant, et que uita indiget.
Misere nuncios Hierosolymam, patres,
Ut consulant senatum, et ordinem sacrum.

(Metropolis ipsa designauit talia)

Statim atq; nuncij redibunt, oppidi
Facient sui mox deditio[n]em, atq; id sine
Vitæ aut salutis certis conditionibus.

Hæ sunt meæ causæ imperator maxime,
Quod ciuitatem deploratam deserо.

H O L. Es digna cui rectè benefaxo. i v. Ad te Deus

Me misit, ut tibi isthæc omnia indicem,

Victoriose dux. Ob id tibi supplico,

Ut pace salua in castris hic uersarier

Liceat, Deoq; seruire in conuallibus.

Ipse indicabit quæ sit uera occasio,

Ut auspicato possit nostra ciuitas

Ariete turrifrago per te dux concuti.

Dein urbe capta, aperta et armis hac uia,

Compendio ad urbem sanctam tibi dux ero.

Non est quod obstet, quin se dedane oppida,

Quibus Bethulia est pro propugnaculo,

Portaq; nam patebunt inde cætera.

Non allatrabit te catellulus quidem,

Tibi omnia expedita erunt. Victoriam

Habebis hanc diuina prouidentia.

H O L. Collando te, tuam propter prudentiam

Disertam, et elegancia decus tue

Demiror. Huc nostrum ueni in tentorium,

Nostras opes, auri atq; argenti copiam

Lustrato, quis sit splendor: lustra singula.

I v. Sequere Abra. A B. I præ mea hera, te sequar.

S C E N A VII.

Amorites. Moabites. Holophernes. Judith. Vagao.

Thaltybius præco.

Dux & chirarche mirātur eius uenu statē. Ipsa im petrat a duce, quæ captādæ occasionis gratia petie

Qvo sæpius conuento in ipsam lumina,

Hæc me magis delectat, & in lasciviam

Adeo resoluo oculos. M O. Te digna erit

O imperator, & præda hæc cedet tibi

Merito: placet, sed quantum, non quo eloqui.

H O L. Verum est, uiri. Quis non talem prudentiam

In fœmina miretur: quæ in paucis uiris

Viget. Venustas quanta in hoc est corpore?

Non haec tenus uidi ullam tantis dotibus

In fœminarum stulto sexu præditam.

Hebræa gens si tales nutrit fœminas,

Quis non uolet genti huic lubens dominarier?

Sed singularis hæc tibi est felicitas,

Quod te Deus uoluit tuus seruarier,

Nobisq; per te fecit certum, quid uelit.

Quod si Deus nobis tuus præstabit hanc,

In quam sumus erecti spem, tuum Deum

Meritò colemus pro Deo uerissimo

In regia Nabuchadnezer. sed tui

Mulier habebitur, credas, honestior

Ratio,

Ratio, per imperium nomen passim tuum
 Celebrabitur. Nostris en fruere commodis,
 Nostraq; mensa, i v. Non grauatum fecero,
 Quæcunq; me pro dignitate iusseris
 O imperator, hoc unum te deprecor,
 Ut liberum sit uesci non quibuslibet,
 Quibus piaculum est Hebræis uescier.
 Nec si meos offensus irritos bonus
 Faciat Deus conatus. H O L. Sed quid si tibi
 Cibus tuus deficiat? I V D. Haud fiet scio.
 Nam suppetet tantum, quantum necesse erit
 Pro tempore isto, quo pendet uictoria.
 Tam certa sum meo de isthoc conamine,
 Quam uiuus ô dux, imperator inclyte.
 H O L. Benigniter promittis. En temorium
 Tibi destinatum cum tua hac ancilla.
 In hoc morator, & tranquilla uiuito.
 I V. Res ista sola sollicitam miseram tenet,
 Ut tuta sim, liceatq; pace publica
 Sine milium petulanti intemperantia.
 H O L. Nil denego: quæcunq; flagitaueris,
 Euenient. tam tuta eris, quam si domi
 Castris remotis cum tuis sis. Vagao.
 V A G. Ecquid meo officio tibi est opus rogo
 Præclare dux? H O L. Duc foeminam in tentorium.
 Tu præco militi hæc per castra edicito,
 Ne quisquam eis uelit capitum periculo,
 Molestus esse. V A G. Vestra hic est habitatio

Instructa.

Instructa. i v. Laudo, uade, nobis sufficit.
 T H. Dux Assur imperator noster maximus
 Edicit, ut liceat Hebræis fœminis
 Per castra tutè ab omnium insolentia
 Versarier. Pœna est capitis periculum.

CHORVS.

Ex Psal. L X X. Sub persona Bethulizæ.

EN tuum supplex Deus ô benigne,
 Euoco promptum celera iuuamen.
 Non moræ porrò locus est misellæ.

Valde necesse est.

Sit rubor stultis, pudeat malignos
 Et fuga turpi redeant, salutis
 Qui meæ diri uoluere tristeis

Texere technas.

In fugam uersi redeant, pudore
 Languidi longe fugiant iniqui,
 Qui nuunt tristii miseraeque sannos

Valde superbos.

Gaudeat rursus bonitate celse
 Qui tua rectior fruitur benigna,
 Qui tuæ laudis celebrare pergunt

Nomina sancta.

Rebus afflictis miserator alme,
 Mox opem feras celerem. Peribo,
 Ni citam præbes miserae salutem.

Porrigere dextram.

ACTVS

ACTVS QVINTI,

SCENA I.

Holophernes. Judith.

Vagao. Abra.

Holophernes
uocat Judith
ad coenam.

Statui diem hanc festiuiter consumere:
 Quapropter curre, & fœminam hanc mihi uoca.
 Promitte ei uerbis meis quiduis, modò ut
 Illam queas huic ad coenam perducere.
 Nam turpe nobis Assyrijs esset quidem,
 Si talis à nobis abiret fœmina,
 Non legibus tentata amoris. Hæc mihi
 Illuserit: non id fiet. curre, hanc uoca
 Iussu meo. VAG. Faciam: scio quod sit meum
 Munus, meo officio probè fungar. Iners
 Essem, ac fidelis haud satis, nisi ego duci
 Cubiculum curarem pro fide mea.
 Sed ecce pulchra pro foribus tentorij
 Stat cum puella. Salve fœmincum decus.
 Dux nunciat tibi salutem plurimam,
 Rogatq; ne graueris secum sumere
 Coenam, tui tenetur amore maximo.
 Est dignus ut morem sibi hac in re gerat.
 IV. Ecquid mihi causæ tantæ arrogantiæ,
 Aut insolentiæ fuerit, quir quid duci,
 Vestro uelim officij negare? perlubens
 Morem geram. Promptum officium magno duci
 Ex me renuncia, nulla in me erit mora.
 VAG. Recte facis. Vale, non differ longius.

Muli er

Mulier sapit, præstat uolentes obsequi
 Cum gatia bona, quibus non liberum est
 Viuere ut uolent. Amorq; multo dulcior
 Est, qui cupidinis constat blanditijs,
 Quam qui coactus est dira tyramide.

H O L. Quid nuncias? Qua fröte nostrum nuncium
 Excepit: V A G. O' dux nil uidisti blandius.

Quæ sit futura, id indicauit gestibus.

Benigniter promittit, nec diutius
 Aberit. I V. Eamus Abra, sis compositis
 Apud ducem, blandis & amicis moribus
 Instructa. Nam meministi quid tibi dixerim.
 His artibus nobis hostis uincendus est.

A B. Memini probè, memorq; ero. H O L. Ehē Vagao,
 Cura ut coquus lautè paret, uinisq; sit
 Pincerna dulcibus nigris instructior.

Genialis hic nobis dies latus fluat,
 Cum muliere hac Hebreæ festiuissima.

V A G. Mulier adest. I V. Sis saluus dux fortissime.

H O L. Ades suauium meum. probe facis,
 Quod benevolentiae meæ tantum studes.

I V. Rei gerendæ tempus indixit Deus
 Mihi meus. H O L. Lætum facis. I V. Nil certius.

Est tempus ipsum, & certa nunc occasio.

H O L. Lætabimur merito, hanc noctem donabimus
 Iucunditati. I V. Non aberit industria,
 Si quid potest, mea in hac re. H O L. Potest quidem.
 Sed tempus est coenæ, tu nobis Vagao

Facis

Facis moras. Tribuni præsto sunt, item
Centuriones, signiferi; .v a c. En omnia
Parata sunt, modò hospites mensæ alloces.

SCENA II.

Holophernes. Vagao. Iudith.
Abra. Liturgus. Signiferi.
Centuriones, et tribuni assi-
dent mensæ.

Hec scena eō
uiuum conti-
net.

Accumbe dextræ adiuncta corculum meum,
Roseum tuum mihi osculum præbe prius.
Lateri tuo adiungas tuam pedissequam.
Iv. Lubens parebo. Huc Abra iussu principis
Latus meum claude. A b. Hochonore digna sum
Minime. Iv. Sed expedi quæ sunt in sportula,
Cibosq; nostros profer quæ nos uescimur.
H o l. Ecquid sibi isthæc uult superstatio tua
Iudaica: uiues nobiscum lauius.
Iv. Nobis religio est prophanis uescier
Cibis. H o l. Sed hæc est expiabilis tamen.
Iv. Nihilominus festiuas exhibebimus
Nos omnibus uobis pro tempore & loco.
L i. Sed interim mihi aſideas puellula.
O' sors secunda, quæ me ornasti splendide.
Quid me beatius? qui multos inuidos
Habeo. quid obliquo me spectas lumine?
Nunquid uides, quod sit amarum animo tuo,
Cum signifer decumanus sis, & arrogans?
T r. Mordet quidem, sed æquius tamen fero.

Memini

Memini uices rerum semper reciprocas
Euisse. Vina erunt loco puellulae.

Pincerna cura uina ne nos negligant.

P I. Inibimus certamen, num sis fortior
Bibendo, uel uinis coronandis ego.

M O. Præsta uirum hoc poculo Sigmalion.

S I G. Tam fortiter bibam, quam si uictoria
Sita sit mihi in hoc hauriendo poculo.

Hoc populum uino corona. P I N C. Gnauiter
Bibite, moras nullas faciam per strenui
In poculis uiri. D O N. Profecto dignus es,
Cui nos coronis uestiemus tempora.

A M O. Heus heus ades dum cum tuo fusorio.

Vehementer à te pincerna hic dissentio,
Subinde cyphos quos tu suppleris sedulo,

Vacuos tibi reddo contentionibus

Magnis. P I N. Vter uero prius lassabitur,
Tu senties. L I. Quæ dicis, ipsa est ueritas.

In poculis sunt bellicosi milites.

M O. Et tu uales, cum res est cum mulierculis.

L I. Tibim' dolet? Viden? M O. Video, quid amplius?

H O L. Cessatis: i v. Haudquaquā. H O L. Potate largi
Propino cyphum, exhaustias ut integrum, (us.

Sic dulcior noctis fiet dormitio.

I V. Non sexus hoc fert, nec tam uino assueuimus.

Aequi boniq; feret tua hæc integritas,

Si pro decoro foemineo respondero.

Vides opinor quid calices foecunduli

Effecrim

Effecerint. Probè, quia garrulæ sunsus
 Facte: nec unquam uiximus nos lautius,
 Nec lætius. H O L. Vocato nobis Phœnum:
 Mulierculæ cantu capiuntur musico.
 V A G. Phœni ueni, dux te uocat, citius uola.
 P H E. Sum præsto, quid me uult? V A G. Stulte roga.
 Facies tuum officium. T H R. Inunge guttura.
 P H E. Facis probè, nam uina guttur leniunt.
 H O L. Conuiuum hoc ornato nobis carmine
 Pulchro, meam laudabis hanc amasiam.
 P H E. Vitam quæ faciunt beatiorem,
 O fortissime dilector hæc sunt:
 Si fortuna beat uirum secunda,
 Extollitq; sua serenitate.
 Fortes imperio potente donat,
 Ut nunc Assyrium ducem eleuauit,
 Cui uictoria cessit incruenta,
 Et cui contigit esse gratosum.
 Cui uirtus ualida est ad haurienda
 Large uina, sicut duci benigno.
 Et cui pulchra Venus solet fauere,
 Et cui uiuere fas uoluptuose.
 Huic Hebræa placere curat, ipsum
 Felicem faciet suavi amore.
 Hebræe decor est amore dignus.
 Ipsa est digna tuo uenusta amore,
 Hac ô dux fruitor die atq; nocet,
 Hæc uitam faciet beatiorem.

S I M . Hæc

SIM. Hæc cantilena pulchrè facta ex tempore est,
Cantataq; in loco. ablue raucedinem.

PHE. Medicamen hoc lenabit rauca guttura.

HOL. Vos non fuistis pro loco atq; tempore
Lætae satis, quam par abstemie magis.

Iv. Satis superq;. Nos fuimus letissimæ.

Merebor hanc benigitatem, quo queo

modo. HOL. Potes amplexibus dulcissimis.

HER. Timeo tibi ô dux à dolo, & mulierculis.

Nam non satis tutò fides huic sexui.

Nil foeminis, credas mihi, fallacius.

Ex hostibus speras fidem? fideliter

Te moneo pro officio. Salus exercitus

Sita est tua in salute. Nam si tu cadis,

Cecidit status regni Assyrij iam funditus.

HOL. Nos umbra noctis iam præceps adobruit.

Saturi sumus nos, eructantes crapulam.

Surgemus, ac quieti noctem quisq; pro

Se dabimus. Tu mecum eris suauissima,

Nos transfigemus istam noctem dulcibus

Amplexibus. Iv. Faciam lubens, quod iuss eris.

HOL. Phrurarcha cura ut excubiae fiant probè.

PHR. Quod mihi iubes, faciam pro more sedulo.

HOL. Euicit hoc uillum. uix pes suum facit

Officium, amore isthuc tuo fruar tamen.

Tu Vagao, cura ut tentorium probe

Claudatur. VAG. Hæc curabo fidelißime,

Dormi modo securus cum muliercula

Ista. IV. Sed Abra, aurem tuam mihi admoue.

ABR. Teneo probe, curabo recte singula,

Modò principem tu dignis accipias modis.

PHR. His artibus nunquam capiemus oppidum.

Animus meus præsagit, haud satis scio

Quidnam mali, quod dux confidit fœminæ.

Est iactitatum antiquitus diuerbijs,

Mulier fidem quòd tum mereatur optimam,

Quando est apertè fallax, & uerè mala. (rium.

IV. Huc Abra. ABR. Quid? IV. Expecta me ad tēto-

Animo est opus præsenti in hoc negotio.

Spero fore, ut Deus me uictrici manu

Reducat ad nostros. dux stertit crapula

Madidus. Meum nunc consilium intus prosequar.

ABR. Faxit Deus. Deus manum tuam regat.

SCENA III.

Judith. Abra. Demius. Desmon.

Pyrgophylax.

EN Abra, summus atq; maximus Deus

Hanc in manus dedit meas uictoriam.

In hanc caput peram tyranni condito.

Per castra mox tacito transi tecum pede,

Sed tardiore gressu, ne quis sentiat,

Nobis ue suspicione festinatio

Pariat, per excubias, ac si pro moribus

Nostris precatum eamus. ABR. Obseruauero.

Sed hera quæso te, quibus modis? IVD. Tace,

Dum castra nos transuerimus. AB. Recte mones.

Abscissio du-
cis capite, pe-
tit urbem: in-
tromitti se iu-
bet.

D E M. Hæbraæ Desmon, cum sua pedissequa
 Abit precatum. D E S. Quanta est hæc religio?
 I v. Euasimus reor. A B R. Dic hera terogo
 Mihi modum cædis tam uastæ belluæ.
 I v. Dum sterkit ipse somno profundissimo,
 Acinacem stringens grauem, seco caput.
 A B R. Exhorri caput uidens, facinus tuum
 Fortissimum quidem, nec non heroicum.
 I V. Ehem uigil, Ozias mox renuncies,
 Ut recipiat me uictricem intra mœnia,
 Assur ducem manibus meis iacere nunc.
 P Y R. Quid præter expectationem tam fuit
 Vnquam? I v. Moras abrūpe actutum, illi mox nūcia,
 Totam domum Israel per me esse liberam,
 Imò Dei potentia & clementia.
 Laus optimo Deo.

SCENA IIII.

Pyrgophylax. Tichophylax.
 Nyctoporeus. Promptius. Ozias.

T Ichophylax bone,
 Mox consuli indicium fac, ante mœnia
 Judith esse uictricem lætissimam.
 T I C. Io triumphus, ec quid hoc festiuus,
 Aut lætius die illuxit? ex maximo
 Dolore nascitur plerunq; gaudium
 Summum. Viri ciues uobis annuncio,
 Quod nos Judith omnes liberauerit,

O Con-

- O Consul, ò uir, et rei cor publicæ,
 Iudith ante portam læta te uocat,
 Et intromitti ouans cupid de hostibus
 Victrix. o z i. Itan' ais minister optime?
 O scœmina quouis uiro cordatior.
- TIC. Portam cupid referari, & id maturius
 Fieri. o z i. Renunciato mox hæc cæteris
 Senioribus redamantibus rem publicam,
 Et obuijs quibusq;. t i. Faxo promptius.
- NYC. Sexta ò boni ciues sonora
 Campella dixit quæ sit hora,
 Hostis procul procul fuge.
- TI. Faceſſe ab his longè tuis clamoribus,
 Aliud magis necesse est publicarier.
- NYC. Ecquid putas? TI. Iudith urbem liberam
 Ab hoste reddidit manu fortissima.
- NYC. Num uera dicis? TI. Quid rogas mali ominis
 Homo? ante portam uictrix cum pedissequa est.
- NYC. Iudith ò boni ciues necauit
 Hostem malignum, nos beauit,
 Hostis metus sublatus est.
- PRO. Hem Nyctopore, quid ais? quid clamitas?
- NYC. Heram tuam peperisse nobis gaudia.
 Illi obuiam procede mox funeralibus.
- PRO. Io triumphhe, ecquis me letior? o z i. Puer
 Quid clamitas? quid uociferatio tua
 Sibi uult? PRO. Salus ò consul hanc mihi publica
 Extorquet, & salus heræ. o z i. Tæda ardeat

Per urbis angulos, nec non per compita,
Ouatio ut splendore clarior siet
Heroidis, per quam sumus iam liberi.

S C E N A V.

Confluit tota Judith. Ozias. Chabri. Ema-
ciuitas, intro- nuel. Archidemius.
mittit Judith. Refert ad cō- Saluete ciues, hem consul sanctissime,
cionem res a Gaudete mecum. O Z I. Quis non summū gaudium
se gestas. Gauderet? Ó Deus tibi det præmium.

C H A. Reditum tuum quis ausus policerier
Fuiſſet? I v. Hoc Deo placet ſic uindici,
Ut cauſa uictrix nos maneret. E M. Laus Deo,
Qui tum ſolet nobis ad eſſe, cum minus
Nobis uidetur, cumq; opus eſt maxime.

I V D. Habenda concio eſt ſolennis, ut patres
Vobis recenſeam quæ geſſerim foris.

O Z I. Locum parate qui ſit eminentior,
Ut ex eo ad populum dicat commodius.

I V D. Laudes Deo uiri patres decernite,
Qui pro ſua clementia nos liberos

Ab hoſte fecit, quod nos firma cum fide
Orauimus, per me famulam tranquillitas
Vobis tribus per ſingulas in Israel.

Si quis minus fidei dictis habeat meis,
Habeat fidem tecmerio certifimo.

Holophernis hoc caput ſpectate tam trucis.
Quod ſi cui ſignum hoc ſatis parum ſiet,

Cruenta ſpectet iſta linēa mina.

Quibus

Quibus fuit contextus uimolentia
 Stertens, mea hac muliebri dextra truncus est.
 Quam summa uirtus armauit summum Dei,
 Genium dedit mihi comitem meum bonum,
 Et qui sua seruauit me custodia,
 Ne quam tyrannus ille dirus uim mihi
 Faceret: pudicitiam seruauit integrum
 Nobis, reduxit, ac nos restituit. Modò
 Restat, Deo ut dignas agamus gratias.
 C O N. Laus sit Deo patri, qui nos benigniter
 Ab hoste liberauit per manus tuas.

O Z I. Bonum foret, si nunc præstò esset Achior.
 Minister, ito, acerse eum. A R C. Expediuero.
 O Z I. Laudem tuam quis enarrabit? Gratiam
 Summi Dei quam fecit in te maximam.
 Potens Deus te duxit, ut tu foemina
 Faceres manu forti, quod non quisquam uirum
 Fuisse ausus contra Assur potentiam.
 Facinus, Deus me amet, dignum palmario:
 Velsi quid est, quod sit palma præclarus.
 Nam quando grata mentio clementiae
 Fiet Dei, celebrabitur facinus tuum,
 Quæ non pepercisti saluti corporis,
 Et amplius pudicitiae periculum
 Non difficulter suscepisti pro tua
 Patria, Deiq; cultu. Nunc uenit Achior.
 I V. En Achior, res saluae sunt, uidelicet caput
 Holophernis. Ecce tam potens noster Deus.

Fastum superbū per meas necans manus.
 Putabat ille se bellum contra Israel
 Mouisse, non intelligens, summo Deo
 Temerarium indixisse bellum. Nunc iacet,
 Qui comminatus est tibi diram necem.
 Ecquid mali hoc? animo forti sis Achior.
 A R C. En destitutus uiribus psycholepsia,
 Opus est refectione, & forti aromate.
 I V. Meliuscule est, uires parum recolligit.
 A C H. Beata tu uero es Iudith: laudibus
 Vehenda est, per quam maximus Deus
 Auertit hoc malum ab Israelis domo,
 Hostemq; illius afflixit dignis modis.
 Quicunq; deinceps audiet facinus tuum;
 Celebrabit is nomen tuum: cum gloriam
 Dei canit, fieri proselytus uolet.
 I V. Viri Bethulienses, quando illuxerit
 Dies, caput præ moenibus suspendite:
 Et uiribus collectis urbis undiq;
 In castra mox ruentes armati, impetum
 Facite. Ducis magnis contentionibus
 Tentorium petite. uigiles si senserint,
 Statim imperatoris scenam urgebunt citi
 Ad prælium excitaturi, frustra tamen.
 Vbi uiderint corpus truncatum in sanguine,
 Animus cadet, mox in fugam uersi ruent:
 Ut folium tremulum cadens ex arbore
 Zephyris fugatur & turbatur stridulis.

Potens Deus uestras hos in manus dedit
 Fusos, fugatos hostes ferro sternere.
 o 2 i. Victoria hac fruamur ciues optimi,
 Ut nos monet uictrix Iudith. Nam foret
 Parum decorum nos uiros cunctantius
 Rem gerere, quām fœminæ istæ gesserint.
 Mox arma sumite quisq; pro sua fide.
 Non clasicum canemus, ne si sentiant
 Hostes, ad arma promptiores obuiam
 Veniant. caput uos ex hasta cæsi ducis
 Horrorem ut incutiat turbatis hostibus,
 Suspendite: & curate quæ necesse sunt,
 Ea expedite instructis ex armarijs.
 1 v. Vires Deus, cor & uirile præbeat
 Vobis. meo perfuncta opinor munere
 Sum, mando uobis absoluenda cetera.
 Eamus, i præ cum finali, Promptule.

SCENA VI.

Ozias. Signifer. Populus.
 Signum in manus trado tuas tibi signifer,
 Tuere pro fide tua. Salus erit,
 Erecta dum uolabunt. s i g. Hæc curauero,
 Fungar probè meo, mihi fide, munere.
 Sed ò Deus, nisi tu robur concesseris,
 Actum meis de uiribus profectò erit.
 Intelligent tuam præsentem gratiam,
 Si signa uiderint erecta, & integra.
 Vestram fidem ciues adiuro. Singulis

Interez caput
 Holophernis
 suspēdit, con-
 fluit armata
 ciuitas, tradit
 tur signa si-
 gnifero, orat
 Deus anteq;
 fiat eruptio
 in castra ho-
 stium.

Commendo me uobis, et signa quæ gero.
 O Z I. Ciues Deo rem nos geremus auspice.
 Nil certius nobis quam Dei gratia,
 De qua prius dubij nos Assyrio male
 Sani duci uolebamus nosmet dedere.
 Haec est diesquæ declarabit cui siet
 Patriæ salus curæ, Deiq; gloria.
 Sed ne quid audeamus nos temerariè,
 In uota nunc uocabimus Deum auspicem,
 Pro more patrio nos deuouebimus.
 Me dictitantem uerba nunc solennia
 Sequimini alta quisq; uoce clamitans:
 Si gloriam tuam Deus nos querimus.
 P O. Si gloriam tuam Deus nos querimus.
 O Z I. Funde ac fuga tuos hostes nunc ante nos.
 P O. Funde ac fuga tuos hostes nunc ante nos.
 O Z I. Ut ante Mosen, Iosuam atq; cæteros.
 P O. Ut ante Mosen, Iosuam atq; cæteros.
 O Z I. Hoc sacramento adstricci eruptionibus
 Magnis in hostes me ruentes sequimini.

S C E N A VII.

Demius. Desmon. Amorites. Moabites. Vagao. Herold. Mesech. O-zias. Signifer. Architecton. Phrurarcha. Gnoster. Phylax. Gregorus.

Eruentes ex urbe oppida nos vigiles audiunt, castra terore complicant, & maior fit trepidatio, cū dux trucatus Non audis arma ex oppido crepantia? D E S. Evidem audio sonitus armorum nō procul.

DEM.

D E M. Certe oppidani faciunt in nos impetum.

D E S. Impressiones in nos, quos contempsimus?

Discamus hinc nullos hostes contemnere,

Quantilibet uiles. D E M. Mox Desmon in pedes,

Mox in pedes nos conijciamus. Quid moras

Facis? D E S. Quid hoc mali est: Vis hostium

Facit impetu in paru cautos. A M. Quid clamitas?

D E M. Ad arma mox, nos oppidani adobruunt.

M O. Trepidatio est, quam, si non fallor, audio.

Strepitus uirum est armatorum, strepitus uirum est

Profectio. A M. Tu profecto diuinator es

Inauspicatus, D E S. hostes in nos ingruunt?

M O. Quid Vagao? Quin excitas celer ducem.

VAG. O imperator, hostes adsunt: perfida

Mulier festillit te: mox ad poenas hanc arripe.

Quid hoc rei? ducis corpus truncum iacet.

O facinus audax, o scelus nepharium,

Hebrae a nuspiam, proditionibus

Hem castra sunt referta, proh exercitus

Est proditus, facinus hoc est nepharium.

M O. Ecquid tu ais? Quod nam facinus tu prædicar?

A M. Duce necatu. VAG. An non facinus turpisimū,

Toti Assur illusum esse sic à foemina?

A foemina, inquam, tam scelerata? Num fidem

Dux debuit synceram in hostie credere?

HER. Hoc uates ante plusquam uerus dixeram.

Caput ducis uiden' pendet pro mœnibus.

M O. Non amplius superest spes ulla milites,

inuenis, ape-
to per cubicu-

larium tento-

rio. Incusatur

muleris He-

breæ perfidia.

capiuntur ca-

stra. Assyrii fu-

si fugatiq; ca-

stra deserūt.

Oppidani ca-

stra diripiunt,

ouantes am-

plis spoliis in

urbē redeūt.

Vagao insul-
tans in ducis
& mulieris
tētoria sic uo-
ciferatur.

gnitatem la- Suæ saluti quisq; ut uisum est, consulat,
 cerant p mo re uestes, & Turpi fuga, uel deditio[n]e, uel sui
 ex repentina Defensione: cuncta conclamata sunt.
 terrore parat fugam. A M O. Cæso duce, est nil quod moremur amplius.
 En oppidani incumbunt nostro tergori.
 Haud ulla uictis est miseris nobis salus,
 Quam quod salutis spes sublata prorsus est.
 Extrema spes est mera desperatio.
 M E S. Ecquid moras facis? quid stas fidei male
 Vir, quin fugis? H E R. Clementius supplex rogo
 Abducas, ut captiuum: uestris partibus
 Fui deditus, quod hic testabor libere,
 Colamq; uestrum circumcisus maximum
 Deum. M E S. Veni mecum nunc mancipium meum.
 H E R. Profelytus uestrae uolo esse ecclesiæ.
 M E S. Victoris est, leges suis uictis dare:
 Vitæ necisq; ius mihi in te perfide est.
 Interea hosti O Z I. Res ipsa nunc declarat quod Deus potens
 bus fusis fu Cum uult, suum nomen potest defendere.
 gatisque, co ful ad ciues Si promptius nobis opem tulisset, haud
 orationē ha Nos credidissemus fieri diuinitus.
 bet. Extrema sed neceſſitas nos edocet,
 Soli Deo quod debeatur gloria.
 Sed quando nobis hanc uictoriā dedit,
 Dedit simul prædam nobis hanc diuitem,
 Quia nos fruamur in commune singuli.
 S I G. Hanc partiemur æquis portionibus,
 Ut æquitas ciuilis istud postulat.

OZI. En Architecton, cura quo canalibus
Redeat in urbem fons thesaurus nobilis.

ARC. Curabo. Tota ciuitas intelligit
Nunc, quanta sit fontalis haec penuria.
OZI. Sed signifer, quod hanc ad prædam pertinet,
Per me ratum sit quod senatus censet: hoc

Vnum peto, ne sit immunis foemina
Victrix Judith. SIG. Illi cedat portio
Non poenitenda, sed spolia clarissima,
Quæ pertinebant ad corpus cæsi ducis.

Illam decent uirtutis haec insignia.

Phrurarcha cura, ut præda uehatur in oppidum.

PHR. Curabo. Gnoſter, & Phylax, & ceteri
Seruare cura diligentia haec omnia.

CNO. Curabimus. quanti haec est arca ponderis?

PHY. Redundat auro opinor, aut pecunia.

GRE. Quid saccus ille? uestes arbitror ducis
Habet. CNO. Grauis pera est, sunt magni ponderis.

SIG. Thesaurus iste barbaricus heu quantus est?
Inæstimabilis. OZI. Prædeisti Signifer

Vix mensis unus sufficiet, dum singula

Nos diuidamus. Signa date, tubicen.

Redibimus læti & ouantes nunc domum.

Inter haec cōſul cum Signi
fero exētates
Holophernis
tentorū, spo
lia Judith per
tinentia por
tant.

SCENA VIII.

Judith. Ozias.

Congratulor uobis hac de uictoria,
Quæ contigit nobis nutu magni Dei.
OZI. Per te Deus nos respexit benignius.

Profligatis
hostib. urbē
ingrediuntur
ouantes. exci
piuntur tara
tara. obuiā
illis proceſſe

Tumda-

Judith. Hanc spoliis opiniis donat cōsul, collaudat pulum: ciues ut arma depo siāt, dimittit. Ex hac sumus uictoria nos diuites, Quam rector orbis hodie nobis dedit. Spolia uiritim diuidemus omnia, In singulos & quales partes. portio Decumana pro meritis debetur fœminæ, Opima nempe, quæ ducem forti manu Neci dedit. Trophœa fortitudinis Statuantur illi. Et ista dum sit ocium, In publicum portentur cuncta armarium. Abite quisq; uictor in domum suam.

SCENA IX.

Interea dum quisque domi arma deponit, Anhydria et Hydrophila aquatū uenientes, superiorem disputationem reintegrant. Puer ludith et filiolus consulis de cōmunī gratulātes salute, Judith fortitudinem audibus celebrant.

Anhydria. Hydrophila. Promptulus. Mīsael.

MEA tu, quid ais? salve dilectissima. **H Y D.** Et salua sis. **Q**ui nam tue se res habent? **A N H.** Nil conqueror, modo salua sit respublica. **M**odo suppetat liquor multo utilissimus. **H Y D.** Aquæ quidem satis superq; suppetit. **A N H.** Non hoc uirum debetur fortitudini, **Q**ui moliores sunt, quam quæuis fœmina. **H erois ast** Iudith uictrix fortis est, **H**æc sexui nostro peperit hanc gloriam. **H Y D.** Natura nobis ingenium tam arrogans inseuit, ut nos stultæ, si qua nobilis

Facinus

Facinus patrauit fortassis prudentius,
Id arrogemus nobis, ceu nostrum sit hoc.
Tum particeps uult esse illius quaelibet
Ignauior (pace hoc tua tibi dixerim)
Ferebamus impatienter cum uiri boni
Vellent manu forti nostram defendere,
Scir? patriam. Secunda sors sententiam
Mutauit. At si res cessisset nunc secus,
Quante querelae? Sed culina me uocat.
Aquæ satis nunc exilit canalibus.

A N H. Sit Luus Deo, qui nos curat benigniter.

Vale modò, replebo aquis hanc hydriam.

P R O. Sis saluus, hem pater tuus dominam meam
Donabit heus non poenitendo munere,
Spolia ampla, nempe quæ necauit, principis
A cinacem & thoracem, & militaria
Insignia, atq; nescio quæ munera.

M I S. Est digna cui benefaxit tota ciuitas,
Cui deferant dignos honores singuli.

Sed quid noui fertur precor per oppidum?

P R O. Nihil noui sanè, quam quod sit omnibus
Notum, satis felix haec fama spargitur.

M I S. Hec causa nobis esto summi gaudij.

Heus Promptule istud affirmauerim tibi,

Quod si legas maiorum gesta antiquitus,

Non splendidum magis facinus, quam sit tuae

Heræ, leges. & equari maximis potest.

Rueri sumus teneres etate, & parvuli,

Sed

Sed ex tenella ætate nascitur noua
 Respublica, & qui præsunt functionibus
 In urbe paßim per tribus nunc publicis.
 Pueri fuere & ipsi. Si tempus feret,
 Fungamur ut nos publico quoq; munere;
 Habebimus paradigma splendidissimum
 Rei gerendæ: nil refert quod fœmina
 Sit illa. Nam pulchrum quod extitit semel,
 Deforme nunquā fit. PRO. Tibi certe assentior.
 In hemicyclis audiui ex maioribus
 Natu, magis uix esse quid probabile,
 Quād talibus si quidquam exemplis discitur.
 Curabimus quo crescant cum prudentia
 Anni. M I S. Pater meus uiden' nunc exiit.
 PRO. Video quidem, nos hoc loco spectabimus.

SCENA X.

Liturgus. Ozias. Joseph.
 Chabri.

Publicus fa-
 mulus cōfili
 renūciat, hie
 rarcham cum
 quibusdam
 presbyteris
 ex Hierosolymis, de uicto
 ria Bethulien
 sisbus congra-
 tulatū uenif-
 se. uocat a cō-
 sole. Interea
 confluit sena-
 tus.

Hierarcha sanctus ô consul piissime,
 Huc aduenit Solymorum ex urbe, cum uiris
 Senioribus quibusdam. O Z. I. Haud tempestiuus
 Poterat uenire, quād sub tempus gaudij.
 Liturgus hic, uiri boni, mihi nunciat,
 Quod pontifex uisum nos huc aduenerit.
 IO. En quād bene hoc factum uir consultissime.
 Nunc temporis nil commode fieri magis
 Potuit. Videre uictricem nostram uolet,
 Miraculum uisu longe dignissimum.

CHA, Abv

CHA. Abibo, eam uocabo, me comitabitur
 Opinor haud grauatum. Nam non dedecus,
 Heroidem tantam cum sancto principe,
 Et cum uiris senioribus, ut iudico,
 De publicis agere Dei negotijs.
 OZI. Recte mones, abi, uocato heroidem.
 10. En aduenit princeps sacerdos maximus.

SCENA XI.

Ozias. Ioachim. Simeon. Judas.
 Sachar. Onias. Emanuel.

Judith.

Nil gratius nobis potuit contingere,
 Quam quod Dei summus sacerdos maximi
 In gaudio hoc ad nos uenit Bethuliam.
 10. Congaudeo uobis fratres in gaudio
 Vestro. OZI. Patres & presbyteri sanctissimi,
 Gratissima est nobis haec uisitatio
 Vestra, & pius sinceri candor pectoris
 Tam gratus est nobis, quam quod gratissimum est.
 SIM. Pacem Deus suam potens, quam præstítit
 Vobis, uelit seruare in multa tempora
 Vobis, & Israeli pro clementia
 Sua. IV. Bethuliam Deus benigniter
 Respexit, istud ageat benignius:
 Quod auxit, id seruet per cuncta secula.
 SAC. Grauis dolor fuit profecto singulis
 Tribubus in Israel, quum uestra ciuitas
 Premeretur hoste tam crudeli & barbaro.

Excipit summus sacerdos, & eius comites presbyteri amplexi-
 tus & osculis amicitia plenis. congratulatur ipse us-
 cissim de pace. congratulatur Judith de uirtute. po-
 tifex aduentus causam exponit, atque tia hoc collo-
 quio claudit actio.

Sed .

Sed sunt uices rerum uobis diuinitus
Festiuiores concessæ. nunc plausibus
Et iubilis Deum celebramus maximum.

Sic conuenit ueris amicis, ut sient
Affectionibus pijs pro casu prædicti,
Quibus uident amicos esse obnoxios.

O N I. Hierusalem dolebat tota ciuitas,
Cum cingerentur castris uestra moenia:
Lætatur at, post quam uident uos liberos
Ab hoste tam crudeli, ex id per foemina.

Hoc gentibus cunctis est summum dedecus.

Mirabilis ratio est Deo iuuamini.

I O A. Heroidem hanc uidere fratres gestio,
Per quam Deus facinus hoc tantum fecerit.

E M. Aderit in ipso temporis hoc articulo.

Consul uocauit hanc, statim atq; acceperat
Adesse uos. En ipsa iam nunc aduenit.

S I. Est hæc in Israel decus tam nobile?

I V D. Nunquam fuit quicquam desiderabile
Mihi magis, quam ut hanc uiderem foeminam,
Quæ pectoris plus, ex fortis prudentiæ
Quam quilibet virum per Israel habet.

S A C. Non lingua tam diserta, quæ dignè satis
Encomium hoc heroidis celerauerit.

O N I. Virtutis est honos decoræ præmium.

Virtutis ast huius non comparatio
Facile inuenitur. Ergo præmium suum
Capiat ab ipso summo maximo Deo,

Non hic caduca nang; in terris omnia
Sunt) ast in alto cum beatis æthere.

10 A. Tu salua sis matrona laudatissima.

iv. Salve uicissim magni sacerdos Dei,

Et Israelis princeps splendidissime.

10 A. Tua fama fertur in Solymis celeberrima.

Iam tota propter te gaudet gens Israel,

Que nos malis ex hisce reddis liberos.

Heroicum facinus fecisti fortiter,

Que publicam propter salutem corporis

In columitatem neglexisti, foemina

Quouis uiro præstantior: & ob id quoq;

Maioribus digna es ipsis honoribus.

Non unus est laudis tuæ clarissimæ

Modus. Pudicitiam tuam clemens Deus

Respexit, atq; armavit istam robore

Macte uirili te uiduam castissimam,

Et continentem uirum à consuetudine,

Postquam Manasses uir tuus celeberrimus

Cum patribus dormiuit. Fortitudinis

Istud fuit. Quapropter & manum tuam

Deus potens armavit fortitudine,

Auxitq; te tam splendida uictoria,

Et gloria nunquam moritura seculis

Vllus tuam exornauit hanc præstantiam.

1 v. Encomion maius & amplius mihi

Tribus sacer quam pro meritis mystes meis.

Soli Deo debetur omnis gloria.

O ZI. Sedes, patres, pro more nunc capessite.
 Matronatu medium teneto pro tuo
 Merito. IVD. Senatrix en defungor munere
 Nunc publico. Ehem quanta sum pij patres?
 O ZI. Vos hospites, in his locis prioribus
 Sedete. Nunc sacerdos excelsi Dei,
 Nos auribus patentibus uerbum tuum
 Nunc audiemus, ecquid uisitatio
 Isthaec uelit repentina in hoc gaudio.
 IOA. Viri Bethulienses, et tu foemina,
 Sexus decus muliebris, nos Hierusalem
 Nos ciuitas huc misit, postquam nuncium
 Accepimus rei gestae feliciter:
 Congratulemur uobis de successibus,
 Et gaudium uobis testemur publicum,
 Sicut prius sumus testati maximos:
 Et publicos dolores hic solamine.
 Nunc offerunt per nos suam promptissimam
 Vobis amicam cunctis benevolentiam.
 Aequi boniq; id officij uiri optimi
 Suscipe. Summum, optimum atq; maximum
 Laudamus una uobiscum, qui depulit
 Forti manu sua tanta haec pericula.
 Adhaec uiri Bethulienses optimi,
 Quoniam decet gratos bonum hoc agnoscere,
 Testarierq; quod acceptum est, ecce uos
 Inuito, et hortor uos uiri quammaxime,
 Solymorum in urbem cum uestris pijs sacris

Gratos

Gratos Deo pro tanto uos ostendite
 Beneficio. Nam gratitudo plus ualeat
 Apud Deum rebus secundis, quam pium
 Supplexq; uotum, cum premit necessitas.
 o z i. Pergrata nobis officijs hæc oblatio est.
 Hortatus iste uester me afficit modis
 Miris: geremus huic morem promptissimi.
 Sacrum Deo gratum feremus maximo,
 Votum redemptionis soluemus pium.
 Ad hæc fuit nobis hæc uisitatio,
 Et uester ad nos aduentus gratissimus.
 Victoria hæc nos omnes fecit diuites.
 Pinguemq; prædam partiemur singulis,
 Ut equitas iubebit: ast heroidem
 Spolijs opimis nos meritò donabimus,
 Ut que ducem forti manu interfecerit.
 108. Meritò quidem donatis hisce heroidem.
 o z i. Donamus hac corona te nunc ciuica,
 Ut que tuos ciues nos liberaueris.
 Debentur et tibi epilytra, niceteria.
 Virtutis hæc monumenta sunt, hæc consule
 Aequi boni q; istis donat te ciuitas
 Bene grata, sed Deus rependat cætera.
 iv. Quim foeminam exornabunt isti acimices,
 Et atpides et thorax et manubia,
 At si minus nobis hæc usui sient.
 Erunt tamen monumenta isthæc gratissima,
 Parum licet sim digna munerarier

Huiusmodi tantis uestris insignibus.

O Z I. Nihil satis potest tibi rependier

Pro dignitate, pro meritis amplissimis

Tuis. I O A. Tuis meritis condigna sunt quidem

Maiora. quare et qui boniq; haec consule.

I V. Haec dona uestra ego nequaquam respuo:

Imò mihi sunt, ut dixi, gratissima.

Sed haec Deo redemptori suspendere

Solymorum in urbe, in templo sacratissimo,

Volo, in p. e monumentum gratitudinis:

Vt omnibus peregrinis qui illuc uenerint,

Sit cognitum, quod summa sit potentia

Penes Deum rectorem mundi maximum.

O Z I. Haec arma uos pueri portate praeij,

Portate in ædes uictricis fortissimæ.

Veni sacerdos, deducemus splendide

Judith hanc domum, sequetur ordine

Senatus et populus magno cum gaudio.

C A L L I O P I V S.

Valete spectatores, haec peracta sunt.

F I N I S.

E P I L O G V S.

Spectasti hunc uiri ludum clariſſimi.

Audite nunc breuibus quæ sit utilitas

Huius, docebo quæ ludi medulla fit.

Neq; enim mali ominis, ut multi garriunt,

Huius-

Huiusmodi ludi sunt, sed plenissimi
 Fructu bono, et documentis pertinentibus
 Vitæ ad statum communis, nostro tempore
 Potissimum, quo sævit hostis impius,
 Situtq; nil, quam Christianum sanguinem,
 Qui deuorauit orbis partes plurimas.
 In hisce dico nunc afflictionibus
 Crebris, habemus quod discamus optimi
 Viri, quibus modis sit isti barbaro
 Nunc obuiam ueniendum, quando is impetum
 In nos facit crebris incursionibus,
 Quibus ue machinis propelli debeat.
 Paradigma in hoc præclarum habemus dramate.
 Cum Turca trux incursions factitat
 In regna nostra, tum pio precamine
 Et poenitentia expiemus crimina
 Vitæ prioris. Hæ sunt ueræ machine.
 Licet quidem nobis pro chara patriæ
 Pugnare, proq; Christiano nomine:
 Erratur ast in hoc persæpe turpiter,
 Prætextus est multis honestius patriæ,
 Ipsa tamen re possidendi latius
 Cupiditas, uel pinguis stipendum.
 Hæc uniuersim nunc audite singula.
 Pro concione presbyter curabit, uel
 Ne concitet turbas, si sit tranquillior
 Respublica, at ne faxit corda languida,
 Et imbecilla. porrò si uictoria

Contingat, ut sit gratiarum actio
Erga Deum priuatim, nec non publicè.
Munus tuum sacerdos est, precatio
Iugis tua pro sacro sancta ecclesia.

Hic præses urbis rector reipublicæ
Typum tuum gerit Ozias consul hic.
Deum suum colit uir hic dexterime.
Saluum cupit statum suæ urbis publicum,
Cordatus est & fortis uir periculis.
Turbas suorum ciuium modestius
Prudens tulit, parens prudenti foeminæ:
Et uictor æquus. Quid? Consul dexterimus,

Senator hic habet quod discat optime.
Ne factionibus faueant, grauissimo
Malo: sed ut studeant piæ concordiae.
Concordia est in urbe longe maximum
Bonum. Timor fauorq; longè pessimi
In rebus arduis suasores. Maximi
Negotium Dei maligne prohibent.

Popularis hinc documenta ciuis hauriet,
Ne cum pericli in ciuitate terror est,
Animum suum despondeat uæcordia:
Aut nutet huc illucq; quando uentulus
Parum secundus rebus nostris flauerit.
Hinc disce, quod sit urbi nil præclarior,
Salubrius ue quæam dulcis concordia:
Discordiaq; nil perniciosius
In omnibus, sed maxime in republica.

In re domestica pater domestice,
 Sinon modum nec regulam domus habes,
 Hinc disce uel à fœmina, quod sit tuum
 Munus regendæ prudenter tuæ domus.
 Herois hec docebit, ut domesticos
 Doceas, regas uerbis, exemplo, & moribus.
 Prudemiam sanam cum fortitudine,
 In fœmina hac cordata nunc spectauimus.

Sed fœminæ maius paradigmata in hac habent.
 Cum fœminarum sic decus hæc maximum,
 Judith est cordata, fortis & pia,
 Pudica, constans & præsentis consili,
 Mirabilis suæ est amatrix patriæ.
 Non hic uides, quod est ferè in nostris
 Mulieribus, quibus tantum loquacitas
 Studio est, inepta & arrogans superbia.
 Viros suos reddunt pleræq; uxorios.
 Sed hæc uiris plerisq; habet plus pectoris,
 En territos confirmat forti robore.
 Et consulem & patres regit prudentia
 Sua, & senatum errantem pulchre corrigit.

Famuli sua hinc famulæq; discunt munera:
 His Abra, pulchre illos monebit Promptulus,
 Ut rebus in pijs, honestis & bonis
 Dominis suis pareant fide promptissima.
 Sed miles hinc suas doctrinas hauriet,
 Ne sit nimis in castris uino deditus,
 Libidini uero impura forte indulgeat.

Nil fœminis cum caſtris ſit negotij.
Hæc ipſa ſunt quæ uifa ſunt dignissima
 Monitu. ſuas ad ædes pergaſt quiſq; nunc.
Nil amplius quo d hinc ſpectetis optimi
 Ciues, uiri, nec non honestæ fœminæ.
Aequi boni q; ferte, abite, & plaudite.

C H O R V S.

Ex ipſius textus Cap. X VI. Sub persona uel Bethuliz, uel
 totius Iudææ, canticum Judith.

Hymnis te Domine & tympanicis ſonis,
 Læti te lyrico concelebrent melo,
 Collaudent celebri te modulamine:
 Nomen dulciſſuis carminibus canant.
Nomen celiſſuigſ tollite laudibus
 Ampliſ: & quoties ipſa neceſſitas
 Vrget, ſupplicibus numina maxima
 Implorate Dei uocibus ô pijs.
Nam celsus Dominus conterit horrida
 Forti bella manu, & diſſipat arbiter.
 Clemens eripuit de medio Deus
 Cædis, quam populus ſtruixerat impie.
Atrox Affyrius trans Aquilonios
 Montes terrifico fecit iter gradu,
 Inſtructis properans ualde phalangibus,
 Duris militibus terruit acriter.
En tantus numerus fluminibus ſuum
 Curſum ut præpediant uel rapientibus.
Armatus ſonipes per iuga montium

Terrorem

Terrorem strepitu concitat horrido,
 Hostis ualde minax territat omnium
 Mentes horrificis & miseris minis,
 Se uastando meos igne & acinace
 Lætos uelle truci perdere terminos.

Iurauit stolidè dux temerarius,
 Iactando iuuenes perdere strenuos,
 Iactantes pueros ecce meos neci
 Crudeli dare eos, ponere & in solo.

Hostis uirginibus uim uiolenius
 Proh castis faciet, si Deus hoc uolet,
 Et pulchas rapiet pro spolijs sibi.
 Hæc iactans temere, funditus interit,
 At iustus Dominus fœmina manu
 Concuſſit rabiem barbarici ducis,
 Non magnis iuuenum uiribus horridam,
 Hunc per me Dominus sustulit impium.

Non Titan ferus hunc præcipitem dedit,
 Non hunc terrigenæ magnanimi uiri
 Consecere, sed hunc fœmina fortiter
 Occidit Merari filia candidi.

Hunc Iudith specie præcipitem dedit,
 Encruans animi martia robora.
 Sic charam patriam liberat hostibus.
 Obsessum propere soluitur oppidum,
 Atramat posuit diſsimulans stolam,
 Nec quicquam uidue consimile adfuit.
 Vnguentis faciem dulcibus illita,

Cum mitræ tereti complicuit comas.
 Pascens dux oculos fallitur impius,
 Dum spectat pedibus uimcula fœminæ
 Hebrææ niueis: corripuit furor
 Væfanus miserum, ex exitio dedit.
 Deceptrix animum forma uiro suum
 Captiuum tenuit, perdidit. Et caput
 Horrendum secuit fœminæ acinaces
 Crudelis, facinus quam memorabile.
 Horror corripuit barbaricum genus
 Persarum. trepidant toxophori citò
 Medi, cum facinus tam temerarium
 Aduertunt: pauor hos occupat horridus.
 Nostrates humiles nunc ululatibus
 Complent æthereum terrificis polum.
 Infirmiq; siti tum trepidant, fugam
 Capessunt pauidi, territi ab hostibus.
 Versis ast uicibus, qui geniti meis
 Natabus ualidi, foriiter hostibus
 Impungunt stimulo uulnera saucijs,
 Qui uictore Deo diffugunt procul.
 Cantabo Dominum carmine te nouo
 Victorem celebrans insuperabilem,
 Qui uirtute tua tu tibi gloriam
 Aeternam facis ô laudibus inclyte.
 Agnoscant Dominum mente pia Deum,
 Et seruire uelint, quæq; creata sunt
 Eacteri Domino, numine qui suo

Et uer.

Et uerbo facili condidit omnia.
 Non firmum fuerit, quod tua numina
 Vel uitare queat, uel tibi uiribus
 Audax obstrepitu uelle resistere
 Tentet, iussibus haud morigerum tuis.
 Montes celsi jugos, & fluidas aquas
 Concussu facili disiicit Deus.
 Ex fundaminibus, de facie Dei,
 Petra ut cera fluet à radijs liquens.
 Sed sancte timidis tu placidus soles
 Et clemens fieri, non sacra te mouent.
 Non libamina te, non holocausta
 Delectant liquidis dexter odoribus.
 Magnus semper erit, qui Dominum timet.
 Vae sed gentibus his, qui generi meo
 Insultant. Dominus cunctipotens Deus,
 Vindex æquus erit, iustus & arbiter.
 Istos ignis edax coelitus ingruens
 Absumet, putridum uermiculi exedent
 Corpus tabifici. Mens male conscientia
 Aeternas crucians ad lachrymas aget.

F I N I S.

S V S A N N A.

S V S A N N A,
D R A M A C O M I C O T R A
 gicum, autore ab eodem reco-
 gnitum & auctum.
 P V E R I I N L A V D E M
 patriæ.

A vgustæ celebri, Laudibus inclytæ,
 Germani imperij quæ decus omnium
 Est splendore sui noble maxime,
 Charæ nunc patriæ pandimus hæc sacra.

Laudabunt alij uel Rhodon inclytam,
 Thebas centifores, uel Babylonicos
 Muros, Palladis aut mœnia uirginis,
 Romam aut pontificis fulminis turgidam;
 Ast Augustæ magis florida singulis,
 Auctrix imperij Christicoli pia,
 Summi iussa facit principis hæc sui.
 Princeps est Dominus, maximus, optimus.

Quæ Missæ procul hinc expulit impie
 Fœtores, alacris numine feruida
 Zelotes studij sanctilo qui, cupid
 Ut rex cunctipotens imperet omnibus.

Musæ Pierides plausibus omnia
 Vestris nunc resonent, spargite ramulos
 Castæ laurigeros Daphnidis arbore:
 Rorem Castalium spargite largius.

Pubis

Pubis nunc teneræ, quæ studijs sacra est
 Vestris, uota sient auribus, & preces,
 Haud ingrata pijs. Numina musica
 Inspirate, canent carmine ludicro.

PERSONARVM NOMINA.

Chelkias pater	Richel mater
Ioakim maritus	Susanna matrona
Benlamin filius	Susanna filia
Daniel prophetes	Promptula
Herophilus	Spudea
Spudœcius	ancillæ.
Achab	Præco
Sedechias	Cleter
Dadan Quæsitor	Abed
Agira	Populus
Galaad	Nabuchadonosor rex
Histiob.	Signæus
Miloco	Strategus
Ierobaal	Achschedar
Hedioth	Indices
Arradaz	Persa
Dibon	Toparcha
Ziba	Adargizareus
Besasa	Ephorus
Dabranzi	Gedabeceus
Iauan	dispensator
Nomenclator	Aſpenax magister
	Symbulus à cōſilijs. (chorū

PROLO-



Erentius poeta festiuissimus,
 Qui conqueritur in omnibus Co
 mœdijs
 De zoilis suis (nec mirum est id
 quidem,
 Qui etiamnum habet suos infensos æmulos)
 Facit, ut sui studio graui respondeam
 Calumniæ. Sic nos sumus (si dijs placet)
 Iam sanctuli, quibus isthæc sancta cautio est,
 Quo non puer tenellus Christo deditus
 Ex limpido lattice castarum uirginum
 Ingurgitet quid philtri. Ringitur,
 Se prodit ictus. Heus, dicam modestius,
 Dicamq; quod tibi placebit optime.
 Extorsit hoc nobis tua importunitas,
 Ut rem sacram pro fabulis Terentij
 Agamus. Haud impuritas tibi placet
 Lenonis, haud iuuenis tam luxu perditus;
 Ut Aeschinus: neq; hoc quidem, puellula
 Laborans è doloribus. Sed nec tibi
 Placebit hic, quodcunq; quisq; dixerit,
 Quia non decet malis personas fingere
 Bonas. Malus manebit usq; malus. Scenes
 Corruptiores sunt, quam uel Terentius
 Vel Plautus introduxerit. Libidine
 Adeò nefanda uiterq; difflit miser.

Acolastus

Acolastus arridebit blandius: Puto.
 Sed is nec Aeschino cedit luxuria,
 Nec Pamphilo. Magis Christum probaueris,
 Qui uictor ex ligno regnabit perpetim?
 Pium quidem hoc drama est. Sed interim tuo
 Puer officit nefandus Iudas proditor,
 Ne discat hinc is præceptores prodere.
 Taceo, quod inficietur turbæ moribus,
 Quæ filium summi Dei ligno crucis
 Poena nefanda sustulit. bona tibi
 Hoc assero fide, quod nil crudelius
 Sophocles dedit. Neq; ullum tota antiquitas
 Immanius memorat scelus, ne Scythicum
 Quidem. Iuuat Ioseph magis audire? Sed
 Terentius nullum scortum impudentius
 Petulantius ue inducit, quam sit Sephirach
 Age mos tibi geratur. En habes sacram
 Comœdiam. Sed heus paria nobis face,
 Ne dentibus caninis amplius bonum
 Terentium pergis nobis proscindere.
 Sed heus puer, tu drama paucis dicio.

A R G V M E N T V M.

Isti senes, atq; Israelis arbitri
 Ardent publicam loakimi coniugem,
 Natam Chelkia, quæ Sosanna nomine.
 Tentant minis, nil ipsa cedit machinis.
 In ius uocant, conuictam testimonij
 Falsis adulterij, prophetes Daniel

Absoluta.

Absoluit instinctu diuini numinis,
Senesq; talionis lege iudicat.
Populus rapit reos, & faxis obruit.
Tu planius populo dicas Germanice.

A C T U S P R I M I,

S C E N A I.

Alter senex solus in horto inambulans, de libidinibus totum secum conqueritur.

Sedechias presbyter.

HEu, cæcus ignis ardet imo pectori:
Miserum me amor uesanus urit. Aestuat
Medulli flagrans, uulnus est in uiscere.
En, totus ardeo miser Cupidinis
Telo. nisi h.ec mulier medebitur mihi,
Spes nulla tantum posse leniri malum,
Finisq; flammis nullus insanis erit.
Miror magis quomodo hoc seni fiat mihi.
Non ausus sum coelum intueri, & sidera.
Erumpit oculis ignis, & lapsæ genæ
Lucem recusant, nil idem dubio placet,
Artusq; uarie iactat incertus dolor.
Sed uideon' collegam? At ipsus est, eo.

S C E N A II.

Duo senes sibi mutuo suum in candē confitentur amorem,
consultant, quomodo libidinem expleant.

Achab Sedechias.

Pape? Quis est, solum procul quem conspicor
Deambularem in horto? Is est, qui sepius
Huc commeat. Sed en mihi fit obuiam,

Adibo,

Adibo s e d. Saluus sis. A C H. Idem & tibi precor.
 Collega, frater, atq; amice candide,
 Fretus tuo iampridem amore, qui diu
 Adoleuit inter nos, tibi nunc conloquar.
 Per dextram amice obtestor, & fidem tuam,
 Habeas ne clam me, quod tuum diu tenet
 Animum anxium: solumq; te hic quod conspicor
 Iam sepius modo huc, modo illuc lumina
 Suspirijs uoluentem. Posse dicere:
 Achab, tantum ne est ab re tua ocij tibi,
 Alienā ut cures, eaq; nihil que ad te attinent?
 Homo sum, humani à me nihil alienum puto.
 Si quo modo tuum dolorem tollere
 Queam, paratum senties. s e d. Benignus es.
 Sed heus amice, animum meum tenet quoq;
 Non parua sanè (crede) commiratio,
 Quid monstri alat deambulatio frequens:
 Quom non forum rixis strepit, tum maxime
 Spaciaris. hoc obseruo plurimum. A C. Obscro.
 s e d. Sanè. A C H. Tuum morbum fidenti detege
 Animo, uicissim dixero morbum meum.
 s e. Curæ leues loquuntur, ingentes stupent.
 A C H. Committe curas auribus frater meis.
 s e. Hoc impetrabis, si fidem silentij
 Spoponderis, pariq; dixeris uice,
 Que cura, quis' ue morbus occupet tuum
 Cor. A C H. Hoc bona faciam fide, atq; spondeo.
 Hec malus esto testis, atq; conscia.

yy

s e. Videre

s e. Videre eodem quo labore maxime,
 Malo teneri. a c h. Vah. s e. Cupidinis face
 Accensus, & furtiuum amorem in pectore
 Meditor, ferorq; adeoq; fluctuo omnium
 Miserrimus. a c h. Ain' s e d. Modusq; nullus est,
 Quo possim amorem tam nefandum fallere.
 Sed ut soluto labitur moriens gradu,
 Sic uix labente sustineo collo caput,
 Nec me quieti reddo: sed somni immemor,
 Noctem querelis transigo, & suspirijs.
 a c h. Quid narras? Oestro eodem percitus miser
 Nunquam quiesco, sed furore perpetim
 Noctes diesq; carpor. Is per ossa abit,
 Augetq; morbum. s e. Quid nam ais? Deus bone
 Quæ nam tuam mentem omnium charissime
 Delectat? aut animo tuo tam complacet?
 a c h. Pudet pigetq; crimen istud prodere.
 s e. Quamuis tegatur, proditur uultu furor.
 Non est, quod in me rimulam putas: rogo,
 Effare: fido pectore arcana occulam.
 a c h. Alium silere quod uoles, primus file.
 s e. Nemo istud alius, me quidem excepto, audiet.
 Tu te exhibes tam difficulter pari uice
 Dic quæso. nam silentium promiserim.
 a c h. Moratur, ut scis, hisce in ædibus uir hic,
 Qui est omnibus nostratibus charissimus.
 s e d. Dicis ne Ioakim, quò confluit forum?
 Quiq; ordinis nostri modo potissimus

Opibull,

Opibus, genus, nomen, famamq; maximam
 Habens? A C H. Sed est fœlicior nunc omnibus,
 Qui coniugem domi sūe pulcherrimam
 Habet. Nec est prior Venus, nec Cynthia
 Formosior formosa. S E. Credo, tibiq; mi
 Achab ego consentio: nunquam meis
 Oculis imago talis obseruata. Ego
 In ea ardeo: meumq; cor mihi salit,
 Quoties recordor, & recolligo meo
 Animo, nouus candescit ignis aestuans.
 A C H. Quid ergo agēdū existimas? S E. Quid? omniū
 Primum ut libidini satisfiat, neq;
 Quicquam nobis sit omnium rerum prius.
 A C H. Sed quomodo? S E. Inueniā uiam nobis bonā.
 A C H. Quām quæso? S E. Tēpus est, et apta occasio
 Oblata, qua fieri id potest facillime.
 A C H. Age cedo. S E. Vidi sèpius cum Phœbus est
 Vtraq; terra idem, sereno inambulat
 Cœlo, atq; carpit umbram opaco in gramine:
 Positaq; ueste, artus tenellos perluit
 Vnde ionora, quam latex pellucidus
 Effundit. id cum uideram, cœpit meum
 Ardere pectus, flagrat usq; perditæ.
 A C H. Aduerti id ipsum, eademq; causa est & mihi
 Deambulandi. oculos solebam pascere,
 Cum omnes abirent, ac domum reuerterent.
 Foro soluto, me hic receperam, angulo
 Aliquo latens tuebar: ac quò sèpius

yy 2 Vidi,

Vidi, hoc placet magis, magis furor rapit.
 Nunquam tamen fuit adire audacia:
 Occasionem etiamnum ego auctor miser.
 s e. En iam datur percommode. A C H. Nobis data
 Occasio? s e. Atq; animum tuum firmaueris.
 Abdamus, hicq; clanculum post arborem
 Lateamus ex insidijs. hinc cum iusserrit
 Pro more abire puellulas, erumpere
 Conemur, atq; hanc obruamus territam,
 Nil tale suspicantem: & anxiam nimis
 Adoriamur, omnibus modis eam
 Tentabimus, preces minis miscerimus.
 A C H. Suades bene. Venus secundet omnia.
 s e. Incedit, en slipata nympharum agmine.

SCENA III.

Susanna cum ancillis lauatum hortum ingreditur. ablegatis
 ancillis, senes matronam adobruunt.

Susanna matrona. Prōptula et Spu-
 dæ ancillæ. Achab et Sede-
 chias, senes.

Mirabilis Dei bonitas, puellulæ,
 In mnibus rebus lucet. P R. Vel saxeum
 Pectus sibi uerum Deum persuaserit,
 Sanctum Deum populi Israel, qui condidit
 Polum, mare, atq; terræ molem maximam.
 Non Bel queant, non ullum idolum gentium.
 s v. Bene admodum Psaltes David rex Israel
 Psalmis sacris cecinit Dei præstantiam.

P R O. Quæso

PRO. Quæso hera, nobis hanc oden ediffere.

SV. Cœli Dei recensent amplam gloriam,

Stabileq; firmamentum hoc comprobauerit,

Certissimè manuum suarum hoc esse opus.

PRO. Vel cæcus hoc uideret, admirabitur

Hoc contuens opus Dei mirabile:

Id sol uagus, docent id clara sidera,

Satis superq; id officijs suis probant.

Phœbe facit nunc cœlo curua cornua,

Nunc orbe pleno lucet totis noctibus.

Fugiunt niues zephyro fugante frigora,

Ver æstas proterit, campisq; gramina

Virent, opesq; large autumnus pomifer

Effundit. inde bruma iners reuertitur.

Rerum uices iterantibus meatibus

Laudem Dei celebrant usq; sedulo.

SPV. Hortus uiret herbis, florumq; lumina

Stellant. PRO. Comis micant uirentes arbores,

Tellus ferax munusculis luxuriat.

SVS. Ne erretis: haud Deus est ex rebus conditis

Amandus: at qui res creatæ maximè

Propter Deum in precio mortalibus sient.

PRO. Recte mones hera, & piè sic censeo,

Ne plaustra equos trahant. quod tum fieri solet,

Si causa amoris sit ex rerum commodo.

Sicut Dei bonitas se effundit largiter

In res creatas, plenaq; Deo omnia:

Pari modo propter Deum sunt maxime

Amanda cuncta, qui malum nil condidit.
 s v. En iam dies medius trahit rerum breues
 Vmbras. Vtrinq; sol pari spacio meat,
 Altissimurq; in orbe nunc radijs calet.
 Discubuit en nebulae, et aestus aestuat.
 Placidusq; stridor, quem liquor praebet facit
 Ut me iuuet corpusculum hoc aspergine
 Perfundere, atq; ablucere sudorem meum.
 Abite, festinate, et oxyus mihi
 Oleum fragrans, et smegma ferte. et insuper
 Studiose quæso pessum ostio obdite,
 Ne me obruat, posito meo uelamine
 Testis calumniator, aut hic qui struat
 Meo pudori uel dolum, aut technas malas.
 P R O. Faciemus, ut iubes mea hera, ut concedet
 Scruas fideleis. s p v. Hoc potissimum nūhi est,
 Dominæ meæ semper studere, et obsequi.
 Eamus. P R O. Heus mea tu, moras tumet facis.
 s p v. Tu pessulu obde, ut iussæ sumus. p. Maxime.
 A C H. Non amplius neum queo morbum pati.
 s e. Nondum puellæ abierte prorsus, heus mane.
 A C H. En crura nudat uinculis. s e. Eburnea
 Sunt. a. Quæ latent, meliora sunt. s. Putas? a. Puto.
 s e. Quid nunc moramur? appropremus oxyus.
 Quid, odium cessas gradu testudinis? (ues.
 Quim te moues? a c. Moueo. s e. Tamē nil promo.
 A C H. Studio gradum celero senili maxime.

SCENA IIII.

Senes matronam de adulterio nequicquam
follicitant.

Susanna. Achab. Sedechias.

P Erij, procul dubio meus pudor male
Pericitatur. Heu mihi miseræ, Deus.
S E. Hem fortiter, tenta, perage decretum tuum,
Intrepida constent uerba, qui timide rogat,
Docet negare. Magna pars sceleris tui
Olim peracta est, serus est nobis pudor.
Incepimus, ne cesses. A C H. Sic, cepta exequar.
Non est quod expauescas ô decus meum.
S E. O corculum meum, tuum suspirium,
Lachrymas tuas omitte: nullus hostis hic,
Nullum periculum timendum erit tibi,
Non arbiter parades: hic dolis uacat.
Secreta cum sit culpa, quis testis siet?
A C H. Causa est amor, quod adsumus. Morem gere
Amor sacer, si tu modo Christi cupis
Fieri parens. Sunt certa, crede, oracula.
S E. Morem geras nobis precamur omnium
Pulcherrima, et sanctissimæ libidini
Medere. Opus facies pium. s v. Tantum' ne ego
Facinus? Deus meliora det. Meus pudor,
Meaq; fides manebit usq; dum Deus
Volet, meoq; coniugi castissimo
Seruabo, proin ualete, abite perfidi.
Procul impudicos corpore à casto amore

Tactus. Quid hoc est: Etiam in amplexus ruis?

A C H. Donū feres non pœnitendū. S E. Quid cupis?
S V. Facesse cum donis tuis, nil efficis.

A C H. Placido ne amori etiā pugnas, pulcherrima!
S E. Vim senties, ni sponte morem gesseris.

S V. Eadem dies lucem & pudorem extinxerit.
A C H. Finem dolori faciet, aut uitæ dies.

Miserere amantis. S V. Magne regnator Deus,
Tam lentus audis scelera? tam lentus uides?

A C H. Dicam te adulterio deprensam. S E. Consule
Vitæ, & saluti, dum licet percommode.

A C H. Nobis fides habetur undiq; maxima.

S V. Afflicta sum. Miseram malum undiquaq; me
Concludit, & nusquam salus comparet. heu
Quò nunc, Deus, me uertam: Nanq; solus es
Qui ferre opem miseris potes. Feras mihi.

Saxum hinc, sacrumq; me premens hinc imminet.

Nam si coacta nefas, scelusq; admisero,
Fefellerōq; coniugi meo fidem,

Iram Dei magni in me prouocauero,

Simulq; notam non delebilem meis

Natalibus malum hoc patrans inussero,

Cum me rapit populus, sibi ut paradigma sim.

Quod si parauero uobis resistere,

Idem periculum tenet miseram. Quia

Quum præsides iniqui, & omni criminum
Genere implicati, subditos suppresserint,

Non æquitas ibi ualeat, non castitas

Eft

Est tuta: sed leges silent, ius languidum est.

Satius uero est, libidini uestræ malæ

Resistere, et subire nunc periculum

Vitæ: necemq; fortiter feram, modo

Sciat Deus, qui corda cuncta et uiscera

Rimatur, esse me extra noxiam. s.e. Licet

Multis queratur esse uim, uis attamen

Grata est puellis: et uenus violentior,

Iucundior. s.v. Tete inuoco uindex Pater.

A C H. *Tentaueris non auspicato, ni Venus*

Secunda sit. Nam aut perfice, aut non incipe.

Indexq; tollitur, statim atq; criminis

Est facta particeps. Auis non commode

Alis fugit uisco illitis. s.v. Testis Deus

Et arbiter, uindex, et ultor eripe.

Miseram tuere, et innocentiam meam

Defende. Nil famæ periculum moror,

Modò sim mihi bene atq; recte conscientia,

Modò tu scias secreta pectoris mei.

Dextram Deus nunc porrigas. s.e. Nil effici

Clamore. Curre ad hostium, atq; concita

Tumultum. Ego obseruabo eam, et custodiam,

Vt hoc scelus uideat hic omnis Israel.

A C H. *Heus uos uoco populares, heus accurrite,*

Celerate: nunc depresa uah adultera,

Quam nemo suspicatus est unquam minus.

Quæ castitatis omnibus paradigma erat,

Exemplum erit nunc omnibus libidinis.

Isthic adulter cum sua est adultera
 Deprensus. Obseruauimus furti locum.
 Furtum tori deprendimus. Concurrite,
 Videbitis complexibus iam turpibus
 Eos frui, legesq; inire Cypridis.
 Heus uos uolo testes. s e. Scelestus aufugit
 Me ætate leuior per posticum celer.

SCENA V.

Senes cum non successisset, concursum faciunt. Herū ancil
 Iæ consolantur.

Herophilus seruus. Sedechias se-
 nex. Spudœcius seruus. Achab se-
 nex. Promptula. Susanna.

Spudæa.

Quis clamor hic foribus feratis pessulo?
 Quid nam excitas turbas iam uoce tertia?
 s e. Iuuenis fugam dedit. H E R. Reclusan' ianua?
 s e. Erupit. H E. Heus quid clamitas, senex? s e. Tuā
 Deprendimus dominam, secus quam condeceret
 Castam uiri boni, atq; magni nominis
 Hic coniugē. H E R. Quid nā? s e. Rogasne? Perfidia
 Indulxit hic complexibus. H E R. Nugas agis
 Calumniator. s e. O, Deus faxit. H E. Deus
 Vindex erit calumniæ. Meam scio
 Heram suum semper parasse commodum
 Ex commodis uiri sui. Potissimus
 Dicit sibi nomen bonum: tum coniugi
 Soli placere sedulo, atq; moribus
 Se accommodare ipsius. Hæc confingitis.

A C H. Ni

A C H. Ni conscientiae. s p v. Quid conscientiae?

Vobis dolimali estis consciij. Scelus.

Quod si esset hoc uerum facinus quam maxime,

Quod artibus malis innoxiae strucens

In odium uocas: tamen summi Dei

Lex te iubet, celare crimen proximi.

Ecquis fidem uobis malis autoribus

Habebit? Hoc scio, atq; certus sum mihi,

Instructa sic lege est ab incunabulis,

Timens Deum, pudica, castis moribus,

Vt uestra nil queat peruersitas mala.

P R O. Lachrymas mea hera mitte, fortiter tuum,

Vt assoles, casum feras. s v. O Promptula

Mea tu periclitatur innocentia.

P R O. Malis' ne tu periclitari noxia?

Probitas stabit tum, quando iniquitas perit.

Nescis' ne ahæneo muro esse fortius,

Nulla bonos culpa mali pallescere?

s p v. Veni mea hera, animumq; in ædibus tuis

Recolligas, morata nil calumnias.

Deus hoc inultum non finet, iudex erit.

A C H. Eamus hinc. Videbit an deliquerit.

CHORVS PRIMVS.

Psal. XXX. sub persona Susannæ.

S Pem tua firmam posui paterna

In manu, mundi dominator. Hinc fit,

Quod pudoris non faciem rubore

Conscia muto.

Aequitas

Aequitas me nunc tua liberato
His malis pressam, miseræq; pronas
Præbeas aures, celera iuuamen,
Eripe dextra.

Tuq; protector meus, atq; tutum
Sis fugæ asylum trepide timore,
Tu feras promptam miseræ salutem,
Configium tu.

Tu meum robur, reducem beatam
Fac tuum propter precor alme nomen:
Gratia larga foueas misellam,
Rector olympi.

Libera me nunc dominator alte
Omnibus technis, laqueis, dolisq;
Quos malignantes posuere mihi.

Protege dextra.

In tuas palmas animam dolore
Territam mando Domine & redemptor,
Tu Deus ueri, reiçisq; longe
Pectore uana.

A C T V S S E C V N D I,

S C E N A I.

Senes consultant de intendenda Susannæ lite.

Achab, Sedechias, presbyteri.
LVcescit, & Phœbus suboritur: dies
 Gelidam fugat noctem: meum collegam Achab
 Adibo, consilium meum nunc conſtram
 Cum eo. Viam, modumq; imibimus bonum,

Ut ipsa sentiat, quid egerit mali,
 Quod noluit nobis parere, & obsequi.
 Sed cesso nunc illius ostium uiri
 Pultare? En ipse egreditur foras, meus
 Socius. adibo ut recte congruant,
 Sibiq; pulchre ubiq; res consentiat:
 Erit id necesse in ipso causæ cardine.
 Amice salue. A C H. Saluus esto. Dic mihi
 Quam formulam suades, putas' ue intendere?
 Aut quam dicam scribemus obsecro: s e. Omnia
 Primum tuis in ædibus negotium
 Spectabimus. A C H. Locus est nobis percommodus.
 s e. Somnū hercle ego hac nocte oculis nō uidi meis,
 Rationē ut inuenirē. A C. Age eccos. s e. Quos. A C.

Patrem

Virumq; fœminæ. Megera hæc, aut Erynnis est.
 A C H. Eamus hinc, ne quisquam id ex dolo malo
 Dicat geri. s e. Recte mones. Ito impigre.

S C E N A II.

Pater & maritus Susannæ conserunt sermones, &
maritus mala ominatur.

Joakim. Chelkias.

Bonum diem tibi socer charissime
 Precor, patris loco colende. C H E. Amplissime
 Index, & equus Israelis arbiter,
 Quid tu uales charatua cum coniuge?
 10. Valemus. At qui nescio quid tristis es
 Præter suum morem. Ingemiscit iugiter:
 Nec ausus illam, quid nam id esset, alloqui.

Eiusq;

Eiusq; caussa tota domus moeret pie.
 Ad hæc profecto mi sacer pie nescio,
 Quid mens mali præsagiat. C H. Meliora det
 Deus, tuumq; quicquid est præsagijs,
 Auertat, & uobis secundet omnia.
 I O. Hoc faxit ipse rector, fata qui regit.
 Sed ecce coetus iudicum nunc conuolat.
 C H. Achab & alter conferunt enseria
 Colloquia. I O. Certe id ipsum & indicant manus
 Capitusq; nutus, admodumq; argutuli
 Gestus. C H. Ferunt nimirum & arduas, puto,
 Grauesq; causas. I O. O beatum, qui suam
 Vitam seorsim ab omnibus forensibus
 Negocijs agit, sibiq; uictitat,
 Deoq; C H. Sic nam id ipse censeo. I O. Pater
 Pauli per hinc dum tota adest confessio,
 Deambulando secedamus longius.

S C E N A III.

Confluit iudicum confessus. duo de iudicis officio disputant.
 Hedioth, Histioth, presbyteri.
 Quid'na Histioth animus uersat? Quid pôderas?
 H I. Quid' quæris? an pectus tuum curis uacat?
 Qui iudicis munus geris tute ipse, quem
 Non addecet solidam quiete absumere
 Noctem; sed alta nocte somnum frangere,
 Fraudare tete, ut publicum queas bene
 Prospicere commodum. Tibi non natus es.
 H E. Cui'nam H I. Rogasne singulis mortalibus.

H E. Ain? Ego ignorau, crede, id hactenus.
 H I. An ambigis? H E. Non ambi go quidem sed hoc
 Haud ullus edocuit mortalium, neq;
 Memini quod unquam legerim. H I. Deus docet.
 H E. Vbi' nā? H. Rogas? H E. Rogo. H I. Legisse cōuenit
 Legem, H E. Rogo te atq; obsecro, hoc edissere.
 Legis peritus omnibus celebrior,
 Peritior, prudentior, cordatior,
 Facile es. Tuas enim id quidem sententias
 Dijudicans aduerti. Age explica mīhi
 Officia iudicis. H I. Dicam quid sentiam
 De me: scio, supellex curta est admodum
 Mīhi domi, & pede me meo dimetior,
 Infantior sum longe alijs: sed maxime
 Libenter his concesserim locum, & meas
 Aures eorum uocibus hic arrigam,
 Si quis queat dignis modis de iudicis
 Munere secundum scripta patrum dogmata
 Differere, tum secundum legem maxime,
 Quā censeo esse oraculum. Quid iudico
 Nesas morari, & uiuere in republica,
 Et non tenere, quid'nam iura dictitent.
 Sed ecce iudicum conuentus aduolat.

S C E N A . I I I I .

Alii duo eadem de re sermones conferunt.

Agira, Maloco, Dadan, presby.
 AN coparatū est sic diuinitus? M. Dada (teri.
 Audin, d. Quid quidam? M. Loquentē Agiram tibi.
 AG I. Hominis

Hominis scio officium, & boni semper uiri
 Munus suis operam dare, atq; tum obsequi
 Clientibus, bonisq; amicis omnibus,
 Cum de suis rebus periclitantur, aut
 Cum fama controueritur. M A L. Sic res habet,
 Nemo id negabit, ut puto. A G I. Sed nescio
 Id quomodo fiat, negotijs fori
 Abhorreo. Nam dum uolo huic adesse, uah
 En alterum in me prouocauero, boni
 Aequiq; iuxta amantem, amicum etiam optimum
 Et intimum. Lupus tenendus auribus.
 M A L. Ut ille iudicum statum nouit probe?
 A G I. Et interim dum maxime omnibus paro
 Gratari, & obsequi, perit benignitas.
 M A L. Lepidum caput, quam scite uerba isthic facit
 Ad curiam? D A. Nihil minus. M A. Quid nam male?
 D A. Dicam hoc: is haud spectabit id qui dirimit
 Lites, amicos' ne, an minus paret sibi.
 A G. Quis isthic est? D A. Epices emendatio est
 Iuris. A G. Meus Dadan, reor, uiro optimus.
 D A. Sed aequitate, Lesbia norma solet
 Vti. Sed ille fert suas sentencias
 Ad gratiam. Studium ualet. Conducitur
 Mercede. M A L. Quantum publice interest Dadan,
 Bonos habere iudices? A G. Nil audio
 Quae uerba fecerint, id nil moror, mea
 Nihil interest. Autoritate plurimum
 Aurum ualet. Nam illius aestimatio

Animum

Animum diu deuinxit. Achab iustus est.
Nil cæteros moror: nam iniqui sunt. Eo.
Sed en forum totum strepit sermonibus.

S C E N A V.

Parasceue iudicij. Adparitores laudant IoaKm.

Abed, Cleter, apparitores.
Dadan quæsitor.

Celeremus, instat hora. en omnes iudices
Ad sunt. IoaKm & ipse cum socero suo,
Vterq; summus. C L. Aeacus, Rhadamanthus, aut
Nostrarium quisquam, mea sententia,
Integritate, candida prudentia,
Alijsq; dotibus, eis nec est prior,
Nec conferendus. A B. Hic sapit, si quis sapit.
C L. Salomonem eius sapiunt bona ac prudentia
Consilia, pectus in graui causa David
Refert. Agendis rebus inest constantia,
Animus sibi similis. tum & æmulus pius,
Ezechias in hoc, in illo is Iosua est.
A B. Si pergas illius pari studio bonas
Dotes uocare ad calculum, non sufficit
Totus dies. C L E. Eamus ergo, tempus est.
Apparitoris publici officium est boni,
Adesse, & apparere semper præsidi.
Sumus executi ò iudex dexterrime,
Quæ dignitas præceperat nobis tua.
D. Q. Fecistis, ut uos addecet. cum iudices
Aderunt, suum tum quisq; munus sedulò

zz Peragat.

Peragat. A.B. Erit curæ id nobis. C.L. Curabimus.

CHORVS SECUNDVS.

Ex VIII. Proverbiorum cap. sub persona Sapientie.

Nvnquid summa ferit sidera maximus
Clamor, quem resonat stans sapientia
Cœlestis. semitis, per iuga montium,
Et portis patulis intonat oppidi.

Alta uos uoco, uos uoce mea uiri,
Teq; Adæ soboles, quæ male desipis,
Hoc prudens animo consilium meum,
Præceptum hoc fatuus pectore claudito.

Auscultate, loquar conspicuum meis
Verum nunc labijs, ut doceam bona.

Guttur uerilo quos pangere percupit
Sermones. Labium schismata abhorruit.

Plectris iusta pijs dogmata proloquar,
Non fraus ulla meo, nec dolus ore erit.

Qui sanum sapiunt, his mea candida
Ac sincera sophis, simplicibus sophia.

Argentum superat Nuthe siæ meæ
Pondus. Corripite hanc, atq; scientiam,
Aurum quæ precio præualet optimum,
Quæ gemmis melior, nilq; iucundius.

Clarus cui titulus, quæ sapientia
Compellor Domini, posseideo bonum
Summum. Nam teneo nempe scientiæ
Thesauros, opibus splendeo maximis.

Haud

Haud parum sapit is, qui timet optimum
 Rectorem, Dominum stelliferi Deum
 Cœli. Namq; Deum qui timet, oderit
 Technas letiferi tartareas mali.

Nam fastum tumidum, quicquid & arrogat
 Elatis animis, atq; uiam mali,
 Et peruersa dolis ora ueneficiis,
 Detestor fugio pessumè & execror.

Et quæcumq; gero consilijs meis,
 Euentus docet hæc confieri bene,
 Aequum iustitiae tempero callide.
 Nos inquam penes est summa potentia.

Nostris auspicijs imperium tēnent
 Reges, & proceres constituunt sacras
 Leges, quas temerans, ius uiolauerit:
 Iudex æqua meo numine iudicat.

ACTVS TERTII,

SCENA I.

Præco mandat silentium, iudex auspicatur iudicium.

Ioakim Quæsitor. Præco.
 Nomenclator.

Præco, fori ritu manda silentium.
 P.R. Primò silentium uobis mandauerim:
 Rursus secundò, & tertio, ne iudicum
 Quis uerba tentet murmure interrumpere,
 Cui nulla fandi copia est à iudice.
 Siclis duobus sentiet multarier,
 Qui contumax nunc hicce contrà fecerit.

Q. v. Nomenclator heus, recense nomina,
Quibus dies sit constituta, partium.

N. o. Haib reus uestra ampliatus maxime
Clementia, uadimonium, periculum
Causæ timens deseruit. At qui cæterum
In ius nocavi neminem. Pax undiq;.

I. o. Laus optimo atq; maximo Deo siet;
Cui pacis & concordiae studium placet.
Secede. Consultabimus nunc publica.
O loakim decus celebre, quam bene
Fauit Deus suis ubiq; gentium.

SCENA II.

Accusat in senatu a senibus Susanna.

Dadan quæsitor. Ioakim. A-
chab. Chelkias.

I N ter duo contentionis optimi
Viri Israel generare referuntur: alterum
Est emulationis emulatio,
Studijsq; honestioribus contendere,
Quæ coelitus demissa olim est mortalibus:
Quæ cum uiget florebit & respublica,
Quam quisq; prudens recte comprobauerit.
Sed alteram genuit profunda nox, malum
Deterrium, mortalium quod pectora
Diuersa corripit, furorem concitat,
Facitq; quod forum contentionibus
Strepit subinde, & iurgijs grauissimis.
Quoniam uero patres nil iam forensium

Causarum

Causarum adeſt, Deo optimo ſit gratia,
 Quod peſtis illa paululum ceſſauerit.
 Proin cum ſit opportunity percommoda
 Oblata nunc, ne tempus extraxerimus
 Incaſſum. & nunc percommode nobis uacat
 Diſpicere, quā legum ruinas patrio
 Et priſtino nitor, & amplitudini
 Quicamus auſpicijs diuinis reddere.

D.A. Suades probē, uir omnium ſanctissime,
 Proin quifq; ueſtrūm pro ſe dicat ordine.
 Vbi nam domus uicium grauiſſimum facit?
 Achab tuam ſententiam dicas prior.
 A.C. Quid iuſſus hac in re meam ſententiam
 Aperire, quamuis non lubenti animo, & graui,
 Animus iuuandi, & arcta conscientia
 Instanter urgent, dicere hic piaculum.
 Nunc publici ſtatus caput quam maximē
 Laborat, & nutat, minatur acriter
 Grauem ruinam. Nam caput ſi langueat,
 Quid quæſo erit ſperandum de membris cæteris?

10. Apertius dicas. A C H. Patres Israel ab
 Inuitus hoc dico: tamen lex dictitat,
 Ideſſe iudicis boni, nec ordinis
 Rationem habere, dignitatis ue, aut loci:
 Sed iudicare æquum, ſcelusq; auertere.
 Proin pace Ioakim tua indicium deis
 Faciam. Patres uobis opinor omnibus
 Susanna pulchra cognita eſt, que Ioakim

Amabilis coniux Chelkiae filia est.
 Commisit hæc scelus nefandum, adultera
 Deprensa cum suo est adultero. 10. Hoc ain?
 a c. Quæ poena sit illi irroganda, lex docet.
 10. Eadem docet lex, falsa testimonia
 Cauenda. a c. Mentior nihil. curate eam
 Accersier, tum uos bene edocebimus
 Quæcunq; facta sunt. 10 a. Procul domo mea
 Sit hæc calumnia. Senex mentem tuam
 Et conscientiam tuam paulo altius
 Examines uelim, ne affectibus magis
 Rem nunc agas, quam sancta ueritas tibi
 Studio siet. Nam conscius mihi bene,
 Affirmo nil domi meæ (quod iactitas)
 Factum esse, quod luat caput. Precor
 Desiste cœptis: obsecro, calumniam
 Omitte. Si fossam fodi dolo mihi,
 Ne tute in ipsam primus irruas, caue.
 O' nř pater, uides nobis technas strui,
 Nunc ilicet, procul domum me conferam:
 Nam fas non est, reos fori sedilia
 Capessere. Atra uestis heu magis decet.
 Abdico munus iudicis, sortem meam
 Capessat is, qui dignè possit fungier.
 c h. O' iuste iudex, pectorumq; cognitor,
 Vindex & ultior omnium dexterime,
 Cognosce nostras innocentias, Deus
 Causam tuæ fidei mandamus. vltio,

Vindicta

Vindicta, mulcta, poenae & irrogatio
 Penes tuam clementiam solam sient.
 Fili, gener, dolere nunc nobis licet,
 Nihil amplius? 10. Imò amplius licet pater,
 Sperare spē. C H. Quām? 10 A. Num rogas? Bonā
 Pater. Deus, cui causam & hoc negocium
 Iam credidisti, uiuit. is non deseret
 Vocantium fidem, cuius iuuamine
 Meditabimur causam. Ipse cognitor siet.

SCENA III.

Conferuntur sententiae.

Dadan quæsitor. Agira. Histio. Maloco. Hedioth. Dibon. Zabra. Dabranī. Iauan. Achab. Sedechias.
 O Nus graue & molestum uah nunc imminet
 Humeris meis. Quiduis Deus magis uelim,
 Quām questionis istius iudex modo
 Esse, atq; luctu sordidus, doloribus
 Meo cum amico atratus esse, quām ut toga
 Conspicuus hic quæsitor occupem miser
 Inuitus hæc modo tribunalia. ò fidem
 Hominum. Timor me habet, ne constuprata sit
 (Quæ casta & incorrupta legibus debet
 Manere) mens ac iudicium sententia.
 Sed si necessitas id urget, quid paro
 Recalcitrare? Quin magis Deum precor,
 Ut non agamus hoc quod non equum siet,
 Temerarium ue. Iudicis munus boni

Hoc semper esse iudico, ut si causa sit
 Magna ac grauis, qua fama agatur, aut caput,
 Considerare recte circumstantias,
 Natalium splendorem, & quæ fortuna sit:
 Et maxime omnium, quibus uitæ modis
 Aeuum antè uixerit. Patres hæc singula,
 Dum ponderamus, atq; inquirimus bene,
 Non admodum scio, num sit præstantior
 Et generis, & pietatis, atq; cæteris
 Nominibus. Atq; sic puto esse partium
 Nostrarum, in hac re longe circumspectius
 Prudentiusq; agere, atq; si sint crimina
 Confessa, & antè peracta uita perdita.
 Sanè, mea sententia, prudemius
 Agemus, & magis pie, si quisq; nunc
 Nostrum, procul calumnia, famam malam
 Auertat, atq; dedecus familiæ
 Tantisper arceatur, dum res cognita
 Fiat. Tuam dicas sententiam prior,
 Sapiens Agira. A G I. Si me interrogas meam
 Sententiam, dicam, sua ut cuiusq; sit
 Et salua, & integra. Omnium clarissime
 Quæstor, hac in re tuæ sententiae
 Subscribo, nec probo manus crudelius
 Inferre, sed uocarier per publicum
 Seruum modestius. Tum non puto satis
 Consultò agi, si partibus permittitur
 His assidere iudicu[m] subsellijs.

Præterea

Præterea cum secesserint, tum iudicium
 Numerum repleri. Q.v. Histiob, tuum fer calculū.
 H.i. Videntur æqua, quæ nunc iste protulit.
 Q.v. Et tu Maloco. M A L. Agiras dixit candide,
 Et æquitas hoc postulat. Q.v. Dic Hedioth.
 H.e. Probatur hoc, quod hi dixerunt: conuenit,
 Peritioribus lubens suscipserim.
 Q.v. Suffragium Dibon feras. D I. Suffragium
 Idem fero. Q.v. Zaba, tu detegas quoq;
 Mentem tuam. Z A. Dixere recte singuli.
 Q.v. Dabrani dic. D A. Loquuntur optime. & puto
 Quod censuerunt, longe consultissimum st
 Istuc iubebit æquitas. Sic censeo.
 Q.v. Iauan tuam pronuncia sententiam.
 I A. Sic est, id annuo. Q.v. Consensus omnium
 Decreuit, id quod est solenne curiæ.
 Quapropter hinc senes seorsim cedite.
 Nam partibus non conuenit, quod iudicis
 Est munus, hic subire. Controversiam
 Meditemini potius piam, ac calumnia
 Vacuam. lubens dabo uobis (quod æquum erit)
 Hanc actionem. A C H. Etiam si tanta autoritas
 Nobis sit, ut pro dignitatis ordine,
 Propterq; presbyteri sacrum munus fides
 Dictis haberi conueniat nostris: tamen
 Quia sic placet senatui, fiat. S E. Eo.
 Causam modò peragamus, ut ne, iudices,
 Fecisse nostram nos queat conuincere

zz 5 *Quisquam,*

Quisquam, modo ut sistatur huc adultera,

S C E N A . I I I I .

Mandatur apparitoribus ut Susanna sistatur.

Quæsitor.

A Paritores ite, quod decreuimus,
Perficite. Coniugem Ioakimi optimi
Viri pudicam, & innocentiae decus,
Iubete iussu publico innocentiam.
Suam tueri: in ius ut ambulet, bonis
Instructa testimonijs, fide bona
Validis, & amplis factionibus suis.
Capitis ream manibus prensate cautius,
Quo praxis hic seruetur omnibus modis.
C L. Nos exequemur publicum hoc negotium.

S C E N A . V .

Apparitores iussa expeditint, sed inuiti.

Cleter, Abed, apparitores.

Eamus, atq; quod mandauit optimus
Quæsitor, expediamus ocyus. **A B.** Sequor,
Celera. **C L.** Non admodum. Dolor magnus meum
Nunc pectus occupat. ni muneris modo
Necessitas iuberet, nunc absisterem.
Repugnat, an, Deus me amet, peccatum meum
Abhorret, atq; nescio quibus modis
Fiat, quid id genius faciat. **A B.** Præsagium est.

S C E N A . VI .

Suppletur numerus iudicium.

Quæsitor. Nomenclator.

Nomen.

Nomenclator hoc negocium dabo
 Tibi, moras tu rumpe, quo frequens forum
 Siet. uocato Galaad, Ierobaal,
 Aradan atq; Besasan, uiros senes,
 Numerumq; iudicum dicas quo compleant.
No. Curabo diligenter hos accersier.

C H O R V S III.

Ex Psal. Beati immaculati. Principes persequuti.

Heu me prosequitur technis procerū mala turba
 Non meritò grauibus.
 Horruit ast trepidum pectus formidine saltans
 Ardua uerba tua.
 Eloquium rursum diuini numinis alnum
 Pectora laetificat.
 Haud secus ac spolijs diues, clarisq; triumpho
 Gaudia concipio.
 Fraudes pestiferas fugitans, legemq; beatam
 In precio posui.

A C T V S Q V A R T I,

S C E N A I.

Iudicibus subrogatis, Quæsitor causam
 proponit.

Galaad. Ierobaal. Arradan.
 Besasa. Quæsitor.

Quid obsecro noui est? Quæ causa? i.e. Nescio;
 Nisi quod grauis siet, necesse erit. **Q**ui
 Nunc ordo iudicum suis subsellijs

Ex

Ex parte cessit. A.R. Factionibus puto,
 Ut mos habet, suisq; quisq; partibus
 Indulget. B.E. Hoc fieri potest. Nunc optime
 Sciemus. Q.v. Hem, seniores Israel uiri,
 Capitalis est hic causa. eo capessite
 Vices eorum, qui pro factionibus
 Absunt, & actionem dictitant grauem
 Sanctæ piæq; fœminæ, quam cernitis
 Huc uentitare. Iurisdictio mihi est
 Molesta. Iubeo, locos illic capessite.

SCENA II.

Dum Susanna ad iudicium ducitur, parentes, liberi, &
 familiares dolorem testantur.

Susanna filia. Beniamin filius. Ioa-
 Kim. Rachel mater. Promptula.
 Chelkias. Quæsitor. No-
 menclator.

Q[uod]o ducitis materculam, nequissimi?
 B E N. Scelus, nequicquam hoc feceris. I O. Ne liberi.
 Venite ad me, mea chara pignora. B E N. O pater,
 Q[uod]o ducitur mihi mater dulcissima?
 R A. O scelerata, pro fidem, doloribus meum
 Cor rumpitur. C H. Modestius. R A. Cain genus.
 P R O M. Ferenda erat captiuitas. Nū hoc patriū est!
 Tyrannus haud queat crudelius, si maxime
 Volet. R A. Queat? Aegyptus olim æquissima
 Patribus fuit, si conferas, ô Promptula.
 O tellus, hosce absorbe: ô tarda fulmina.

C H. Memor

C H. Memor decori, etiam malè infortunio
 Vexante, matrona esse debet. R A. Prò dolor.
 O sacrilegum genus. C H. Suos innoxios
 Deus tuctur, & probat periculis,
 Quo clarior uirtus probata splendeat.
 I O. Animo bono coniux sies charissima.
 Sicut tuam castissimam semper fidem
 Hucusq; castis moribus seruaueris,
 Sic senties comitem necis tractarier.
 Constanter heus tuam nunc innocentiam
 Testabor hic profusione sanguinis.
 Stipulorq; uitam, spōsionē perfidis
 Facta, Dei fretus fide dexterimi.
 Causa cadent, dubio procul spem tu cape.
 Q V. Nomenclator, tu renuncia uiris
 Senibus licere, si uolent intendere
 Nunc actionem. N O Nunc datur uobis uiri
 Peragere ream, iudex modò statuet statum.

SCENA III.

Susanna sistitur indicio, senibus datur actio.

Quæsitor. Achab. Sedechias.
 Rachel. Praeco.

R Eam uiri indicastis, hincq; iudices
 Id disputantes censuere singuli, ut
 Suscepta cognitio scrutetur optime.
 Assistit hic, quam detulisti uos, rea.
 Inter eos delata nunc recepta sit,
 Incumbit ulterius uobis procedere.

Legitimus

Legitimus esto contra eam processus,
Absit dolus malus, ne per proteruiam
Videamini obsequi malis affectibus,
Causamq; uestram facere uelle callide.

A.C. Quæsitor, atq; iudices populi Iſrael,
Id omne quod forensis usus continet,
Teneo, nec hic negotialis pragmata,
Aut formulas iuris ministret cognitor.
Id quicquid est, exercitati nouimus.

Si quid fugit, subscriptor hicce suggeret.

S.E. Condecet, ut hæc modò detecta fronte sit,
Quo uos queatis ex oculis uersantibus
Videre, quæ sit frontis conscientia:
Non facile erit crimen non uultu prodere.

R.A. Hem proditor, scelus, furor libidinis,
Non patrius illud ritus dictitat, scelus.

Nescis magistratum decere non modò
Manus habere continentes? Quin decet
Etiam uacare oculos omni cupidine.

Nondum satis satias tis hem nequissimi
Libidines? Sinister ignis æstuat,

Et odium nigrum, atq; ardens uesaniæ
Telum. S.E. Tacere tu potin' triuenefica?

R.A. Vitam dabit uobis, pudicitiam suam
Dat nemini. A.C. Quæsitor siccine conuenit?

Num præco mandauit silentium fori?

Q.V. Præco ritu fori manda silentium.

P.R. Primò silentium uobis mandauerim:

Rufus

Rursus secundò, & tertio, ne iudicum
 Quis uerba tentet murmure interrumpere,
 Cui nulla fandi copia est à iudice.
 Siclis duobus sentiet mulctarier,
 Qui contumax nunc hicce contrà fecerit.

S C E N A I I I I .

Susanna sit rea. Causam suam agit brevibus.

Quæsitor. Achab. Sedechias.
 Susanna.

Nunc quæstionem ferre commode potes,
 Strepitus silet, ne quid nimis affectibus
 Indulgas. Simplex ueri est oratio.

A.C. O quæstionis iudex, atq; cæteri
 Viri patres, non indigemus, credite,
 Monitu: sed æstimate nos eos magis,
 Quibus bonum studio sit, atq; æquum: uelut
 Vos consciij bene estis, nos potissimum
 Operam dedisse, quo reis clementia
 Præstetur, atq; contumelijs Dice
 Vacet, nedum cuiquam ex malis affectibus
 Damnum struamus. ab sit hoc nobis procul.
 Quoties dolor miserationis pectora
 Mouit, reus si plecteretur iustius?
 Utinam, ne fur sit, aut adulter uspiam,
 Velut ista, quæ thalamos iugales perfida
 Violauit, (haud enim placent suetæ dapes)
 Ritusq; castos uenere non casta exuit.
 Nil circuitione usi, totam narrabimus.

Vt gesta sit rem uobis ordine.
Heri peracto prandio, cum Loxias
Obliquius radios uibraret, & mora
Bestum grauem faceret, nec tum forensibus
Nos occupatos casus huc perduxerat,
Paradisi & arborum iucunda opacitas
Illexerat, dum cedimus sub arbore
Colloquia rem publicam spectantia,
Incedit ecce casta, scilicet, suis
Binis stipata nymphis formosissimis.
Hæc turbidis animis faciem pulchram induit,
Viduatq; calceis eburneos pedes.
Quod si comes cum ea mansisset altera,
Poterat uidere ibi corpusculum suum
Salientis undæ rore uelle spargere.
Sublata mox suspicio. Nam iuuenis celer,
Nec inelegans, ex angulo horti prosilit.
Congreditur hanc, statim salutant mutuo.
En locus ab omni liber arbitrio uacat.
Haud mora, sub arbore osculis in gramine
Viridi suauibus, lusere amplexibus.
Si quid licentiosius tentat puer,
Perfricta frons nihil abnuit uel paululum.
Cætera pudet uiros dicendo promere,
Quæ foeminam scelestam facere non pudet.
Hinc, hinc patres uidere consuetudinem
Potestis hanc fuisse illi creberrimam.
Verum ne debilis uisus nos falleret,

Ex umbra tum sumus progreſſi, propius
 Acceſſimus eos: iacuere turpiter.
 Simulatq; nos ſpectaculum turpiſſimum
 Abominati deteſtationibus,
 Acurrimus ſenili tardius gradu.
 Deprenſus attamen, niſi quod motu pedum
 Melior iuuentia fretus, atq; corporis
 Viribus ualentior, lucta prætantior
 Elapsus, ex graues ſenes nos ſupprimens
 Adulter in pedes celer ſe contulit.
 Et ianue poſtici insultans fortius,
 Vno impetu ui limen audax transilit.
 Liquit ſupratam, ciuium accuſum timens.
 Ipmam tenentes, Ecquis hic, quæſiuimus:
 Sed nec precando, quis ſiet fidifraga
 Confessa, nec ullis minis extorſimus.
 Ais ne cuncta gema, collega optime,
 Ut diximus? Dic testimonium tuum.
 s.e. Contefor, & quæ dixit affero omnia.
 Si non fides ſatis ualet, iurabimus.
 Deliberate o incorrupti iudices,
 Statuite ne quis uestra clementia locus
 Queat uideri apertus. Exemplum modò
 Sit cæteris in posterum mortalibus,
 Ne uindicet Deus commotus Israel.
 Quapropter o Iudex fiat anacrisis.
 Q.v. Susanna matronarum ampliſſimum decus,
 Nunc quæſitioni reſpondebis, quam tulit.

Fateris hæc in uniuersum, an excipis?
 s v. Præcido eo modo, quo nulla exceptio
 Siet. nego præcise quæ dicunt senes.
 Nouit Deus doli peruersam fabricam.
 Nec quicquam eorum quæ calumnijs malis
 Dixere, testimonij queunt bonis
 Probare. sufficiat mentem esse consciam.

SCENA V.

Feruntur sententiae. senibus iuslurandum oblatum
 permittitur.

Quæsitor. Maloco. Ierobaal. Hedi-
 oth. Arradan. Dibō. Zaba. Besala.
 Dabrani. Iauan. Agira. Galaad.
 Histioob.

HAIC quæstionem acerrimā, pīj patres,
 Audistis, atq; audistis rursus alteram
 Partem. Senes aīsunt, negatq; fœmina.
 Capiti senes anquirunt, hæc id abnuit.
 Res controuersa est, summa litis uertitur
 Ex his, patres. status causæ inficialis est.
 Deliberate quid fiat nunc amplius.
 Maloco, te rogo tuam sententiam.
M A. Quia nunc rogo sententiam, boni patres,
 Alijs honorem eum quidem conesserim:
 Dicam tamen, quod æquitas me iusserit.
 Quid dixerint senes grandæui audiuiimus,
 Audiuiimusq; quid matrona parcias

Responderit.

Responderit. Quod afferunt, hæc pernegat.

Ob idq; cause cardo uertitur modo.

Quapropter ô patres actori censeo

Incumbat, ut probatio robustior

Tecmerijs & coniectionibus.

Sed nullius sententiae præjudico.

Q.v. Ierobadl, tu sensa mentis detege,

I.e. Satis uidetur Achab rem dilucide

Narrasse, & actio satis probabilis

Videtur. At qui si maturitas uirum

Grandæua, non satis pro ætate roboris

Habet, fides saltem siet sanctissimo,

Quod obtulere, iureiurando senes.

Q.v. Dic Hedioth, quid sit tibi probabile.

H.e. Probatur id quod cæteris bonis placet.

Pedibusq; in illius sententiam uolo

Discedere. Q.v. Arradan tuam dic tu quoq;

Sententiam. A.R. Cum litis contestatio

Sit constituta, & actio probabilis

Audita, & frigidum admodum negatio:

Id restat, ut sexus fiat collatio,

Et ponderentur recte circumstantiæ.

Hinc sunt senes concordi testimonio,

Autoritatis amplæ, & huius ordinis

Primarij, quibusq; religio siet,

Quod obiulerunt, iusurandum fallere.

Econtrà liquet foeminam esse fragilem,

Iuuensemq; non libidinis resistere

Impulsibus potuisse, qui non frangier
 Queat timore, & tam graui periculus
 Sinon delinquere illi relligio fuit,
 Atq; temerare sacram coniugi fidem,
 Multo minus uerebitur nunc fallere
 Numen. Fero iudex meam sententiam.
 Si non fides actoris testimonio
 Habetur, at ualeant iurata numina.
 Q. v. Dibon bone, hac in re graui pronuncia.
 Quid nam uidetur? d. i. Hoc uenia dicam bona:
 Longe alia mens mihi est, prorsus dissentio.
 Si autoritas grandæua uobis tam ualeat,
 Valetq; tam senilis æstimatio,
 Ut hæc pudicitiae queat castissimæ
 Officere, nescio. sed hoc scio, patrem
 Et coniugem splendere tam natalibus,
 Tamq; esse claros & graues prudentia,
 Quam quisquā eorum qui hæc intentat criminis
 Adhæc pijs studijs Dei quam maxime
 Sunt dediti. Respondet uita legibus,
 Respondet hæc natalibus. Requiritur
 Quum fama controuertitur, quæ uita sit
 Peracta dispicere: ecquid audiat male.
 Quod si laboret fama, tunc probabile est
 Admissa fortè tam nefanda criminis.
 Sed præter hos nil tale suspicatus est
 Quisquam. Tacebo, iuriandum esse improbum
 Offerre, ne sit uspiam aduersario

Conditio,

Conditio. sed uidetur is sententiam

Pronunciare uelle de causa sua.

Nec sexus, ut non ipsa iure*t*, impedit.

Quapropter ut nunc conditio detur re*t*

(Quod arrogat sibi actor) et quum censeo.

Id ipsum et aequitas matronae adiudicat.

Q.v. Dic Zaba quid tu sentias. Z.A. Hoc sentio,

Arradan hac in causa ego subscripserim.

Videtur aequitas fauere actoribus.

Q.v. Dic Besasa. B.E. Sic ut Arradan sentio.

Q.v. Dicas Dabrani, quid nam tua mens suggesterit?

D.A. Haec que Dibon dixit, strepunt affe*cibus*,

Qui longe abesse debent sancto iudici.

Amor facit, amori condonanda sunt

Quae dixit haec. Sed est isthuc sententiam

Pronunciare? Nempe, sensa protulit.

Tam profuit causae, quam si defenderet,

Litemque pro uirili ficeret hanc suam.

Mihi magis, quod Arradan dixit, placet.

Q.v. Iauan, adde quod probatur calculum.

I.A. Est ut Dibon bonus prudenter dixerat.

Non est (mea sententia) quod ceteri

Dixerent. Q.v. Quid tu Agira? quid pronuncias?

A.G.I. Dixere multi multa, iusque fluctuat

Hinc inde: dumque dicta cuncta pondero,

Animus meus nutat. Nam hinc est miseratio

Sexus, senilis illinc est autoritas,

Cui plurimum subscribit conscientia.

Quæ triste ðūræ dictitat, sed candidum
 Tæv urget importunius clementia.
 Amicus est Chelkias, atq; Ioakim,
 Sed amica certe ueritas nobis magis.
 Amicus his uiris ad aras extiti,
 Sed ueritas mihi modò præponderat.
 Q.v. Tu Galaad, dic quid tibi sit integrum.
 G.A. Vis magna testimonij, testes ualent.
 In ore uel duum, trium' ue ueritas
 Consistit, idq; lex diuina dictitat,
 Valetq; iusurandum in iure plurimum.
 Medetur hoc iuri, si est lis perplexior.
 Q.v. O Histiob, dic quod uirum bonum decet,
 H.I. Quæsitor alme, nil ualet nunc æquitas,
 Laborat ut uides nunc innocentia,
 Nil efficit nudum meum suffragium:
 Dicam tamen nunc libere, quod sentio.
 Amico flaua ueritas magis ualet
 Alijs, ualetq; alijs quod testimonij
 Conuicta res (si dijs placet) adulteræ.
 Trucidat alter amicus, alter legibus
 Abutitur, facitq; normam Lesbiam.
 Agiran urget stricta conscientia,
 Ut sit necesse tristem impingi literam.
 O conscientiam. Quid ampliatio
 Occlusa erat, dum non constabat ueritas,
 Si non salutis tesseram seuerior,
 At amplius pronunciasse conuenit.

Si non

Si non queo saluare castam, innoxiam,
 Piamq; foemina mea sententia,
 Absit tamen manus foedare sanguine
 Innoxio. Sed liberam pronuncio.

S C E N A VI.

Ius iurandum accusatoribus iudex prætit. Susanna damnatur etiam populi suffragio.

Quæsitor. Achab. Sedechias.
 Populus.

Maior reis fauor, quam sit actoribus,
 Plerumq; habetur: hic nil æquitas potest,
 Hic non licet ree, quod fas actoribus
 Est. ueritas iacet, ualent sophismata.
 O si liceret iudici rescindere,
 Quod perfidis putet decretum calculis:
 Sed quia modo necessitas sic postulat,
 Ut hoc agam, quod exigit peruersitas,
 Sententias numeratas iam prætorie
 Facio ratas autoritatis calculo,
 Iurisq; iurandi his concipio formulam.
 Senes uiri, dextras matronæ in uertice,
 Ut mos habet, positas tenete, uerbaq;
 Dictabo docta, ius iurandum clarius,
 Dum præeo, sequentes omnes syllabas
 Pronunciate, ne qua muſitatio
 Lingue siet. A c. Nos recte sumus conscijs.
 S e. Modum tenemus hunc forensis paxews.

Aaa 4 q.v. Nos

A. s. Nos Achab atq; Sedechias consij

Q. v. Iuramus sancte per Deum uiuentium,

A. s. Iuramus sancte per Deum uiuentium,

Q. v. Testem dictis Deum uocamus Sebaoth

A. s. Testem dictis Deum uocamus Sebaoth

Q. v. Si non Susannam adulteram deprendimus,

A. s. Si non Susannam adulteram deprendimus,

Q. v. Si non res dictis congruat per omnia,

A. s. Si non res dictis congruat per omnia,

Q. v. Vindex deus faxit Babylonis exules

Moriamur. — A. C. S. E.

Vindex Deus faxit Babylonis exules

Moriamur. — Q. v.

— Nec postlimino reuertere

Vnquam siet fas, — A. C. S. E.

— Nec postlimino reuertere

Vnquam siet fas, — Q. v.

— & nos terra sorbeat. A. C. S. E.

— & nos terra sorbeat,

Q. v. Sicut Dathan & Abyron antiquitus.

A. s. Sicut Dathan & Abyron antiquitus,

Q. v. Sic lepra corripiat, ut Naaman Syrum,

A. s. Sic lepra corripiat, ut Naaman Syrum,

Q. v. Et capitibus nostris maiorum crimina

Cuncta ingruant. — A. C. S. E.

Et capitibus nostris maiorum crimina

Cuncta ingruant. — Q. v.

— Et execrationibus.

Interminatis, legibus Mosaicis,

A. S. — Et execrationibus

Interminatis, legibus Mosaicis,

Q. V. Oraculisq; uatum obnoxij male

Vexemur. — A C. S. E.

Oraculisq; uatum obnoxij male

Vexemur. — Q. V.

— Ut populo paradigm a nos

Periurij semper post hac simus, Amen.

A. S. — Ut populo paradigm a nos

Periurij semper post hac simus, Amen.

P O P V L V S.

Rapiatur ad poenas. Scelest a nunc luat.

Lex mandat, ut domus Israel a crimin e

Sit munda. Labes ista nunc ferenda erit?

Tollatur ergo haec e medio. Lex obrue

Saxis iubet. Isthanc decet multarier.

Q. V. Post quam religio senum sententiae

Fecit satis prolatae, iam nil amplius

Restat, nisi quod sumnum ius dictitauerit,

Et ut satisfiat populi furoribus,

Vt morte culpam praestes diram fœmina,

Nisi ad acta prouocaueris, uel termino

Nunc constituto (nam hoc triduum tibi damus)

Ad sceptrum regis per nos appellatio

Concessa sit, cui summa iuris dictio est,

Quam uictor ipse sibi Nabuchadonosor

Nunc uendicat, populusq; uictus omnia

Sua iura in ipsum transtulit. Ius Martium
 Hoc est, sit uictis præsentissimus dolor.
 Id ecce libertatis habet captiuitas:
 De moribus legis licet cognoscere.
 Deliberato cum dilecto coniuge,
 Charisq; cum parentibus. salis tua
 Nunc pendet omnis ex Regis clementia.

SCENA VII.

Susanna coniugi, liberis & parentibus ualedicit.
Ioakim. **Rachel.** **Chelkias.** **Prom-**
ptula. **Susanna.** **Benlamin.**
Susanna filia.

O Casta coniux, cor meum mihi rumpitur
 Doloribus. **R.A.** Pro, quid iuuat ne uiuere
 Quenquam? Malū malo geminatur. **C H E.** O Deus,
 Captiuitatis hoc molestiæ malum
 Grauiſſimum nunc additur. **P R O.** Tyrannidis
 Vitauimus uim, castas esse martium
 Ius siuit. Hera nil iuuat nos amplius
 Vita frui. Senes tantum facinus modos?
C H. Aequiſſimus gnata est Nabuchadonosor,
 Ad hunc licet nunc appellare. **s v.** Mi pater,
 An æquitas incircuncisi præualet?
 Non, non uidetur hoc probabile. **I O.** Hoc potest
 Meum decus. **s v.** Tibi infero nunc dedecus.
I O. Tantis per id, dum falsis instaurauerit
 Talia Deus iudex incorruptissimus.
s v. Dicis probè. Nam is solus innocentiam,

Thalam

- Thalami tui fidem, secreta pectoris
 Nouit me i. Regem coelorum prouoco.
 Proin nunc ualeto coniux mi charissime,
 Tori fidem testabor rore sanguinis.
- I.O. O` socia thalami, siccine adflictum uirum
 Hic deseris? s.v. Commendo chara pignora,
 O nate nunc ualeas, ô chara filia,
 Te nunc pari relinqu expositam malo.
 En mors pudicæ uitæ indignum præmium.
 Idem malum tibi imminet mea Promptula,
 Spudæa, Nil ualebit ultra castitas.
- P.R. O hera, quam iuuat comitem esse, quam malis
 Sic obijci? s.v. Tibi commendo liberos.
- B.E. Mater mane. s.v. F.I. Mane precor matercula,
 Ne nos relinquas orphanos miserrimos.
- s.v. En uos parentes, ecce diligentæ
 Fructus, & educationis hæc trepteria.
 Qui me pudicis enutristis moribus,
 Aetate uos confectos, captos, exules,
 Afflictionum ego grauißima omnium
 Afficio. me uestrum pudet parentes, nil moror
 Vitam meam fatis iniquis soluere.
- R.A. O gnata, & miseram nefanda mors rapit?
 s.v. Genitrix mea, haud miserum est fatis cōcedere.
 Miserum est nefanda morte dignum admittere.
 Mortalium id sors fert bonis iuxta ac malis,
 Ut sint malis hic fortuitis obnoxij.
- C.H. Recte sapi, quod hæc æqui boni facis,

Robur

Robur Deus tuis addat conatibus,
 Virtutibus macta, et ferendo uincito.
 Genuisse me mortalem haudquaquam nescio.
 s v. Dominus Deus meus creator, sic suam
 Ratione laudem perficiet mirabili.
 Persuasum id esse mentibus uestris uolo,
 Hanc esse notam, quæ dubio procul siet
 Oblitteranda pulchre gloria noua.
 Animi mei sententiam nunc iudici
 Dicam. Valete, æqui boniq; haec omnia
 Facite. Deo negotium committite.

SCENA VIII. (bed.)

Susanna, Quæsitor, Cleter. A.
 Vos Israelis arbitri, iam contuli
 Charo meo cum coniuge, ac parentibus
 Vitæ negotium. Quid appellatio
 Prodest nūhi? mos prouocationis est,
 Curare ne quis error uspiam siet.
 Appello eum qui summa sceptra concutit,
 A quo potestas iudicandi cæteris,
 Etiam malis conceditur potentibus,
 Is corda nouit, et scrutatur uiscera,
 Erroribusq; nullis est obnoxius,
 Is uindicans iustam feret sententiam.
 Q v. Mori uolenti deesse nunquam mors potest.
 Summi iuris fiat nunc executio.
 Iuris rigor Susanna saxis obrui
 Nunc te iubet: apparitores prendite.

CL. M.

c.l. Matrona nos precamur, quod sententia
 Precepit, ut ne acerbius feras. A.B. Mea
 Aequi boni q; facias, nos necessitas
 Themistos urget hoc ministros publicos.

s.v. Corrupta uos urget Themis, nihil imprecor.

Causam meam Themis diuina suscipe,
 Tuum tribunal atq; sceptrum dextrum

Imploro, te non fallunt testimonia

Adulterata, nil affectibus strepens

Oratio, nil lata legis fimbria,

Sed candor atq; pectus integrum bene

Tibi ualent, nil te fugit reconditum.

Tuscis, quibus me technis circumuenient

Senes, suis cum nolle ego acquiescere

Votis libidinosis. Tute conscientia es

Dolo malo geri rem: et hoc testabitur

Cruor meus. Gentiles, heus aduertite,

Babylonijq; ciues, hoc potissimum

Studium siet uobis, quo salua castitas

Tam filiabus quam matronis floreat,

Quorum interest uidere ne respublica

Quid detrimenti capiat: nec mala ingruant,

Mala consilia ueterorum retundite.

Alas mala haec pestis serpet crudelius,

Pudicitia laborabit letaliter.

Partim mali sunt, partim q; his assentient,

Partim boni: sed pauci aduersus nil queunt.

Sapite uiri Israël meo periculo.

CHORVS

Presens in medijs consilijs Deum
Diuos cunctipotens iudicat impios.
Quis finis male fidis
Vestris iudicijs erit?

Quantisper facies praeualet impij?
Pompas magnificas respicitis foro:
Pupilli mage digna
Afflicti ratio siet.

Iustum iudicium pauperibus feras,
Suppressos inopes assere liberos,
Iniusti eripiatis bonos
Censoris violentia.

Ignorant stupidi, nec sapiunt bene,
Palpantes manibus, per tenebras eunt:
Hinc tellus tremit, atq;
Diris turbida fluctuat.

Vobis summus honos, numina uos uoco,
Excelsi quodam Dei progeniem tamen
Sors Adae capiet uos,
Fatique imperium premet.

Summis praecipites fastigijs dabo:
Exurgas Domine, ut iudicium feras
Terrae. Nam dominaris
Cunctis gentibus undique.

ACTVS

CHORVS

ACTVS QVINTI,

SCENA I.

Daniel Susannam iubet in integrum restitui.

Danielpropheta. Agira. Quæsitor. Cleter apparitor.

EHem, domus seniores Israël patres,

Immunis en sum ab innocentia sanguine.

AG. Ehem puer, quid clamitas temerarie?

Quid mult tuus sermo? quid intercessio?

DA. Patres iniqua iudicatis hodie.

AG. Quæsitor en temerariam hanc audaciam.

Puer senes hic insimulat calumniæ,

Et actiones interpellat. Irritam

Rem iudicatam factitans, infamie

Eximere nota satagit. **Q. v.** Tun' puellule,

Ain: Tibi ne intercessori cedere

Senes cupis? **D. A.** Deus reis hanc eximit.

Nec æqua, nec bona est uestra hæc sententia;

Nec his uestras mentes celeres probauerim.

Imo Deus generis sator mortalium,

Legisq; lator odit iusticiam nimis

Duram, atq; plus satis rigidam. quid quod neq;

Humana uitares Deo leuiuscula est.

Non lusus esto heus in periclo sanguinis.

Nec is sapit, qui rectum non intelligit.

Peruersa crede, et callida est uæcordia:

Adiudicatis hanc neci, que est innocens,

Scelerisq; quo de condemnatis, libera.

Aliena

Aliena non erat, sed stemmate, & bonis
 Natalibus domus Israel filiam
 Damnaстis, hem gradum ad tribunal uertite,
 Restituite hanc matronam honestam in integrum.
 A.G. In integrum? Num ius suum non obtinent?
 Aut unde tanta autoritas puellulo?
 Q.V. Diuinitus puto. Nam qui prudentiam
 Tantam dedit, tamq; admirabilem Deus,
 Idem dabit ius vindicandi innoxiam.
 Quapropter ô patres, honorem iudicis
 Huic deferemus. A.G. Deferemus? Q.V. Maxime.
 Puer tenelle, qui prophetæ pneumatice
 Donatus es, capesse munus iudicis.
 Oraculum nobis tua sit sententia.
 Quid spiritus dictabit, id ratum siet.
 Vestros locos lаeti patres capessite.
 Manus tenellas liberate vinculis.
 C.L. Faciemus id Prætor manu promptissima.
 Q.V. Restituite hanc matronā honestā in integrum.

SCENA II.

Absoluitur Susanna, uinciuntur senes.
Daniel. Quæsitor. Achab. Se-dechias. Cleter. Abed.
 apparitores.

PAtres domus Israel inclytissimi,
 Quandoquidem honorariū & amplissimum modo
 Munus datum mihi, atq; cause arbitrium st.
 Audite paucis, quid' nam in hac re semiam.

Nec latus efficiet clausus senatui
 Aptos uiros, nec picta lege fimbria.
 Animis teneri iura certum est argui.
 Sed æquitas præstabit iura singula.
 Sed ne morer multis, senes seiungite.
 Erat status conjecturalis, hinc senes
 Oportuit probaſſe rem tecmerijs.
 Iurare tam facile est malis periuria,
 Quām candidis ſuæ uitæ innocentiam
 Testarier. Viros senes fecernite.
 Siftatur alter ad tribunal, alterum
 Foris tenete cautius, quo ueritas
 Patescat ex claris conjecturalibus,
 Quæ ponderis plus quām confusa iudicum,
 Nec ponderata recte habent suffragia.
 Nam ponderandas, non numerandas dixerim
 Sententias, fallitq; disquisitio:
 Aliena mens, tribunal certe alienum erit.
 Q.v. Recte puer monet, propheta maximus.
 A.c. Actum ne agamus. Hoc procul nobis siet.
 S.E. Iteranda ne pronunciata causa erit?
 Oiura, quis uigor uobis nunc amplius?
 Q.v. Nunc? Optimus. Apparitores prendite
 Viros senes, missa loakim coniuge.
 In hemicyclum sifite Achab feruidum,
 Et alterum foras seorsum excludite,
 Sed cautius, ne causam coeptam deserat.
 A.B. Ehem senex, times' ne causæ perfide,

Mecum ueni foras. CL. Deus laudem suam
Ex ore perficiet tenelli infantuli.
Huc siste nunc gradum. nunc iudici tibi
Diuinitus dato responde libere.

SCENA III.

Damnatur Achab a Daniele.

Daniel. Achab. Quæsitor.
Cleter. Abed.

Veterator annis et dolis grauiſſime,
Nequam sceleſte, quæ uos diræ poſſident?
Ab unguibus teneris meditati crimina
Nefanda, et exerceſtis uſq; perdiſtē?
Quo nam uſq; censes optimum atq; maximum
Deum tuis nefandis indulgentius
His machinis ſic conniuere? Falleris,
Si hoc credis. Haud cedet bono clementia
Eius Dei, cui corda cuncta cognita.
Tutum eſſe facinus credis? et uacuum metu?
Aſtu doloq; abſcondere hoc tantum neſtas?
At ille rebus lumen inſundens ſuum
Mortalium ſator, ſcelus tuum uidet.
Negata magnis ſceleribus ſemper fides
Contingere haud poſteſt ſecundo numine.
Age, nunquid hactenus patrata crimina
Nunc innoſtſunt omnibus mortalibus?
Hucusq; ueſtris in genibus ſita ſalus
Multorum erat, qui deſtituti dextero
Patrocinio miſere periere innoxij.

Censura

Censura uestra agit columbas simplices,
 Veniam & quietem dat coruis rapacibus.
 Damnatis usq; innoxios, & innocens
 Pessundatus poenas luit, te iudice.
 Prauissimis albos ferebas calculos,
 Et ex reis tu noxios exemerat,
 Videlicet consortes, & per munera
 Sententiam tuam expugnantes, perfide.
 Id ille qui mundum quatit, non perferet.
 Sed est tibi parum curae quod præcipit
 Summus nomotheta, atq; imperator maximus
 Quandoquidem eam uitilitigator uideras,
 Dic qua sub arbore eos amplexibus frui
 Deprenderis. A c. Sub qua? Recordor. dixero.
 Schinus fuit. D a. Memorem esse mendacem decet.
 Ehem scelesti, qui proteruiam facis,
 Mentiris in caput tuum, poenam lues.
 Summi minister habet latam diuinitus
 Sententiam, medium te σχισαι. Is perditum.
 Q v. Certis signis calumniæ hic conuictus est,
 Abduce cautius, uinctum custodias.
 C L. Me consequere. Q v. Sed alterū huc accersier
 Cures. C L. Bene id curabitur. Veni.
 Ehem, tua ferocia nil effici,
 Nil te iuuabit ista torua luminum
 Truculentia. huc Abed senem istunc fistito.
 A b. Age nunc senex tuum dic testimonium.
 Non fallitur prophetes hic infantulus.

Ehem, tremis? reatus fortè conscius
Tibi es. Quid oris pallor? conscientiae
Signum? Tribunal hoc tibi est formidini?

S C E N A I I I I .

Damnatur Sedechias a Daniele.

Daniel. Sedechias. Quæ-
sitor. Populus.

HEm, degener Iudæa tuis natalibus.
Tu Chanaan sapiis magis teterrimam,
Te forma præstans, elegantiæ decus,
Vultusq; gratia impulit. Væsania
Hinc nata, amorq; flagrat cœco pectore.
Ingens furor libidinis cor occupat.
Multoq; retro tempore, atq; sèpius
Vitium obtulisti filiabus Israel.
Dolo malo pudicas usq; uirgines
Temerastis, ac matres familias malis
Violastis artibus: quibus celebritas
Eucata uestra diu formidini fuit,
Petulantiae uestræ parebant crebrius
Miseræ, fruentes uestra consuetudine.
Ast nata stirpe Iudæ fortior fuit,
Animus probus probis quadrat natalibus,
Aheneus murus uobis fortissime,
Inuicta uictrix non dignata cedere:
Sed restitit truci minarum fulmini,
Dulces preces uestras inermes reddidit.
Ensemq; melle tintum casta uiribus

Cœlestibus

Cœlestibus fregit, technasq; depulit.
 Gladio peribis ipse tuo nequissime.
 Sed ne putas fortè hoc ex composito geris,
 Dic quæso, qua sub arbore ipsos mutuò
 Deprenderis in horto amoenō colloqui?
 se Non fallor, arbor prinus est adulteris
 Veneris nefandæ testis, crede conscientia.
 DA. Sycophanta, am? Mentiris in tuum caput.
 Gladio Dei minister uindex imminet,
 nūc medium. Nam hæc ista est ultio,
 Si talionis poena hanc uindicauerit,
 Adiudicaueritq; uos dignæ neci.
 qv. Tanquam executor æquitatis strenuus,
 Committe eos si sit animus nunc colloqui.

P O P U L U S, ex Psal. VIII.

Q Vam tuum nomen dominator omnis
 Terminis terræ celebre, atq; miris
 Hoc modis clarum uolat ultra cunctos
 Vndiq; cœlos.
 Tu tuas laudes pueri tenelli
 Perfici plectro resonante, quo tu
 Destruas hostis pariter maligni
 Funditus artes.

SCENA V.

Populus. Quæsitor. Nomenclator.
 Præco. Cleter.
 Hominum fidem? Populares, indignissime
 Factum uidemus. Claret innocentia

B b b Nun*s*

Nunc coniugis Ioakim: Prò calumniam.

Quid talionis lex? Valet ne ea amplius?

Similis puto est aranearum stamini.

Q.v. Preco, iube silentium. Nunc legibus

Fiet satis. P.R. Quid uestra turbulentia

Sibi uult: satisfaciet prætor nunc legibus,

Temerarius scilicet binis multabitur.

Q.v. Vtrumq; testem rursum in circum sistite.

Apparitores, ad tribunal ducite

Senes reos, conuictos testimonij

Adulterati. C.L. Eatur ergo. P.R. Pergite.

SCENA VI.

Damnantur senes solenni iuris processu.

Quæsitor. Arradan. Dibon. Zaba.
Besasa. Dabranî. Iauâ. Agira. Gala-
ad. Histioth. Maloco. Hiero-
baal. Hedioth.

Qvamuis Deus iudex supremus omnium

Per pusionem uatem sic sententiam

Certam tulit, ne sit qui nunc id ambigat,

Quin ueritas rei clare detecta sit:

Iuris tamen processus hic ritu fori

Seruetur. Ac dicat qui uis sententiam.

Arradan id quod sentis, hoc edisse.

A.R. Iam uideo nil fidendum circumstantijs,

Nec fimbriæ, nec canis, nec propendulæ

Barbæ. Caper sic esset iudicatum ordine

Numerandus, atq; lupus hirsuto tergore.

Palinodiam

Palinodiam pudicæ fœminæ cano.
 Sed talionis pœnam his falsis testibus
 Adiudicauerim. Sed rex minister est,
 Si quis facit capital, tum iuris dictio
 Penes Nabuchadnezer est, non pessimum
 Regem, nisi quod incircuncisus imperat:
 Sed æquitate pollet plurimum. Dedit
 Nobis subactis, ut causis moralibus
 Ius limitandis esset: atq; legibus
 Permittit, ut sit uigor ille pristinus.
 Videtur ergo, rem referendam esse integrum,
 Et transferendam ad regem. Sic inibimus
 Dubio procul quandam tum beneuoleniam.
 Q.v. Dibon bone, quid animus tuus nunc iudicat?
 D.i. Non me fecellerat mens, quippe hos noueram
 Intusq; et in cute esse peruersissimos,
 Sed cordium scrutator corrigit uices,
 Omnia sub auras tempus aperiens refert.
 Age, exequatur rex quod iste protulit.
 Q.v. Dic Zaba. z.a. Si quid asperius in te Dibon
 Dixi, memineris me hominem errori obnoxium.
 Nam quod dedi, nolle datum. Sic iudico
 Ut iudicarunt hi, qui me prudemia
 Superant. Ero deinceps opinor cautior.
 Q.v. Dic Besafa. b.e. Sic ut Arradan sentio.
 Q.v. Dic Dabrani. d.a. Muto meam sententiam.
 Id accidit, quod euenit creberrime,
 Quæs lingua non frenata, quiq; impendio

Loquaciores. Nam tacuisse nemini
Nocet, nocet locutum. **Q**uam uicium sonat,
Quam nunc dedi hac in re, sententia: & solet
Prouerbio dici, quod sit oratio
Eiusmodi, cuiusmodi est qui protulit.
Hanc deprecor suspicionem, fratres pij,
Possem uideri esse Euripo inconstantior.
Necessitas cogit nunc uela uertere,
Palinodiamq; cantitare iniurie.
Nunc assero hæc matronam honestam, innoxiam,
Senibusq; quod dixit puer, pronuncio.
Q.v. Iauan tuum uidere dic. **I**A. Sto pristine
Sententiæ. Matrona nequaquam est nocens.
Mulcta graui capitis multandi sunt senes.
Q.v. Agira mentis sensa detege. **A**G. Amplius
Pronuncio, atq; lambda est noster calculus.
Ratio est, quod isthæc causa est admodum ardua.
Parum liquet, num quæ geruntur, sint satis
Rata, aut puer legitime ius dixerit
Impuber. Atq; recte iuris dictio
Transfertur, unde fluxit dignitas ea.
Verum bonus quæsitor hancce transtulit,
Quam non habebat propriam, suffragijs
Populi, atq; presbyterorum rite calculis,
Quibus ipse iudex noster constitutus est.
Oportuit mandari. ob hoc id irritum est.
Q.v. Dic Galad. **G**A. Credebam testimonijs:
Que iusta sunt, cum testibus fides bona est.

Hinc

Hinc sit quod hac in re muto sententiam.

Q.v. O Histiob, suffragium profer tuum.

H.I. Quid nunc Agira: arridet ampliatio?

Quid: ambigis' ne, an quid momenti

Habitura sit pueri: ast hoc crede plurimum.

Translatio est consensu facta maximo

Populiq; applausu: & quod tibi sit amplius,

Monarcha summus hanc in ipsum transtulit.

A quo uenit potestas omnis omnibus.

Negas: Rogo miraculum considera.

Fateberis dubio procul diuinitus

Hæc esse. prorsus nil mihi hic est irritum.

Q.v. Et tu Maloco dicio sententiam.

M.A. Consulueram prius, quod æquitas iubet,

Vt hæc foret probatio robustior,

Tecmerijs & coniectationibus.

Nec me fecellit. Id prudens sagacitas

Pueri potest. Senes nos ita fatuos

Væcordia occupauit, ut ne opus quod est,

Videamus in negotijs his arduis.

Quod si mihi pleriq; tum subscribere

Minime grauati essent, stetisset ueritas.

Sed stat, Deo laus, & modo isto clarior,

Quam si lateret adhuc iniquitas senum.

Q.v. Ierobaal tuum uidere detege.

I.E. Detexeram prius, sed me fecellerat

Maturitas senilis, atq; numina

Iurata. nunc necesse est ut sententiam

Mutem, sequarq; Dei tribunal. Q.v. Hedioth,
 Quid asseris? H.E. Bonas probo sententias.
 Q.v. Collecta nunc damnant senes suffragia.
 Si quod quibusdam non fidei satis queat
 Oraculum præbere. Restat amplius
 Nunc executio. En Nabuchadonosor,
 Rex en stipatus, en satellitum agmine
 Multisq; satrapis, illi mandabimus
 Negotium. Minister summi regis est,
 Quo de puer uates tulit oraculum.

SCENA VII.

Causa ad Regem defertur.

Signæus. Strategus. Nabuchadono-
 nosor rex. Aspenax magister eunu-
 chorum. Quæsitor. Achschedar et
 Persa, satrapæ. Pachus. Topar-
 chus. Adargazareus. Ephorus.
 Dethabraæus. Sym-
 bulus.

EN rex Babel Nabuchadnezer maxime,
 En concio populi Israel non infrequens.
 Si non meus me fallit uisus debilis,
 Forum celebrant. N.A. Sed quid pusio facit?
 Senes puello nimirum almum iudicis
 Pro more deferunt munus. Quid moris est?
 A.S. An Bel me amet, Nabuchadnezer inclyte,
 Est Belthaschazar hic puerus aulicus,
 Nuper meæ curæ mandatus, optimæ

Speci

Spei puer, nec non donatus indeole,
 Quam uero quis uellet in prole regia
 Videre. pollet is graui prudentia:
 Et ne suo fraudentur honore cæteri
 Qui nuper ex eo genere fidei meæ
 Sunt crediti, Babylonij felicius,
 Studijs suis pergunt in usum regium.
 Sed omnibus multo hic fiet præstantior.
 Columnen, decusq; regni longe maximum.
 N.A. Ain? Videntur uelle nos accedere.
 Sistamus hic gradum: miror, spectabimus.
 Q.v. Vinctos senes ad maiestatem regiam
 Ducite. Patres, eamus omnes obuiam.
 Vates puer, dextram mihi tu claudito.
 A.C. Veniunt ô rex Nabuchadnezer agmine.
 Q.v. Viuat Nabuchadnezer rex Babylonius.
 N.A. Quid fertis ô uiri? Quid isthæc concio
 Portendit: aut quid'nam uincti sibi uolunt?
 Q.v. O Rex Nabuchadnezer uictor maxime,
 Hi testimonijs confictis, et dolo
 Malo, pudicitia memorabili, et probis
 Castisq; moribus hanc mulierem, quia pia
 Non obsequi uoluit prauæ libidini,
 Satagunt ream facere. Sed nos tanta autoritas
 Virum sefellit, hancq; condemnauimus,
 Ut adulteram. Sed en Deus comparuit,
 Cum nulla spes salutis esset foeminæ,
 Misit puellum uatem, qui prudens

Excellis

Excellit omnes Israe lis arbitros.

Conuicit hos calumniæ. N A. Hiccine pufio?

Q V. Verum' st. P E R. Sagacitas puero est mirabilis.

Q V. Hos lex Dei nostri iubet mulctarier,

Legisq; sensus est peccati talio.

O Rex, tibi est in nos nunc iurisdictio

Capitalis, hoc tua æstimabit æquitas.

N A. Pronunciauit hoc puellus iudicans?

Q V. Imo. N A. Viri proceres, chariq; principes,

Miraculum hoc an non uidetur maximum?

Conuertere quæso uestra in hac re symbola.

A S. O Rex Babel, nil possum in hac re infringere,

Quin rata sint quæcunq; dixit Balthasar.

S T R. Humana uis non est, sed fit diuinitus.

P E R. Nō abnuo, crediderim hoc. s t. O Rex, placet.

Spes magna, Rex, relucet in puellulo.

Ornabit haud dubie regnum Babylonicum.

P A. Dico ratum. ratum esto quod diuinitus

Euenit. Esto oraculum. T O. Non displicet.

Hic temporis successu fiet satrapas.

A D. O magne Rex, spes ampla fit ex Israel.

E P. Secunda cuncta sunt, & regnum floridum est,

Dum hic incolit populus foelix Babyloniam.

D E. Mandetur ergo illis nunc executio,

Crescatq; Baltheschazar. S Y M. Consulunt bene.

O rex Babel, Nabuchadnezer maxime.

N A. O Israe lis arbitri, nobis placet,

Quod exules in nobis non conceditis

Patulam fenestram iniquitatibus. Probo.
 Calumnias maneto digna talio,
 Quam patria lex statuit, Mosesue dictitat.
 Nunc executio uobis commissa sit.
 Nos hic necis spectabimus spectaculum.

SCENA VIII.

Redditur Susanna suis. fit magna congratulatio.

Quæsitor. Susanna. Beniamín.
 Daniel. Ioakim. Rachel. Chel-
 kias. Promptula.

Susanna, singulare pudicitiae decus,
 Examen ignis aurum uirtutis probat.
 Prudenter appellasti summum iudicem.
 Congratulor tuæ saluti, & nescio
 An eße quicquam possit, quod gratum magis;
 Magisq; uolupe sit, quam quod tua modò
 Detecta (gratia Dei uiuentis) est
 Pudicitia salua, constans, integra.
 Fac modò animo præsentis cum coniuge
 Charo, tuisq; liberis. Deus bene
 Vortat, tibiq; optata semper offerat.
 sv. O summe deus, autorq; & rector omnium,
 O iuste iudex, me periclitari
 Sinis, perire non finis: præsens ades
 Tum, cum adeo uideor iam destituta maxime.
 Freti tuæ benigitati firmiter,
 Nunquam peribunt. quin submersæ funditus
 Tantis miserijs porrigena manum tuam,

Precor

Precor Deus ne me temptationibus
 Grauioribus posthac uelis committere;
 Quim uiribus ualidis mollem suffulcias,
 Si tam tuæ laudi sum accommodum organon.
 O Ioakim coniux, nati dulcissimi,
 Et uos parentes optimi, Deus potest,
 Ut iam liquet, miseros rebus iam perditis,
 In spem bonam & salutem præsentissimam
 Sic collocare, ne deinceps periculum
 Noceat. Opera Dei sunt mirabilia,
 Qui consilia hominum uiciſſitudine
 Inuertit, haud ullis modis reciproca.
 Quare Beniamin fili mi suauissime,
 Tuum fuerit isti lepido puellulo
 Grates agere de redditu matrcula,
 Quem summus ille iudex æquus arbitrum
 Mihi dedit, causam meam qui uindicet.

B E N. O Daniel, lepidum caput, facis bene.
 Qui pro tua commoditate meam matrem mihi
 Reddideris, hæc enim mihi est charissima.
 Habeo atq; ago tibi meritò nunc gratias
 Quam maxumas. Vbi quid usus uenerit,
 Lubens tibi benefaxo, pro modulo meo.

D A. Dicis benignè. En iam licebit gaudio
 Tuo frui. fruere, Domino Deo tuo
 Debes tuam matrem, cuius uices gero.

Q V. O Ioakim tuis lætor nunc partibus,
 Senes periclitantur, atq; in limine

Portus tibi est, tutusq; in uado nauigas:
 Dominum Deum, pro moribus tuis, time.
 De castitate coniugis iam certus es,
 Aurum probatum habes probationibus,
 Et liliū natum inter spinas asperas:
 Vxor tua uelut fructifera uitis siet,
 Prolesq; tua sit instar oliuæ plantulæ.
 Dominus tibi benedicat in Syon largissime,
 Sobolemq; postliminiò olim uideas tuam,
 Lætus redire. Quod si ea res tibi libet,
 Licet tuis de inimicis ulcisci modò,
 Et par pari rependere. 10. Non id moror.
 In auctoratos hoc decet pro munere
 Suo. Dominus etiam uindictam uendicat
 Sibi. Mihi priuato non decorum erit.
 Hoc lex iubet, ne interficiam ego proximum.
 Nobis magis conueniet lœtis hanc diem
 Domino Deo tripudijs insumere.
 Valete Presbyteri, censores Israel,
 Deo sint hanc ob æquitatem gratiae.
 O socia thalami, quæ fidem tuam mihi
 Seruaueris constans, ex quo conueneras
 Mihi in manus nubens. Quin uulgò dictitant,
 Castam esse eam quam nullus uir rogauerit:
 Tentata precibus, restitisti machinis.
 Non cessit animus, neq; uim pertulit tuus
 Pudor. s v. Deus uires dabat conatibus.
 Quod iactitem nihil est, studium boni Deus

Autor

Autor bonorum pectoribus mortalium
 Larga suabonitate inspirat. 10. O meum
 Decus, beatus sum, talis cui contigit
 Consors tori, tædis tuis felicius
 Aut auspiciatus nil usquam gentium
 Fuit. Parentem pulchra prole me facis.
 Iamiam pater iuuat procul forensibus
 Negotijs uitam meam consumere.
 Domus mihi deinceps amica, erit optima
 Domus. Deo uiuam, charæq; coniugi,
 s v. O gnata gnata, quām pectus salit meum?
 Affectibus uarijs rapior. Eadem dies
 Plusquam satis funesta apparuit mihi,
 Mihiq; reddidit te festiuissima.
 Benedictus esto summe rerum conditor.
 Valeat deūm uulgus reliquorum longius.
 Tu tu Deus Sion, tu inquam rectissimè
 Dextra administras mundi gubernacula,
 Tu flexuosa cuncta recte dirigis.
 C H. Tu uera prædicas, coniux, ô filia,
 O mi gener, fili mi lachrumo gaudio.
 Nam non queo modis alijs effundere
 Quod pectus insiliens eructat. s v. Mi pater,
 Materq; sic deinceps futurum iudico
 Castis locum matronis, ac puellulis
 Periculo tutum meo fore. P R O. Puto,
 Speroq; Nil uotis meis responderit
 Vnquam magis, nil ex animi sententia

Succeſſ.

Successerit magis unquam, quam castitas
 Secura, si non hoc nefas uel maximum,
 Pomario suo pudicam foeminam,
 Non dico ab hostibus sœuis, sed maximè
 Ab Israelis arbitris non tutam esse,
 Profecto nescio quid possit amplius
 Dici nefas, nisi sic Deus robur tuum
 Mea hera eo modo probè tentauerit.

sv. Quid? Hau mea tu, hoc absit mea **Promptula**,
 Natam hanc meam puellulam uolo
 Meo periculo laboribus consuescere.
 Si tu sapi, cauebis dein' ab ocio,
 Ne te in periculum præcipitem duis.
 Beatus ille certe qui ex alijs sapit.
 Sed hinc eamus, ne uideam hoc fecidiſsum
 Spectaculum, aut ne cui uidear uindictæ amans.
 10. Recle mones meum delicium maximum.

SCENA IX.

Sumitur de senibus supplicium.

Abed. Sedechias. Cleter. Achab.
 Quæſitor. Praeco.

Iam tempus ô miseri instat, ut uestrum scelus
 Luatis. s. e. Heus precor, sine ut populo loquar.
 A. Loquere. s. e. Viri, pueriq; extorres Israel,
 Babylonijq; ciues, hoc miseris date,
 Quicunq; publico splendetis munere,
 Cauete ne fraus ulla nec dolus malus
 Corda occupet uestra, aut praua libidine

Ccc Eustathis

Ruatis in præceps. Sapite periculo
Nostro. Facinori dignam pœnam pendimus.
Malum consilium consultori pessimum est.
Orate nunc Deum, quem iustum sentio,
Miseris suo ut parcat iudicio, quo satis
Habecat modo hoc paruo suppicio pro sua
Clementia, quamvis delicta maxima
Sient, sed hac magis ratione splendeat
Bonitas eius, magis si superet gratia.

A C. Sit fas mihi quoq; pauca proloqui. c l. Licet.
A C. Monuit meus socius probè, sed amplius
Monebo. Nam non sufficit, nec crimine
Proflus uacat, qui non designat: interim
Tamen manus muneribus gratis patent,
Cæciq; dorophagi ferunt sententias
Ad gratiam, quibus nos freti pessime
Deliquimus, Dicemq; prouocauimus,
Nostro iumento accersentes nobis malum.
Fortuna parcit in pœnam quam plurimis.
Velsic Deo uisum est, ut se se examinent,
Nostroq; damno agant nunc pœnitentiam,
Nec differant in sera fata piaculum.
Vestrae preces fiant pro nobis ad Deum.

A B. Ehem senes, Dice moras iam rumpere
Iubet. s e. Precor da paulum temporis
Deum precandi, si miseris auertere
Dicas uelit, & ultiones tartari.
A B. Est sera crede in fundo pœnitentia.

Sperat

Speras tuam Liten, quod Ate tempore
 Longo suis malis turbarit artibus,
 Sarcire posse? s e. Tanta Dei est benignitas,
 Suspirijs inclamo ex imo pectoris,
 Gemitujs pœnitudinis seras preces
 Eructo. Domine anhelas has uoces meas
 Accipe, tuas aures patulas pandas meis
 Precationibus. Deus, quis sustinet,
 Si iudicans scelera rigore examines?
 Finis licet nullus meorum criminum,
 Finis tamen nullus tuæ clementiæ est.
 Si tartari sum poena dignus maxime,
 At tu tamen non dignus, qui crudelius
 In noxios statuas. Saluabis Israël.
 O si salus communis hæc diuinitus
 Mihi scelesto iam queat contingere.
 CL. Licet tibi quoq; tuas preces attollere.
 AC. Ne sæuius domine Deus furor tuus
 Me corripiat, & ira in me commotior
 Nunc ingruens clementius me uerberet,
 En fulminis telum minatur acriter,
 Et immenens manus terrore concutit
 Mentem, & animus horret formidine nimis.
 O scelera tetra. non est ulla sanitas
 In carne tota, totus langueo miser.
 Dum mente concipio quandam iræ imaginem,
 Nec conscientiæ pax est meis in ossibus.
 Quoties recordor quam caput nequitia,

Verte^xq; mersus, quamq; onus pessundatum
 Grauiter premat, tremiscere tribunalia
 Possum tua, sed ea haud possum uitare. Væ
 Misero mihi, iustum tuam sententiam
 Non sustinere possum, ni miseratio
 Plus ponderis meis habeat nequitijs.

Q.v. Quamuis meum caput peccatis obrutum
 Sit, attamen mos urget, ut exordiar.

Patres domus Israel è medio malum,
 Ut dictitat lex Moseos, hinc tollite.

S.E. Animam meam tibi mandauerim Deus.

A.C. Animam tibi mando domine Deus meus.

C.L. Habent satis lapidū. A.B. Nūc tuta opinor et

Pudicitia. C.L. Viden quām torua lumina
 Hinc inde iactitant? A.B. Ne spes uos deserat,
 Cum patribus maioribus quiescite.

Q.v. Ponantur hinc ex anima uirūm cadauera,
 Terra^xq; mandentur pro more patrio.

P.R. Vixere. Nunc domum se quisq; conserat.

Exempla statuite ante oculos sibi

Quilibet. Adulteris sic fit in Israel.

C H O R V S.

Ex Psal. I.

B Eatus ille qui procul confessibus
 Et impijs mortalium
 Synedrijs, & peccatorum compitis,
 Solutus omni criminis,
 Nec occupet cathedras pestilencis

Cec

S V S A N N A.

403

Cæcus malis dogmatibus,
 Nec ludicris diorum mentes inficit,
 Felix et ter, et amplius,
 Totus uacans Dei sacratis legibus,
 Eas uolutans sedulo,
 Noctes diesque mente uersat candida.
 Is crescat instar arboris
 Adriuuli ripam sitæ pellucidi,
 Quæ leta tendens brachia,
 Fructus ferens suo rependet tempore:
 Cui non nocebit Africus,
 Non bruma frondibus comas detraxerit,
 Huic cuncta fient prospera.
 Non sic tibi, non sic continget impie,
 Sed tu peribis funditus,
 Cum uentus instar pulueris te iactitat
 Per aëra atque inania.
 Hinc fit, quod impios arbitrium Dei
 Pessundabit letaliter,
 Hircos ab agnis cum pastor sciumxerit,
 Quem nil latebit uspiam,
 Viam piorum cognitor iustus sciit,
 Mittet malos ad tartara.

E P I L O G V S.

Nil quicquam aliud est scena, præstantissima
 Viri, patresque consultissimi, mea
 Quidem sententia, quam clarum et lucidum
 Mortaliu[m] uitæ speculum, quod exhibet

CCC 3 Faciem

Faciem maligni seculi. sic Tullius
Romanus ille orator pulchrè comparat,
Cum differit, quid sit decorum singulis,
Iubet intueri Comici spectaculum,
Quo quisq; personam suam rectè gerit.
Sic contrà dum suum persona scenica
Seruat πρέπον, docet magis contrarium
Plerunq; quid deceat rariissimè docet.
Senes scelesti dum decorum sedulò
Custodiunt, docent senes longissime
Ceßisse ab officio, ac persona iudicis.
Susanna contrà sedulò seruat suum
πρέπον. Videbit hinc matrona moribus
Petulantibus, se iam ceßisse longius
Suo decoro. Ex paucis his sic cetera
Vos aestimate, dum is plectro uernaculo
Sonabit, ut cunctos populus intelligat.
Nos interim studij nostri specimen damus,
Non serij quidem. Hæc nobis sunt ludicra,
Quæ sunt grauia atq; utilia mortalibus.
Visum id satius, ac si nugas Tragœdijs
Agamus. hoc enim culpat parœmia.
Nos nostra sic studia semper paramus, ut
Lusus sit è republica. idq; honestius
Nos iudicamus, quam si rebus friuolis
Indulgeamus, in quibus non commodi
Qui cqu am est. Sed hoc uestrū fuerit manus Patr
Conscripti, ut hoc curetis inter cetera,

Ne detrimenti quicquam in herba publicius
Capiat status. Capiet uero, si parcus
Studijs datur fomentum liberalibus.
Aequi boniq; facite isthaec puerilia.

F I N I S.

CCC 4 MATHAEVS

MATHAEVS PHILAR.
gyrus Martino suo Osterminich.

HAec mandata dedit fortissimus ille
deorum,
Credita ne merces suffodiatur humo.
Fœlix, ô nimium fœlix, præcepta recondit
Qui iuuenum, expendens aurea dicta Dei.
His ego cum primis numero te dulcis amice:
Credidit en Christus munera larga tibi.
Ingenium fœlix, uarijs uirtutibus auctum,
Doctrina exuperans, religione simul.
Non tamen hoc terræ madas rubigine læsum,
Ut nibili seruus, quem cecinere Sophi.
Nec maculas turpi diuina libidine dona:
Non iacis immundo munera tanta luto.
Proijcis obsceno nequaquam est stercore amomum,
Néue sub ignauos lilia rubra sues.
Credita sed reddis multo cum fœnoredona,
Ut frugi sernus, quem cecinere Sophi.
Premia digna feres tanto pro munere, iudez
Talia cum dicet, Tu benedicte ueni.
Huc Paradisi acis interspacibere campis
Serue Dei patris, regna parata cape.
Idtibi contingat precor, alti scandere Olympi
Limina, quin uesti nectare & ambrosia.
Cœlicolas inter uitam det uiuere dulcem,
Et contemplari numina sancta Dei.

ET

ET MAIORVM SPLEN-
dore & indole sua clarissimo adolescenti Georgio
Heruuartto, Martinus
Ostermuncher S.

 Vamuīs parentis tui erga
 me liberalitas tāta sit, sua-
 uissime Georgi, ut ægrē
 uel minime eius parti fa-
 tisfieri possit: ne tamen animum gra-
 tum mihi similiter deesse existimares,
 sicuti facultas accepta beneficia tibi
 referendi deest, dies noctesq; (quam-
 diu me parentis fuit benignitas) su-
 daui, & summa opera in id unum in-
 tentus fui, ut quām primum ex aliqua
 lucubratiuncula cerneret, quām sim
 gratitudinis cupidus, et eximiē studio
 fus. Ad quod consilium & opem ha-
 bui doctissimi uiri Xysti Betuleij, præ-
 ceptoris mei omni honore dignissi-
 mi, abundantem, & ex omni parte cu-
 mulatam. Is equidem non solum uia-
 modumq; præscripsit, & monstrauit,
 sed et præcurrerit, ita ut nihil mihi dees-
 set in ipsius summa benevolētia et pie-

Ccc 5 tate.

tate. Drama nanc̄ sacrum uernacula
língua à se ante aliquot annos conscri-
ptum mihi dederat olim, ut id pro in-
genij mei tenuitate latinitate donarē.
non interim anxius curandos existi-
mans aliorum nasos, qui me forsitan
onus impar meis uiribus (ut prima
fronte uidetur) suscepisse clamitabūt,
indeq̄ risu & subsannatione prose-
quentur: modò tibi placerem, & ani-
mi mei gratitudinem, ut par est, satis
& abundē declararē. Præceptorī ob-
sequitus, id feci, quod multis me no-
minibus, ut spero, omnibus doctis &
pijs commendare poterit, Dramaq̄
datū pro exiguis meis uirib. ex Ger-
manico in latinum uerti: quod sub
tuo nomine (non ex me quidem, sed
præceptoris supradicti instinc̄tu, qui
facem mihi in hac tota re prætulit) in
uulgas propalatum uides. Ex eo au-
tem, quo me parens tuus, clarissimus
uir, & Augustanæ reipublicæ colu-
men maximum, Thubingam, ad
excellentissimum legum et politioris
litera-

literaturæ doctorem Melchiorē Vol-
marium , unicè obseruandum præ-
ceptorem misit , maiores eius par-
tem absolui , non ita fœliciter nego-
tio antea procedente . Tu , quic-
quid est , clarissime adolescēs , & qui bo-
niq; consules , & hīc summam animi
mei gratitudinem uelut in tabella de-
pictam contemplaberis , eā apud tuos
exornando , & me in plurimum amorē
rapiendo . Vale , Thubingæ ad quin-
tum idus Octobris , 1545 .

PERSONAE,

PERSONAE.

Daniel	prophetæ.	Sechania
Habacuc		Seraia
Balthasar	ministri Dani.	Zodak
Hanania		Cadmiel
Ariel angelus.	el.	Iozobad
Cyrus rex.		Iedaia
Arioth architriclinus.		Hasbaddana
Nehemias pincerna.		Philargyra
Archigrammateus.		Acolasta
Arbela.		Pachys
Sitophorus.		Philedona
Tamias.		Liberi
Symsai Secretarius.		Puer
Catacoemistes, à cubiculo		Aedituus
Præco.		Filius aeditui.
Elam hypoenocus.		Ministri regij
Rabsusin hypositophorus		Sanallabath præficiu
Nahthoma pistor. rus.		urbis.
Rabtabbath archimagei		Thecolatra
Satellites 4.		Polydemus
Archimedes	artifices	Stasiotes
Cylindrius		Thorybodes.
Genius		Vulgus
Sphæreus.		

B E L

Sacer
dotes

Vxores

ciues

B E E L,
TRAGOEDIA EX GER-
 manico Xysti Betuleij latine reddita,
 per Martinum Osterminche-
 rum Vindelicum.

P R O L O G V S.



To ostendam uobis quicunq; dra-
 mati
 Nostro interesse non dignabi-
 mini,
 Siue id spectando, uel solum legē-
 do sit,

Quem nam finem nos mente conceperimus
 Huius nostri ludi, paucis aduertite.
 Mundus fermè totus dissensionibus
 Inter se disidet, quantum ad ipsam fidem,
 Et religionem Christianam pertinet.
 Hic nanq; Petrum clauigerum censet deum,
 Alius Paulum insignem fulgenti gladio,
 Adorat tertius turriferam Barbaram,
 Mariamq; quartus, & quintus Elizabet
 Conspicuam frusto panis atq; cantharo,
 Et sic infinitos sibi constituunt deos.
 Alij, deinde diuino offusi spiritu,
 Vnum Deum colunt, eum qui condidit
 Cœlum, terram, mare, & quæ continentur his:
 Qui carne humana assumpta pro peccantibus,

Pilate

Pilato iudice ad crucem damnatus est,
Viuisq; exemptus inferorum contulit
Ad regna se, in quibus superato satana
Victor tandem surrexit luce tertia
E' tumulo. sublatus posthæc ad astra, ubi
Iam rector mundi dextræ patris assidet.
Surgunt hinc inde utrinq; bella atrocit.
Et qui Christum iactant, armis Mauortijs
Petuntur ab his, qui Christo posthabito
Idola honorant, et suam fiduciam
In idolis locant. Iam ferro dirimi
Pios uidemus, nunc flaminis flagrantibus.
Et sic quorum caro est infirma, territi
Multi fortem ducem suum Christum abnegant,
Iisq; se adiungunt cohortibus, quibus
Huius mundi monarchas atq; principes
Cernunt adiuctos, ubi securè uiuitur,
Vbi nulla perferenda est contumelia.
Tu Christiane, qui cœpisti agnoscere
Verum Deum, huiusq; audire euangelion,
Tuo sub duce miles constanti pectore
Perge esse, ne te multitudo tam frequens
Dominio aduersantium seu arma tyrannica
Auertant. nam qui te afficit iniuria,
Sibi id Dominus adscribit: qui te negligit,
Hunc ipsum negligit, qui cuncta territat.
Quod cum sit, et Dominus huc usq; à condito
Mundo nunquam sœuire impune fuerit

In se turbam impiam, quid est quod horreas?
 Tuos namq; hostes luctus, & te gaudium
 Manet: luctus inquam, qui sit perpetuò
 Duraturus, nullis precationibus,
 Nullis uotis, nec exorandus lachrymis.
 Dilucide hæc uobis nostrum drama exhibet.
 In quo sub sacerdotibus, & ciuibus
 Babylonicis, uera Satanæ ecclesia,
 Quæ idololatras comprehendo & antitheos:
 Sub Daniele uero Christi pingitur,
 Quæ uno Deo, hoc est Christo capiti suo
 Addicta, uexatur incursionibus
 Idololatrarum, & longè afflittiſſima
 Letos tandem & triumphos inclytos agit
 Sicut fidelis triumphauit Daniel,
 Ereptus de fauce leonum frendentium.

A R G U M E N T U M.

Terra est quam uocamus Babyloniam,
 Propinqua & adiacens Iudaico solo.
 In hanc captiuua olim ducta est gens Israel,
 Coacta ibi uanum colere idolum Beel.
 Quod cum diuinus recusasset Daniel,
 Sacerdotes urbis Cyrus rex conuocat.
 Conuincit hos uates, & fraudes detegit,
 Ferocibus inde exponuntur leonibus,
 Idolum Daniel cum templo destruit.
 Peractis his, Draco adoratur ciuibus
 Babylonicis, sua quem prophetes manus
 Necat, quo concitatum vulgus humile

Senem

Senem rapit, leonibus similiter
Exponens is diebus atq; noctibus
Septem salutis uersans cum bestijs,
Ex antro liberatur: huic succedere
Coguntur autores. sic ludi finis est.

A C T V S P R I M I,

S C E N A I.

Aedituus. Puer aeditui. Sacer-
dotes. Cyrus Rex, cum
satellitio.

HAud arbitror prætermissa à me tempora
Villa esse unquam, quibus non laborauerim,
Et diligentiam permagnam impenderim,
Ut munere hoc quod obtulit Beel mihi,
Sic fungerer, ne quis mihi quid uitio dare
Posset, & exprobrare negligentiam.
Quid quæso postea mihi agendum putem?
Quid? dum uidere clara solis lumina
Meus dabit Beel, sudabo per uigil,
Ut omnes uno ore extollant laudibus,
Et sentiant me longè eos præcellere
Opera, studio, fidelitate, industria,
Qui præfuerunt ante me templo & sacris.
At multa quid iacto? probum exhibebo me,
Fidumq; & rebus in omnibus perstrennum.
Ac iam primum omnium curanda sunt sacra.
Heus tu puer, mihi pignus suauissimum,
Ades, iuua patrem, p v. **Q**uid est quod me uelis,

O mi parens? tibi commodare qualibet
 In re uelim, tenella si tantummodo
 Aetas queat, minusculæ & uires meæ.
 A.E. Laudo indolem tuam, parentis unica
 Opes, tuæq; matris dulce gaudium:
 Campanula hac, ut poteris, pulses fortiter.
 P.V. Fiat pater. A.E. Nunc satis est, discedas domū,
 Dicens matri, curare prandium uelit.
 Sed ecce sanctiores huc se conferunt.
 Domini, neceſſe erit ut præstolemini
 Hic paululum, donec faces accendero,
 Atq; interim quoq; cum suis Rex adueniet.
 Verum nil obſtat, si iuuabit, psallite.

CANTVS SACERDOTVM.

DEum Deus quam maxime,
 Quam pura sanctimonia,
 Et quam submissa pectora
 Tuæ plebis sint, respice.
 Defende gloriam, Beel,
 Tuam, superbos uindica,
 Et hostium blasphemias
 Extingue, quæsumus, citò.
 Elata colla deprime,
 Et arce uim sœuissimam,
 Nocere quæ tuis queat,
 Semper tibi sit gloria.

Ddd

SCENA

**Archigrammateus. Cyrus Rex,
cum Satellitio.**

Vix mente consto, & extra se cor ponitur,
Sic me mouet spreti Beel iniuria.
Nec animus hic meus solum percellitur,
Sed totiusq; corporis membra omnia
Horrent, stupent, tremunt, ac si cruenta mors
Me spiculis suis petat lethalibus.

Incertus hæreo, hoc malum cui deferam.
Sed rex adest: ni fallor, è templo hoc uenit.
Huic indicabo, qui me uexet scrupulus.

C Y. Quid scriba tam anxium potest tenere te?
Et quid modò hue, modò illuc ipsa lumina
Suspirijs uoluta, præferunt mali?

A R. Ah mi Beel. C Y. Quid ingemiscis obsecro?
A R. Nil. C Y. Dicito. A R. Nil. C Y. Re uolo expisa
An quid tibi aut tuis pericli contigit? (rien)

A R. Nihil, sed hoc dolores tot mihi excitat,
Quod undiquaq; Bel noster contemnitur,
Spernitur, & ignominiose illuditur.

C Y. Quid audio supreme Beel? capum hæc meum
Superant, an in nostra aula blasphemator est?

A R. Est, Daniel latro notæ quam pessime,
Deprehensus est talis, negare non potest
Quin ipse blasphemator sit asperrimus.
Hic ille curuus ne tanti quidem facit
Beel, sed aspernatur atq; despicit.

Quod

Quod certe utcunq; tolerari æquo quidem
 Animo posset, nisi alij adhæceret deo,
 Eumq; inter uulgas tentaret spargere.
 Quod si petas Rex magne testimonia,
 Aliorum erunt (nisi crede) multa millia
 Nostrorum ciuium, quæ illum conuicerint.
 Quare si regno con sultum tuo uelis,
 Eradicabis funditus hunc apostatam.
 c v. Bene est, probe mones: hæc res si clarior
 Eluxerit, luet luet dubio procul.
 At nunc tamen conabor, an auertier,
 Poßitq; reduci ad sanitatem pristinam.

SCENA III.

Daniel. Cyrus. Satellitium:
 Erfisco infidias mihi clandestinas
 A ueritatis aduersarijs strui:
 Nunquam tamen mali tanta erit copia,
 Que me à cultu Dei mei deterreat.
 Teneo satis, quod perditus Satan, ut est
 Non impiger, ambulet locis in omnibus,
 Et angulis terræ, ceu rugiens leo,
 Querens sua quem fauce deuoret rapax.
 Qui si nihil queat sanctis Dei optimi
 Prestare incommodi, aut si uersutia
 Pios sua non est potis seducere,
 Tamen mille artifex haud unquam desinit
 Hostilibus iustos tentare machinis:
 Videlicet suos ministros instruit,

Ut auxilio illorum damna inferat probis.
 Hæc quamlibet mentem possint consternere,
 Veruntamen uel centum nullia hostium
 Timebo ne uitiam, etiam potentium
 Crebro caput meum iaculis lethalibus.
 Dominus enim colaphos incutiet maluerolis.
 Is turris est, & arx mihi fortissima:
 Cuius potentia nisus & squallida
 Cum morte ausim procedere in militiam.
 Cuius uoluntas ut fiat in omnibus,
 Sic illius nomen laudetur undiq;
 Sed ecce Rex noster recta huc tendit uia.
 Praeferens haud uulgarem tristitiam.
 Est hercle quod dolore cum magno afficit.
 c v. Saluos sis Daniel. d a. Rex inuictissime
 Salue. c v. Cupis causam aduentus mei? d a. Cupio.
 c v. Mi Daniel, audiui nostrum numen abs
 Te despici, nec eo modo aestimarier
 Magni, sicut uirum decebat candidum.
 Atq; quod in primis dictu est mirabile,
Quidam mihi de te narrare, scilicet
 Illum Iudaicum deum te agnoscere.
Quod hercule per intimas cordis mei
 Penetrat medullas, atq; mentis impotem
 Penè facit, ut possim fateri liberè,
 Tam magnum me, quamuis perpeßum plurimam
 Dolorem non coepisse ex ullo unquam malo.
 Res ardua est sanè, nec non grauißima,

Ita ut sciam me horis nocturnis s^epius
 Nullum meis uisurum oculis somnum, quoad
 Versabitur res omnis h^ac in cardine.
 At me tui miseret non parum Daniel,
 In tam nefarium incidisse te scelus,
 Tam turpiterq; notam ingratitudinis
 Parasse: non te talem iudicaueram.
 Cur non tuæ uitæ statum miserrimum
 Consideras, in quo uiuere coactus es
 Statim ac parens in hanc te lucem protulit?
 Videlicet quam durum humeris tuis iugum
 Captiuitatis detestandæ gesseris?
 An immemor mei erga te es beneficij?
 An nescis, & ex mente decidit tua,
 Quantum tibi præ cæteris persoluerim
 Precij? nempe quod seruitutis uinculum
 Rupi, ut essem liber, totoq; in orbe celebris?
 Ego te uirum feci excellentem, & splendidum,
 Magniq; nomini apud omnes principes.
 Omnes tibi cedunt, te obseruant unicum.
 Tute hactenus circumlatus ore omnium es.
 Igitur foret turpisimum, laudes tuas,
 Famamq; magnificam, atq; cunctis cognitam,
 Verti in maculosam infamiam.
 Hoc ne accidat, tibi consulam fideliter.
 (Existimes enim me noctes & dies
 Curare, ut bene siet tibi, charissimo
 Mihi seni, inter omnes quotquot confoueo)

D d 3 Quapropter

Quapropter si qua gratia
 Ignobile apud uulgas, & primarios
 Etiam uiros ualere ex animo gestias,
 Sic uiuito, ut hominum consuetudo exigit.
 Alioquin inimicos inuidos pares,
 Et incurres in acerbum omnium odium.
 Nanq; hunc amant ut plurimum, qui cuiuslibet
 Obtemperare sic studeat sententiae.
 Ut nemini rebellis sit, & nemini
 Aduersus, sed in omnibus consentiat.
 Desiste nunc ergo, ne quid noui inseras
 Reipublicae: nec concites plebeculam
 Rudem, si uis diu ut te amore prosequar.
 Qui si in furorem conuertatur impium,
 Hoc dixero, quod in me non sit amplius
 Ullus locus clementiae.
 Ergo iterum atq; iterū adhortor te quam maxime,
 Ut hac relligione tua falsa posita,
 Beel colas sceptrum ut decet flexo genu.
 Quod si meis monitis locum reliqueris,
 Experieris certe quantum inde foenoris
 Breui tibi possit cedere.
 Tantum habeo affirmare, & planè promittere,
 Donec tibi in tuo futurus corpore
 Sit spiritus, nulla te unquam molestia
 Oppressum iri, quin solus foelicissimus
 Eris, eminebis inter ceteros uiros.
 D a, Absit procul, nec hoc Deus concesserit,

Me cæcitate tam nefanda inuoluier,
 Ut prosequar diuis honoribus Beel,
 Inane scuptile, in quo nec tantillum inest
 Diuinitatis, quo uel præstat quilibet
 Hominum, quamvis mortalium.
 An' non agi uiderer ipsa insania,
 Si duplices tollens manus procumberem
 Vel antelignum, aut ante saxum tetricum,
 Quibus materijs Beel formatus est?
 Non ulla uis, non ulla me uiolentia
 Auertet, quin non fatear liberrimè,
 Vanum esse quicquid præter unicum
 Ducem rerum inuocatur, uel terra, uel æquore.
 c. v. Echo quid audio? an' non ut debes Beel
 Posthac coles, qui cultus est à condito
 Orbe & uiris & foeminis, & omnibus?
 Cuius potentiam indies cognoscimus,
 Cuius diuina uis ex plurimis micat
 Signis, ut haud dubium sit quid subesse numinis?
 Considera quid sumptus in hunc unicum
 Ego conferam, & intelliges tum planius
 Num sit deus, num sit colendus, reliqua
 Ignobili spreta diuūm plebecula.
 Certissimum est, ut scripta maiorum indicant,
 Nostrum nihil uitali posse spiritu
 Frui, nisi id edat bibatq; ad corporis
 Infirmi fulcimen & sustentaculum:
 Sed ille luce qualibet, statim ac nitens

Opaca noctis nubila Phœbus depulit,
 Bis sex panes, & illos maximos uorat.
 Quibus tamen uenter capax non fit satur:
 Imò quotidianie ingentia bidentium
 Corpora ouium uiginti bis, & plus glutit.
 Ad hoc uini dulcissimi sex amphore
 Nihil sufficiunt: quas exhaustit eo modo, ut
 Iurare possis, nil prorsus appositum ei.
 An non uidetur sumptus esse, Daniel,
 Quapropter quis iure optimo non diceret
 Hunc omnium deum esse longe maximum?
 D A. Nullo Deus cibi aut poti genere utitur,
 Ut fragiles & ægri mortales solent,
 Qui quolibet die prescripto tempore
 Epulantur, & sumunt quod ipsa postulat
 Necesitas, uidelicet quo terreum
 Corpusculum firmetur, & caro languida.
 Nullo Deus cibi aut poti genere utitur,
 Cum sit dubio procul solummodo spiritus,
 Non uisui obiectus, nec mole carneæ
 Indutus, ut sibi persuadent inscij.
 Hic ille sidera incolit flammantia,
 Manu sua sceptrum tenens, quo circulum
 Rotatilis mundi gubernat & regit.
 Huius ferax tellus scabellum dicitur,
 Huius nutu creata pendent omnia.
 Non est, mihi credas, non est obnoxius
 Vlli ruinæ, sicut cæteri dij.

C.Y. Obiectus ergo est, ut dicis, Bel casibus?
 D.A. Quid obstatet, cum uisui sit obuius,
 Et tactui, cum sit ex terra conditus?
 Quæso quibus probas tum Beel deum,
 Qui scilicet potestate in homunculi
 Fuit, fieret' ne formæ huius, an aliter?
 Hoc dixerim uilissimum passerculum
 Longissimè uestrum Beel præcellere:
 Quod olfacit, tangit, gustat, audit, uidet:
 Quæis omnibus caret Beel, uestra anchora,
 Ad quam rebus in aduersis confugitis.
 Quod si hæc in hanc, Rex magne, meam sententiā
 Te uerba non trahunt, adhuc alia afferam.
 Non arbitror latèrē ullum mortalium,
 A' sordibus numen debere liberum,
 Et immune esse ab omni turpi crimine:
 At si Beel sic adeò infanda crapula
 Conuincitur, labe omnium deterrima
 Quotquot scio quibus succumbit lubricus
 Homo, iam deus nullo modo censendus est.
 Sed quid opus tanto uerborum circuitus?
 Ego omnino mecum constitui in pectore,
 Nihil non me prius experturum, quam hūc Deum
 Negem, cœleste qui regnum Rex occupat.
 Valeat Beel, ualeat uulgas ignobile
 Diuum: sint qui uelint, quos homines inuocant.
 Deo meo soli laus sit et gloria,
 Cuius diuina uirtute atq; robore

D dd 3

Confus,

Confusus, non mundus, non mundi signifer
 Satan, non tartarus ipse refertissimus
 Cacodæmonum, mihi terrori esse poterit.
 C. Y. Proh Bel, quid audio ex hoc deliro sene?
 Eo n' redijisse, ut nullus sit honor tibi?
 Ut tu, quem ueteres tam multis seculis
 Coluere, iam nullus, uili & passerculo
 Minor habearis? quo usq; obsecro feres?
 Catacœmista, c. A. Domine. c. Y. Prodito. c. A. qd est:
 C. Y. Coetum sacerdotum festinare huc iube.
 C. A. Meam rex magne uidebis promptitudinem.
 C. Y. Per imperium, per sceptra, per Babylonicum
 Nomen tibi iuro Daniel, poenam te eam
 Daturum, quod si iniuste spreueris Beel,
 Cuius atrocitatem magnam nullius
 Sonori gutturis facundia protulerit,
 Tendes me spectatore, ni mors præueniat,
 Dolore plenus & cinctus moesticia,
 Tendes inquam tremulas palmas ad sidera,
 Raucedine senili complens aera,
 Cum sera te monebit poenitentia,
 Cum lachrymas, cum uota incassum fuderis.
 Tun' audes te preponere his qui mysticis
 In rebus sunt doctissimi, quibusq; sunt
 Reclusa arcana Dei, quem nos suspicimur?
 Tun' tam late patentem tellurem undiq;
 Decoratam uiris exercitiissimis
 In rebus ad diuina pertinentibus,

Erroris argues: duram prouinciam
 Hoc est suscipere, & onus impar uiribus.
 Prædixero tibi, caue caue oculatior,
 Ne exedere oporteat te quod ultrò interis.
 Nihil tamen temerarius decreuero,
 Sed æqua lance ponderabo singula.
 D A. Nullas timere magne Rex minas queo,
 Dum præpotentis Domini dominantium
 Oculos super hunc suum crebro iustissimos
 Sciam esse: quo tutore nemo cadat animo.
 Qui quamlibet corpusculum hoc perfragile
 Durißimis sæpe obijci miserijs
 Sinat, nec non omnino perdier,
 Animam tamen summis reseruat gaudijs,
 Quæ sit olim uictura in cuncta secula:
 Cuius nomen benedictum in æuum omne sit.

SCENA IIII.

Catacoemistes. Cyrus. Archigram
 mateus. Sechania, cum reliquis
 sacerdotibus.

Enimuero non amplius segnitiae
 Socordiæq; ullus locus linquendus est.
 Nam quid mali futuri mens præsagiat,
 Niſi oxyus tumultus & discordia hæc
 Sedetur, nescio: fieri ædepol queat,
 Ut corruat, & solo æquetur tota Babel.

Etenim.

Etenim de lana caprina, quod dicitur,
Contentio hic non est, sed de grauiſſima
Re, quæ multis poſſit afferre exitium.
Sed ago moras, quin fungar officio meo.
Rex magne, quod mandaſti, feci ſedulò.

C V. Bene actum eſt, tu me comitare Daniel,
Tragoediam iſtanc pacari curabimus.

A R. Hem magne Rex, coetus sanctorum confluſit.

C Y. Sacerdotes Beel, patres sanctissimi,
Huc uos ueniffe corde lætor intimo,
Præſentiam ueſtram credens nobis bono
Fore, & auſpicatam Reipublicæ.

Quare ſic animum uobis affero meum,
Ut hunc niſi atra mors nil ſeiuncturum fit.

S E. Inuictus rex, haud nos ea ignorantia
Habet, aut habebit unquam, ut ſimus inſcij.

Dies noctesq; ſingulis noſtrūm nihil
Prius, nihilq; debere eſſe antiquius,

Quām fiat ut ſatis maiestati tuæ,
Si quid præceperit hæc. nam potestatibus,
Et his qui ſceptro regio præ ceteris
Inſignes ſunt, ualde pium eſt morem gerere.

Quoniam uero benignitas Beel diu
Tam ſtrenuum te fouit pietatis ducem,
Qui ſuſtulit ſemper quæ gloriam ipſius
Labefactare, & obſcurare uifa ſunt:
Et iam negotio tempeſtas ingruit
Diuino pergrauiſ, nos merito nauibus

Et quadrigis enixè laborabimus,
 Ut quantum in nobis situm erit, malum imminens
 Demus quieti, te solicitudine
 Et cura liberantes, si qua es saucius.
Quod accidet, si Bel pīs precabimur
 Votis, gerentes intus corda candida,
 Si sēpius sacratum altare implebimus,
 Et uictimis crebris, uinoq; limpido.
 At indicari, si maiestati placet
 Tuæ, uelim nobis, quid hoc rei siet,
Quod accersiti sumus huc more insolito.
 Spero iuuante Bel fortunata omnia
 Futura. A R. Faxit Bel monarcha maximus.
 C Y. Thronos capessite ô patres sanctissimi,
 Dum Grammateus rem uobis enarrauerit.
 Fac Grammateu, diserte uir, fac indices
 Dominis negotium, ut potes, pauciſſimis.
 A R. Faciam meum officium, Rex magne, ſedulō.
 Viri patres, ſatis res hæc eſt ardua.
 Pectoribus hoc firmis, hoc tutò credite.
 Et cauſa talis eſt ueſtre præſentiae,
Quæ regem, et quenq; pium, cui reipublicæ
 Salus curæ eſt, merito tenebit anxium.
 Aiunt Beel, quem tam diu ſuſpeximus
 Velut deum magnum, eſſe idolum ſculptile,
Quod ſtruxerit manus fabri lignarij.
 Et ut apertius dicam, tot copias
 Magnorum ſumptuum perire penitus,

Quoniam

Quoniam his Bel frui non posse comprobant,
 Qui sensuum non sit donatus munere:
 Qui nullius usus, sed truncus sit mortuus.
 Quis ergo tot petulca agnorum corpora,
 Quis tot uorat panes: unum quis ebit?
 Hunc expedite paucis ancipitem nodum,
 Si seculo uelitis capite uiuere.
 Quod si fueritis doli expertes mali,
 Ne unum quidem pilum amittetis, credite:
 Si autem nefarijs technis & fraudibus
 Deceptos nos usq; huc sub auram prodeat,
 Tetram ad mortem euestigio accingemini.
 s.e. Ita n' maligna fama regis pectora
 Inuertit, & falsam incusit sententiam?
 O peruersam mortalium nequitiam,
 Quam non fides ulla integra est hoc seculo.
 Per Bel quæso, rex inuictissime, si nas
 Vanam opinionem, & uanas uulgi fabulas,
 Et mitiges mentem furore percitam.
 Nihil etenim subire nos magis iuuat,
 Quam te docere eo pacto, ut intelligas
 Quicquid clamosum uulgs ad te detulit,
 Instabile esse, & subdolum id mendacium:
 Sicut patet citra omnem controuersiam,
 Nil imposturæ prorsus exercere nos,
 Sed Bel deum esse, quem tellus Babylonica
 A mole mundi condita usq; in hunc diem
 Studiose magnificit, id quod indicant

Geminæ manus sublatæ ad celsa sidera,
Flexi pedes, nudum caput, & pie preces.
Quapropter ausim dicere, blasphemiam
Fœdißimam esse, tam mordacibus Beel
Iactare uerbis, & conuiciorum insequi
Licentia tanta: ulciscetur hoc breui,
Et obruet scelestos, qui audent talia.

Vbi de numen cognoscetis quam simus candidi.

A.R. Quin dicitis, quis tot sumptus consumpsit?
Quos omnibus modis rex cumulatissimos
Fecit multos annos, unius gratia.

Mirum est tantum esse comedonem posse deum,
Cui nec census sufficiunt, nec redditus.

Senex hic canus nunquam laudatus satis,

Vir magni nominis, cuius prudentia,

Et summa perspicacitas est cognita

Ab hinc usq; ad astrorum nitida lumina,

Nec non Antipodas, quo demum sub æthere

Non accurrior ueri inquisitor est,

Hic ille argumentis certè euidentibus

Docet, Beel nihil minus esse quam uerum Deum,

Atq; inde sumptus non peruenire ad eum.

Ob quod cupit uobiscum literarium

Inire certamen: quare adarmemini.

Quod si potestis illius propellere

Acuta iacula, & acutioribus

Superare, restabit poenam det, asperam

Mortem ferens, dignum patella operculum.

*Si autem minus uobis cedet uictoria,
Præ foribus uestris horrenda mors erit.*

D A. *Quod dixi, dixi, constans prædicta assero,
Quæ quod uerissima sint, probabo magne Rex:
Sed id facturus sum Deo meo auspice,*

*Quo opem ferente ostendam tam dilucide
Vestras technas, dolos, fraudes, uersutias,
Quibus rudem seduxisti plebeculam,
Quam lucida sunt poli depicti sidera.*

Vos quid moramini? quid statis hic rogo?

*Quin innocentiam uestram depingitis
Coloribus suis? quòd si obtinebitis*

*Id, quòd lignum deus sit, palinodiam
Canam statim, & uestram mandabo literis
Industriam, ut eius nemo non sit memor.*

S E. *Per Bel te quæsumus rex inuictissime,
Ne uanis te nugis sinas seducier.*

*Nos equidem nihil timemus, nec existimes
Defectionem ullam apud nos iactarier,*

*Imò ipse uidebis successu temporis
Quis' nam humectaturus genas tepentibus
Sit lachrymis, & quis euulsurus dolens
Capillos sit, cum sera pœnitentia,
Et pectoris emendatio nil proficiet.*

*Verum ut palam fiat nostra innocentia,
Sic magne rex mihi uidetur optimum,
Ut places ipse sacrificio Beel,
Manuq; propria templi claudas ostium*

Tuo sigillo,

Tuo sigillo pro tua prudentia
 Obsignans, & co modo communiens,
 Ut accessum nulli patere liqueat.
 c.v. Bene est, istuc consilij mihi non displicet.
 Atqui introibo. Daniel est quod tibi
 Loquar: uos interea in templo parabitis,
 Domini, uestras res, donec adsint singula.

S C E N A V.

Sitophorus. Nehemias. Elam.
 Rabsusin.

Ius sit me rex, ut iam relictis omnibus
 Curarem Bel honorari sacrificio.
 Faciam, quia id mei esse muneris scio:
 Et promptitudinem meam auget plurimum,
 Quod uenit tempus, quo indaganda ueritas
 Sit, sed uelim Oenochum quoq; certum redditum
 Ista de re:nanq; & ipsius interest.
 Sed ipius aduenit, celeri incedens gradu.
 Quid est quod sic uolat præter morem suum?
 Adibo: salve Nehemia. n.e. Et tu plurimum.
 s.i. Nil rex tibi dixit? n.e. Nihil, quid dixerit?
 s.i. Sacrificandū est Bel. n.e. Recte me cōmones.
 Rumpamus heus moram, deum colamus omnibus
 Posthabitatis, ut decet, qui nos clementia
 Mira gubernat, & qui fons est uiuidus
 Cunctæ salutis hac in uita fragili.
 Sed ubi ministri sunt? quid contrahunt moras?
 s.i. Adiūt domine, quid est quod transfigi uelis?

E e c n.e. Re-

N.E. Repleteis' ne amphoras? EL. Nō. N.E. Replete
Suamq; partem in templū fert quilibet: (ocytus,
2 L. Nil promptius faciā. R.A. Scio quid sit meum.
N.E. Nos inter im templum petemus, uocibus
Castis precantes Bel, ut auferat malum,
Si quod rem publicam posset subuertere.
S1. Placet, probè dicis: Beel fortunet omnia.

SCENA VI.

Cyrus Daniel Nahthoma Rabtab-
bat. Elam Rabsusin. Sechania cum
reliquis sacerdotibus. Bal-
thasar. Aedituus.

V Era indicas, sic res se habet:
Sed cœpta perfici modò curabimus.
D A. Placet via hæc fugande noctis algide,
Et lucis almæ consequendæ, in qua ambulans
Se prosperum uerè esse quis aduerterit.
Nunc laus sit autocratori quam plurima,
Illi Deo sit laus, qui lucidum poli
Struxit globum, ex uario adornauit sidere,
Quirauco cinxit terram ponti murmure,
Et qui soli feracis molem condidit.
Hic namq; preces fusas suscepit auribus
Pronis, et uota respexit serui sui.
Vix sum potis mouere pedes ob oneris
Grauitatem summam: resumamus spiritum.
N A. Socij, quam ualde lassa sunt membra omnia.
Merito in suam tutelam nos Bel suscipit,

Cui

Cui tam magnificas munistramus dapes.
 Mihi nunquam insignior uisus est helluo.
 R.A. Haud credo quod solus infamat omnia?
 Nisi id uerum est, quod uentrem instar uinarii
 Cadi distentum habeat. uerum quicuimus
 Satis superq; res abeamus postulat,
 Leuate nates, heus heus accingimini.
 Nisi me fallunt oculi, noster pistor obdormiit.
 Dij te ament, sic rem diuinam Nahthoma
 Curas: cras stertito, iam tempus aliud exigit.
 En somniatorem, uix dum expurgiscitur: (caput.)
 N.A. Quām sunt grauati oculi, & obtusum quām
 Eamus, ecce in templo cuncta perstrepunt.
 C.Y. Sacerdotes pij, Beel sacrificium
 Offerte: nam in promptu est, ut ipsi cernitis.
 B.E. Ecquid nobis causæ tantæ arrogantie,
 Tanti tumoris & insolentie fuerit,
 Ut magne rex rogari nos oporteat?
 Imò tuo ex nutu pendemus, & tuum es
 Ceruicibus nostris quiduis imponere.
 Atq; ut procedat magne rex negotium,
 Diuinum opplebimus altare sacrificio.
 Tute interim prostratus, & presso ad solum
 Vultu, sed ad poli splendentis aera
 Mentis piæ sublatis oculis, inuoca
 Ut conuenit pro sanctitate tua Beel,
 Id Daniel quoq; cum tota aula fecerit.
 D.A. Os impudens, an non scis me autocratora

Meum colere, & non aliis implorare opem?
SE. Scelus. D A. Tuum cura, nec me respexeris,

CANTVS SACERDOTVM,

O Beel uasti moderator orbis,
Dissipa murmur tacitum tuorum
Hostium, nomen tue are sanctum,
 Tolle superbos.

Fac sciat passim spacioſus huius
Circulus mundi, scelerum potentem
Vindicem te perpetuo fuisse,

Et fore posthac.

Porrigas nobis ualidum tuarum
Robure & uires manuum, rogamus,
Nomen & laudes regimenq; nostri
 Regis adauge.

ALITER.

TE laudibus Bel inclytis,
Tuam canimus potentiam,
Te cuncta gens concelebrat,
 Totus te mundus suspicit.

Nos consecrati cultui
 Tuo, solum in te fidimus.
Plebs nostra, rex, & principes
 Omnes te agnoscunt unicum.

Et contra nomen Daniel
 Solus tuum recalcitrat.
Quare precamur supplices,
 Auerte hanc pestem penitus.

Vires diuinæ exhibe,

Fac contremiscat ante nos

Tuo furore territus,

Tibi sit laus & gloria.

P R E C A T I O S E C H A

nixæ ad Bæel.

Bæel Deus, cuius non est effabile
Nomen, cuius humana lingua gloriam
Præconio nullo potest depromere;
Tu qui per amplam huius telluris machinam
Extendis brachium tuum, qui nutu territas
Arcem cœli, & iuga ardua terræ montium,
Et æquoris tumultus, deniq; omnia
Solus potes: cernis quo te eludat modo
Daniel, osor tui impius, quo perplaceat
Pulchrè sibi, arbitrans sui esse muneris.
Si quid queat moliri in contemptum tui.
Quare deus tui nunc tandem nominis
Vlciscere blasphemiam, quo cæteri
Graui periculo discant, te unum deum.
Sacrificium hoc sereno uultu suscipe,
Quod exhibit pium cor regis optimi,
Quem attollas ad fœlicitatis maximum
Culmen, fac semper pacem tranquillam ambiens
Iusto suum sceptro gubernet populum,
Huius semen benedic, & omnes posteros.
Et insuper nostram salutem protege,
Ne quo malo hec ruat, & tollatur impetu

Bæs 3 Hostiliæ

Hostili:nam uidetur imminere iam,
Nobisq; instare nescio quid incommodi.
Quod si premamur qui sumus sancti tui,
Premetur et nomen tuum atq; gloria.

S E C H A N I A A D R E G E M. An alme rex nuc quid
requiris amplius?

C Y. Nihil. s e. Restat ergo cures sacrificium
Ipse, et communias probissime
Templi ostium, tuo sigillo istoc notans.

Nos sancti nostro munere, hinc discedimus.
C Y. Bel fortunet omnia. d a. Ite, res placet.

O mi Deus, Deus saluator unice,
Nunquam satis tuam laudem testarier
Possum, cuius magna et immensa benignitas
Diffusa per spacio si mundi terminos
Omnes, modis quam plurimis agros iuuat
Homines. hunc enim blanda ditat coniuge,
Et prole dulci, alium beat diuitijs,

Amplis illum in republica ornat honoribus,
Et quarto indit rebus in aduersis pectora
Fortia, quae nullo possint consterni malo.

Quintum perspicaci donat prudentia,
Qua me quoq; munerum dispensator pie
Donauisti. et si quod habeo est tenuissimum,
Grates tamen tibi persoluo conditor
Coeli summas, facturus quam diu solum
Pex hic senilis conteret.

Iam uero cum meum prorsus induxerim

Animum, patefacere technas & nequitiam,
 Quam exercuere diu iij qui præ cæteris
 Integritate debebant lucescere,
 Bone ô parens conamen hocce perfice,
 Et me instrumento ostende tuam potentiam,
 Qua gentium dij tollantur funditus,
 Et te umbibant homines qui uerus es Deus.
 At ubi ministri sunt: heus heus prodite quis,
 Te Balthasar opportuno offers tempore.
 B A L. Si uel dulcissimam uitam profundere
 Oporteat pro te domine, paratus ero.

D A. Animum, fidemq; erectam Balthasar probo,
 Laudoq; , ocyus cum cribro ferti cinerem,
 Quibus usurus ad hanc rem sum quam præparo.

B A. Fiet domine, per me non ulla erit mora.

30. Sed quid si Daniel qua ualet astutia,
 Noctu ueniet nobis commessantibus?

S E. Maneat: namq; ipsius haud cupio præsentiam,
 Cuius uel uoce audita summè contremo.

Maneat procul, talem coniuiam non peto.

Nam parum lauit è uiueremus, si foret
 Præsto. 10. Sic est: sed quin penates uisimus,
 Eamus, & paremus nos ad crapulam.

S C E N A VII.

Balthasar. Daniel. Aedi-
 tuus. Cyrus.

Qvod dominus iniunxit meus, curatum id est.
 Et si quid amplius sit, quod studio meo

Meaq; opera effici posse, id fecerim
 Lubens: en here, cibrum & cinis praesto sunt.
 D A. En magne rex, uide obsecro qua'nam uia
 Sacerdotes capturus sim. exi Balthasar
 Cum aedituo. C Y. Mirandus es ô Daniel,
 Credo te neminem in terris prudentia
 Superiorem esse. quis te hanc artem edocuit?
 D A. Deus meus. Cibrū & saccū accipe Balthasar
 Rursus. B A L. Paratus sum, accipio. D A. Tu magne
 Ipsus, ut scis, communito' ostium probè. (Rex,
 Aeditue claves porridge in tui Beel
 Honorem. A E D. Bel rependet id, iustissimus
 Semper suorum distributor munerum.
 D A. Nil efficis rex magne, his absq; clauibus.
 C Y. Da igitur: en me sacerdotem, & diaconum,
 Regemq; Daniel simul. D A. Ceram hic habes.
 C Y. Ceræ nulli parcemus. D A. Nec laboribus.
 C Y. Nisi me meus fallat animus, sic ostium hoc
 Occlusi, ut haud facile queat inuader.
 Eamus. D A. Bel, laute tuos tracta hospites.

A C T V S S E C V N D I,

S C E N A I.

Sechania, Seraia, Zodac, Cadmiel,
 Iozobad, Iedaia, Hasbaddana, sa-
 cerdotes. Philargyra, Acolasta, Pa-
 chys, Philedona, uxores. Liberi
 duo. Puer.

Frater

Fratres, Deus nobis longè omnium largissimus,
Quotquot mortalibus coluntur, contigit.

Nam regijs nos excipit conuiuijs,

Non aliter ac si simus incolæ poli.

Age cum ipsius inexhausta munificentia

Vltero tot & tantis nos oneret beneficijs,

His si fruamur, quis id improbauerit?

S E. Quid dictatas? imo crebris sudoribus

Quod porrigit meremur, nec spes est aliam

Nos posse uenari prædam, hac deperdita.

Non oscitantibus hæc, nec stertentibus,

Bel subministrat, sed in singulos dies

Vsq; ad rauim ipsam in templo clamitantibus,

Si igitur inungamus paulisper guttura

Defessa, & abluamus hanc raucedinem,

Quis mentis integræ & sani iudicij homo

Nobis uitio uertet? nemo est qui fecerit.

Z O. Pulchre dicens, Iudæo fac queso indices,

Nimirum senties qua consecrauerit

Nobis dapes salute. **C A.** Quid: si uiuere

Vita salua & illæsis dignitatibus

Cupimus, non parua ope & nisi curandum erit,

Ne cuius forsitan spargat lingua futilis

In inuidum uulgas, secretam hanc crapulam.

I O. Recte mones, aurora namq; crastina,

Fratres parum læti & hilares currū aureo

Supra Horizontā lumen cœlestē aduehi

Conspiceremus: forsitan mortis poena asperæ

Hac nocte nostras pulsatura esset fores,
 Si rude uulgas facinus hoc resciseret.
 Sed quid curamus haec? absit moesticia
 Tristis procul, quin potius hanc festiuiter
 Noctem consumimus, euacuando pocula,
 Et opplendo gulam ad summum quod est satis,
 Ehem puer, uide ut calices pleni sient.
P v. Bibite, moras nullas faciam. **10** Sed interim
 Tuam quoq; curabis cuticulam. **P v.** Faciam.
S E. Dic qui, Sechania, tibi caro haec sapit?
S E. Mel Atticum inest, sat scio hoc. **H A S.** Appo-
 nite
 Et nobis quid, ne deuoretis omnia.
 Edite filoli, charissima pignora,
 Vobis Beel dat haec ditiissimus deus.
 Puer uino suaui hoc corona poculum:
 En hic bibite. **M A I O R F I.** Nimium apponis mihi
 Partem ministraturus sum fraterculo.
F I. M I. Dilecte parens, qua' nam ratione inseruiam
 Beel, pro luxu ciborum tam dapsili?
H A S. Id gratiarum fiat actionibus,
 Encomioq; laudum, & gloriae ipsius
 Praeconio frequenti, fili mi bone.
Z O. Cur uos matronæ sedetis tam abstemiæ?
 Ac si sponsæ sitis: quin animo estote bono.
I B. Incommodo magno uestro feriamini
 Materculæ: genio indulgete. Cadmiel,
 Uxor mea sit tibi curæ, rogo si iuuat

Eam salutes poculo. c A. Obsequor lubens.

Puer uides quid desit: hic age tu mea,

Hoc calice exhauriendo, ita ut in imo nihil

Liquoris hæreat, te morigeram mihi

Præbebis. p A. Hui mi domine, non tantum bibo,

Ignoscet si pro decoro fœmineo

Respondero. c A. Velis nolis satis facies,

Et sic iucundior erit tua dormitio.

p A. Tentabo quid possum, quia repugnare non

Licet mihi. Vinum pol nunquam dulcius

Nec uidi, nec bibi, nectar esse arbitror.

s E. Cessatis. 10. Nequaquam. s E. Potate largius.

Propino scyphum, exhaurias ut integrum.

10. Quid, in egrum: imo senties qui uir siem

In poculis, modò præbibas. s E. Fusurio

Puer cyathum hūc imple, & propone lozobad.

10. Eccete quam sim ingurgitando strenuus.

h A. Vires, sed quid si carebis luxuria

Post hac tanti uini, quid obsecro inquies?

10. Alienum ab auribus planè dicis meis.

h A S. Qua tunc eris fronte? 10. Ignoro quid tibi
uelis,

Beel'ne nos priuabit his beneficijs?

h A S. Sic est, sic auguratur mens uaticinans.

Nos Daniel ille nequam, tempus ad breue

Intra suos casses captos, tyrannus it.

Crudelis est, tractabit pro libidine

Sua: si non pestem & ruinam intulerit

Vite,

Vitæ, tamen famæ atq; dignitatibus
 Nostris labem summis parabit uiribus:
 Et quod nobis diu fuit solatio,
 Posthac in uniuersum latro id auferet.
 Videlicet ab hospitis huius diuersorio
 Excludet, & magna egestatis causa erit.
 I o. Nugare, te pleni calices sic garrulum
 Fecere. v x. s e. Non nugatur, facile assentior.
 Et sic futurum, sicut dixit, arbitror.
 Namq; id dolor intestinus & inquies,
 Qui me hactenus penè eneruauit, nunciat.
 Quem cum diu represserim, atq; sèpius
 Percuntanti marito nunquam uoluerim
 Aperire, uobis hanc ob causam detego,
 Ne essetis insciij, hoc nihil significarier
 Aliud, quam nostrorum omnium perniciem.
 Id quod, qui paululum pollet prudentia,
 Similiter exponet. s e. Istæc miranda sunt.
 v x. Accedit huc, quod nocte hac sum grauissima
 Perpessa, quam totam insomnis duxi. s e. Enecch
 v x. Quare consilio callido, & prudemia
 Serpentina opus erit, si extensa retia
 Nostrî in ruinam uelimus effugere.
 s e. Si uera sunt, fratres, quæ modò dixit me
 Coniunx, à fronte & à tergo necesse erit
 Simus oculati, circumspecti, & prouidi.
 Et hercle si hæc in uulgu commessatio
 Non erumpat, miraculum esse duxero.

Tum per clementiam Beel diutius
 Gulam pingui succu odorati sacrificij,
 Pascemus, inueteratum illum in malicia
 Et prauitate Iudeum crudiphago
 Leone contuentes laniarier.
 Sed tempus exigit, ut suam domum petas
 Quisq; ne de improviso nos quis obruat.
 R A S. Imus, magnus Beel fortunet omnia.

S C E N A . II.

Daniel. Cyrus. Satellites. Se-
 chania, cum reliquis sacerdotibus.
 Arbela. Sitophorus.
 Arioth.

Mirabilis Dei bonitas in omnibus
 Suis operibus lucet, ut uel saxeum
 Pectus sibi uerum Deum p ersuaserit,
 Sanctum Deum populi Israel, qui condidit
 Globum poli uario carentem lumine,
 Et alueum maris, terraeq; pergraue
 Pondus, gubernans h e c mira prudentia.
 Sed iam lucescit, & croceo uelamine
 Aurora fulgens, oceani nimirum aquis
 Mundata aduehitur, pellens atra nubila.
 Adibo regem, ut liberem ignorantia
 Ipsum, qua obsecratus diu, complexus est
 Verum pro falso, en ipse egreditur iam foras.
 C V. Precor hunc diem tibi fœlicem, Daniel.
 D A. Tantundem quoq; tibi precor, rex optime.

C V. Quid?

C Y. Quid: an' non nocte hac curis exhaustus es?
 An non senile pectus corruptit timor?
 An non animum abiecisti in hoc negotio
 Tā periculoſo? D A. Cur? C Y. Rogis: an immemor
 Es, quæ miseria maneat te si insimules
 Falso sacerdotes tantorum criminum?
 D A. Non sum immemor, sed quæ sit causa, obsecro;
 Me tristari, & edaci cura affugere
 Hoc annosum caput, cum iusta sint quæ ago,
 Quæ tento & molior, cum conscientia
 Mea tam firmiter constrictum habeam, Deum
 Meum, Deum qui cuncta nutu territat,
 Suis adesse, suos manu fortissima
 Tueri in omni tempestatum cumulo.
 Age montium celorum corruant iuga
 Præcipiti turbine, & in terris sit fragor
 Rabidus, hoc qui solum concutiat undiq.,
 Et insuper frendat sævi maris sonus
 Terribili murmure, cœlum deniq; ipsum cadat,
 Tamē nullus me occupabit metus anxium,
 Cum iamdudum in cordis insculperim intima,
 Id quo d diuina scripta cantant crebrius,
 Scilicet Deum sibi fidentibus manum
 Auxiliaricem ferre, quantumvis sient
 Horrenda pericla, quæ collum nostrum premant.
 Id non possunt idola muta gentium.
 Quæ uana sunt, nulla ualent potentia,
 Nihil iuuant, nulla est speranza ex his salus.

C Y. Proh,

e.y. Proh, Beel, proh deūm atq; homin ūfidē, quid
 Est Daniel? quid sibi uult occlusum ostium? (hoc
 Et quid sigilla intacta? u.x tibi seni:
 Me plurimum tui miseret, quid uis deus
 Velle pati, quām te mortis tyrannide
 Funestæ perdi cernere his oculis meis.

D.A. Rex magne, uelim experiare diligentius
 Singula. c.y. Nunquid uides non reseratum ostium?
 D.A. Video, sed propterea me fontem non sequitur.
 c.y. Tibi obsequar, & Hierodulum ipius agam
 Denūò, sciam nobis an factus sit fucus.

At at quid hoc? ô te miserum mi Daniel:
 Nefandus ille dies, quo te mater tua
 In hanc foedam malorum sentinam edidit.
 Satius fuisset, ut genitrix infantulum
 Te strangulasset prima os pappa liniens,
 Quām te canum ad durum supplicium oporteat
 Trahi, & perire morte multò asperrima.
 Inuenias autem, qui id non fieri iniuria
 Dicant, cum tu ipse imposueris humeris tuis
 Duram hanc crucē, & ipsius sis causa omnis mali,
 Eius dei fretus præsidio, quem uides
 Aut non posse, aut non uelle opitulari tibi.
 Magnus igitur es ô Bel, fortis, & præpotens,
 Tu principem locum citra litem tenes
 Omnes inter deos, nemo similis tibi.
 Tute insequentes saeuia tua nomina,
 Et gloriā tuā Beel pessundare

Studentes,

Studentes, deturbas pudore tristius
 Tinctos, tua & de facie pellis exules,
 Non aliter quam candens radijs flammanibus
 Sol aufugat gelida noctis nubeculas,
 Postquam per hemisphaerium sublatus est.

D A. Toto cœlo erras Rex, pace tua dixerim,
 Tamen & mutabis post hac hunc animum tuum.
 Quin despice humi, & uide cuius uestigia haec
 Impressa cineri sint, aliter senties.

C Y. Nisi quis fucus resistat luminibus meis,
 Vestigia haec à foeminiis relicta sunt,
 Virisq; & pueris, & puellulis simul.

O mores hominum perditi, atq; tempora
 Scelerata, quam sunt pauci tuto credere
 Quibus possis, tantum uero mihi obijci
 Malit tanta in re: in qua salus nostri imperi
 Omnis sita est: haud perferendum censeo.

Abite satellites, & huc deducite
 Mihi sacrificulos: exempla statuam
 Digna in eos, ut discant quem suis dolis
 Eluferint, abite, moramq; frangite.

S A. I. Rex augustissime, meritò furciferi,
 Et iure suarum fraudum sument præmium.
 Eamus socij, ne turpis socordia
 In nobis fortè dicatur grassarier.

S A. II. Quis obsecro non nostris sacerdotibus
 Adscripsisset uictoram? S A. III. An es inscius
 Qui Daniel uir sit: quæ sit prudentia

Ipsius,

Ipsius, & rerum omnium peritia?

S A. IIII. En obuiam nobis fiunt sacerrimi.

Quid hec summo mane sibi uult præsentia
Vestra, domini: num uisere Bel contenditis?

S E. Rē acu tāgis. S A. I. Cyrus rex nos legauit huc,

Vos ad uocandum. is imperat, ut citissime

Suo in conspectu appareatis. namq; habet

Quod dictitet uobis, reperietis eum

Cum Daniele conferentem rem arduam,

Ante ostiū tēpli. S E. Itan' ais? S A. II. Sic se habet.

Z O. Sat scio quæ causa sit, nos conuocarier.

Nobis solatium unicum sit, conscientia

Mens recti: eo tuti nitemur præsidio.

Nam murus est aheneus, nihil sibi

Mali consciere, nec culpa pallescere.

Quare lāti regem accedemus inclytum.

A R. Hui quanta paucitas sacerdotum uenit.

Vbi reliqui nimirum conscientiae

Torquentur pondere, & plumbum gestant

In corde suo, grauantur ut adesse non

Queant. at satis erit, si modo capita ac duces

Præsto sient, qui prætulere cæteris

Facem ad nequitiam & flagitia horrida.

S A. I. En magne rex. quæ mandasti peregimus.

C Y. Video: mouete uos abhinc, donec uocemuni.

Vocati adeste citò, relicis omnibus.

Quid obsecro domini fecistis antequam

Sol ortus esset in templo: num aliquam Becl

Fff Vefro

Vestro missam celebrastis: at non prospere
Succeſſit id, uobis ipſi perniciem
Moliti eſtis, ipſi in qua uos met perditis.

s.e. Alienum ab auribus meis rex optime
Dicis, non ſcire poſſum quid tibi uelis,
Quomodo quid detrimenti accidere in ſontibus
Poſſet: an non conſumptum eſt ſacrificium?

An non uides uacuata uafa ſingula?
Atq; à nullo niſi Bel deo ſanctiſimo.

Tute oſtium tuo hoc deſignans annulo,
Eo cinxisti robore, ut uel plurima

Hæſtarum mília non ualuerint frangere:

c.y. Mentire, uos fuiffe hic ſum certiſſimus,
Id edoceni ſatis ueritia hæc à fœminis

Et masculis relictæ hac nocte ſquallida.

Quæ nam unde ſint, nequam peruersi dicite.

s.e. Itan' rex magne ira turpi conuinceris?

Parce obſecro nobis, nec imprudentius
Cauſa noſtra integræ nos obijcas malo.

Bel obteſtor, quod haec tenus omnia candidè
Peregiſmus, uiuentes ſine dolo malo.

c.y. An pergis mihi (ſcelus) ſuffundere tenebras?

s.e. O quam nunc experior in qua tempora,
Quam parum tuta ueritas, quam non iuuat
In hac uita ambulaffe ſine mendacio.

O innocentia, quam undiq; es paupercula,
Quam derelicta, quam deſtituta auxilio?

Quis tibi miſellæ adeſt: quis porrigit manum

Preſſe

Preſſe tibi, & lerna malorum obrutæ?

D A. Ecce inſontes, ei a rex magna iniuria

Dominis fit, cur ſic excrucias innoxiōs?

C Y. Duræ ceruicis homines, monſtretis uolo

Per quæ ad ſacrificium reputis latibula.

S E. Ah domine, ſupplex imploro clementiam

Tuam, ne iraſcaris, quām par eſt, ſæuius.

C Y. Cur non iraſcerer, dum ad hoc me compellit is?

S E. O Bel rex ſuperūm, quām indurata pectora

Habes, cur ſic taces alto silentio?

Cur non placido uultu ministros reſpicis

Tuos: an non te lenit hæc miseria?

Seda Beel, ſeda quæſo hoſce turbidos

Calamitatum fluctus, & nos de gurgite

Quo nunc immergimur, ut potens es, libera;

An tot iuuas crebro qui nobis cedunt nomine,

Auctoritate, ſanctitate, & gloria:

Et nobis electis tuis ſic detrahis

Opem? ah uiros bonos, pie parens, excita;

Qui nos educant tanto de diſcrimine.

At dormitas adhuc: heus heus uos tribules,

Heus ciues, nemo eſt qui erga nos tangi uelit

Affectu miſericordie? he uis accurrите.

Iudeus hic uetus, ſqualens, & tetricus,

Necem parat nobis longè indigniſſimam.

D A. Probè dicis, pergas te ſic defendere.

At rex noſter, ut amplectitur iuſticiam,

Aures habebit occlusas: nec tibi fidem

Daturus est, cum sis ipsum mendacium.

C Y. Que uos incessit (scelera) contumacia,

Adhuc me circumducere delectamini?

Dicatis, impero, quod dudum petij.

S E. Misericordia nobis ueniam des clementissime

Rex, nos peccauimus: sed tu peccantibus

Propitiis sis, et pro delicto graui

Poenae parum satis tibi esse ducito.

C Y. Quim clancularium locum hic ostendite.

S E. Sub altari meatus est, cuius quidem

Beneficio adiuti, de sacrificio diu

Lautè atq; splendide imprudentes uiximus.

S I. Sat est. reliquum mea quidem sententia

Esse arbitror, uestro ipsius plectamini

Nunc gladio, et uenenum exhauriatis id,

Quo institueratis Danielem tollere,

Qui columen est domus Israeliticæ.

A R. Acquissimè dicis, tuam in sententiam

Pedibus manibusq; eo. et si magnus rex petat

Suffragium meum, non aliud censeo

Ferendum, quād ut hi impostores dignis modis

Luant, sceleratæ uitæ digna præmia

Recipientes, quibus nunquam improbis solent

Carere. nam plerung; facta turpia

Pœna sequitur, non tardo, sed celerrimo,

Nec claudio, sed longè firmissimo pede.

A R. Sic est, id longa edocuit experientia,

Verti impiorum gaudium in tristiciam;

Et qui

Et qui modò effusè ridet, lugentibus
Illum pòst lachrymis maxillas humefacere.
Sed hi cum maiestatis lèse criminis
Obnoxij sint, et dolosam fabricam
Parauerint ei uiro, à quo ne quidem
Vnguiculam sibi offensam testarier
Possunt, ut interim alia taceam incommoda
Stupenda, quæ inuixerunt in Rempublicam,
Restabit ut per regem deturbentur in
Hanc foueam, quam struxerunt iustissimo.
D A. Videte nunc quotquot adestis singuli
Quæ sint, et quid possint idola gentium.
Certum est, quod ora habent, at per ista eloqui
Nihil possunt, deest uox et omnis sonus.
Aures habent occlusas, quæ non audiunt
Ullas preces: et ideo isti surdis canunt,
Quicunq; ex his opem petunt suis malis.
Sunt cæco lumine, ipsorum et sub naribus
Nullus odor est, carent gustantibus organis.
Inutiles gestant manus, nunquam pedem
Obambulandi causa possunt figere.
Hæc qui colunt, suum Deo celissimo
Honorem subtrahentes, in eiusmodi
Horrenda monstra transuertantur imprecor.
Non eos Deus Zelotes flagrantissimus,
Qui scelerum nostrorum acutus spectator est,
Sint esse impunes: sed suam grauissimam
Iram effundens, cunctos contemptores sui
Fff 3 Trucidabit,

Trucidabit, et contundet, ceu fremens leo,
Qui quamlibet feram solet prostertere.
Nec tum quiescat, si impium osorem sui
Extinxerit, sed ipsius in posterum
Semen, genusq; totum sœuet, patrum
Enim uitam exprobrat memor nepotibus.
Cœlum hisce mittit æneum, atq; ferreum
Solum, et pluuias aquas polo alto detinet,
Ne decidant fœcundantes ipsorum agrum.
Ad hoc fame aspera et dira siti necat.
Cum sibi contrâ uera fide credentibus
Sua munera absq; mensura differtiat.
Cœlum his facit serenum, et solis lumine
Rutilum, creata quod telluris omnia
Confirmat, et suos fructus dare perficit.
Et insuper si sit necesse, nubila
Cœlo prætendit, qui suis liquoribus
In terra operentur, et radios solis iuuent,
Ipsorum prata pingui ditat munere:
Granum unicum proiectum, aristas plurimas
Facit producere, atq; læta pascua
Ipsis ex ualde sterili colle conficit.
Ibi educat herbas salutiferas sua
Virtute, et queis uescamur optima olera.
Sed quid benignitatem tam magnam in pios
Verbis meis pronunciare gestio?
Quæ cognita est ab orbibus cœlestibus
Altum per aera, usq; ad terræ machinam.

Tu magne rex quid iam restet, considera.
 C.Y. Quid sit meum, nullo modo me præterit.
 Qum optimè instructus sum, atq; legibus
 Edoctus, improbos tollendos è republica:
 Contrà uero bonos tuendos fortiter,
 Et protegendos malorum ab iniurijs.
 Sed longius quām est tempus protraho.
 Ministros accersam, heus adeste satellites,
 Adeste inquam, uestra opera nobis est opus.
 D.A. Et te simul uolo prodire Balthasar:
 At audiunt, tumultum in aula commouent.

S C E N A III.

Satellites. Cyrus. Daniel. Sa-
 cerdotes. Balthasar. (lam
 S.A.I. Q Vis nos uocat: S.A.II. Audiui regis stridu
 Vocem. S.A.III. Curramus ergo, ne nobis mora
 Dominetur. S.A.IV. Ad quid hæc præceps ueloci-
 Di perduint uos hoc unā cum silice, (tas:
 Qui me fecit cadere, pedemq; lædere.
 S.A.I. Ha ha he, uidete iacentē hominē nostrū solo.
 S.A.III. Etiā ridet miserū: S.A.II. Sinite hæc, surge,
 C.Y. Manus ministri inicite sacerdotibus, (ibimus.
 Et singuliq; singulos abducite
 In carceres, ligate membra eo modo
 Ut solui nequeant ulla arte uincula.
 Nam quod sibi ipsis intriuierunt, id decet
 Ut exedant, ne frustrentur labore suo.
 S.A.I. Ehem, ite nobiscum uos sanctuli Beel.

S E. O quam iucundum est uiuenti fœliciter
 Vexare, et hunc ridere quem infœcior
 Et aduersus hinc inde uentus iactitat.
 O Bel, adhuc dormis: non exergisceris?
 Aperi fenestram tabernaculi tui
 Sancti, et quæ nos circundet respice angustia.
 An addecet deum pectus tam saxeum,
 Tanta duricie rigens, et tam asperum
 Habere? quin trunco et sylvestri bestiæ
 Tribulatio hæc adferre queat clementiam.
 D A. Quid obtices Bel, cur subtrahis manum
 Tuam à sanctis tuis: deus es pol impius:
 O uerba amara, miserere inopum mi Bel.
 C Y. Nil audit Bel, abite uestros in nidos.
 Ac uos redeuntes, hos tres quoq; abducite.
 Tibi interim senex, mihi dilectissime,
 Mi Daniel, diuino semine edite,
 Cuius uirtus, prudentia et integritas
 Nobis eo modo est spectata, sicut in
 Ignibus aurum fuluum solet spectarier:
 Tibi inquam, Daniel, trado in tuas manus
 Idolum Bel, cum tota templi machina.
 Tu pro tua, quæ in te magna est, sapientia
 Id agas cum his, quod è re nostri regni fuerit.
 Ego abeo: uos si placet, sequamini.

SCENA III.

Daniel. Balthasar.
 D Eo meo, Deo cuius palatum

Corusca

Corusca sidera sunt, qui fecit omnia
 Verbo, tum aues alto uolantes in polo,
 Tum bestias specubus latentes in feris,
 Et quæ mortalibus iumenta inseruiunt:
 Tum fulgidos profundi pisces æquoris,
 Et que usquam sunt res ab olympo usq; in solum:
 Huic inquam Deo grates persoluo maximas,
 Quod tot meas preces suscepit auribus
 Pronis, nec respuit serui sui suspria.
 Quod declarauit, me nihil temerius
 Egisse, confutando imane sculptile
 Tot annos, et spernendo falsa dogmata.
 Atqui dum idolum cum templo in mea manu
 Situm est, ostendam cunctis in propatulo,
 Tam longè abesse ut sit Beel uerus deus:
 Quam longè abest, hunc culmum esse risibilem.
 Quapropter Balthasar uoca lignarios
 Fabros, dic me iussisse ut adfient cito.
 B A. Domine, nihil desiderabis in mea
 Strenuitate, labore, et diligemia.
 Mihi ipsi hercle placebo non mediocriter,
 Nec infimum famulorum me esse existimo,
 Cui contigit herus nominibus plurimis
 Clarissimus, quid enim huic deest? quid non habet?
 Quod obsecro decus, quam uirtutem industria
 Humana perscrutabitur, quæ non siet
 In hoc meo domino longè plenissima?
 Sed tardiorem me esse uetat negotium

Fff 5 Præsens,

Præsens, quin eo ne uidear fortè plumbus.
 S A. I. Vbi reliqui sunt nos quatuor curauimus,
 At hic stantes lugent, contundunt pectora.
 Venite: nil clamor, nil luctus proficit,
 Nimis serò fit uestra pœnitentia.

SCENA V.

Daniel. Balthasar. Archimedes. Cy-
 lindrius. Gonius. Sphæreus.

A Due sperascit, & sol inter nubila
 Illic procul reconditur hemisphærio,
 Statim tegendus & lauandus in mari.
 Velim præsto esse Balthasar.
 At ipsus aduenit, iamiam te optaueram.
 B A. En domine, quæ mechanicorum confluit
 Manus tuū ad iussum? D A. Bene est, & per placet.
 A R. Salue senex, mystes multo sanctissime,
 Nos per tuum ministrum accersiti adsumus.
 Quid est quo nostra opera sanctitas tua
 Eget: si uel uite & rerum dispendio
 Nostrarum unquam tibi commodare possumus,
 Prompti erimus diebus atq; noctibus.
 D A. Monstrum hoc, uiri, forti manu prosternite.
 A R. Hui, cur nos imbecilles maximo Deo,
 Deo potenti, cui telluris & poli
 Potestas est, resistere, uel uerbulo,
 Nendum manus sœuas inferre deceat?
 Quis exitus: quæ nos maneret ulti?

D A. Horrore liberate uestra pectora.

Si sub.

Si subsequatur quid uobis discriminis,
 In hoc caput cudatur faba protinus.
 Quin pugna fit? quin inchoatis prælium?
 A.R. Corroborasti me, & tua uerba animum mihi
 Omnino reddidere, cessit hinc timor,
 Quare socij irruamus omnes in Beel.
 Cur non fuga tibi de salute prospicis?
 Heus heus Beel, quid hic taces incrs? C.Y. Habet,
 Nimurum si queat nobis resistere,
 Iam surgeret, & in nos quam crudelissime
 Sæuret, sed lignum est: quis obsecro audijt,
 Aut uidit unquam lignum contra artificem
 Se defendisse? G.O. Ni me fallant lunina,
 Lignum est: dij uos perduint, qui tam diu
 Nos simplices uestris tractastis artibus.
 S.P. Quid hoc? deum immortalē, quid hoc obsecro?
 Cur admiratione extrellum spiritum
 Vitæ meæ non edo? & quid uiuo amplius?
 Ego' lignum hactenus deum esse censui:
 O facinus indignum, ô scelus, ô carnifex,
 Latrones ô nefarij. D.A. Bone uir tace,
 Iam restat ut templum quoq; æquatis solo.
 S.P. Imò memoria nulla Bel posthac siet.

S C E N A VI.

Cyrus. Pachys, cum duobus filijs
 et filia Satellites. Sacerdo-
 tes. Nehemias.

Vifam

V Isam quid nam rerum agatur ad carceres,
 Vincti; ut ineant fuluis cum leonibus
 Certamen curabo, ut tandem quid fecerint
 Videant, experianturq; quid hæc dextera
 Posset, quam infesta ijs siet qui male agunt.
Heus satellitium, has carnes leonibus
 Propone, nam dudum inhiare ijs scio.
PA. Iamiam demum sumus miserrimi omnium,
 Iam non spes ulla nobis restat amplius
O filij, ô dilecta mihi pignora,
Quæ nos procella malorum circumdedit,
Quæ calamitas supra caput nostrum imminet.
 Bel truncatus, templum ruinæ proximum est.
 Non est magis quod nos posset solarier
 Vllum subsidium, de uita simul & bonis
Nostris actum est, uæ nobis, actum est liberi.
O illum infelicem diem, quo prodij
 De uentre matris, quo mea me genitrix tulit
In hanc lucem: cur non primo me balneo
Necauit? quid conseruauit periculis
 Tantis; ô immanem, ô crudelem, & asperam.
 Sed forsitan inuita non discederem
 Ego ex mundo hoc, modò uos uoluptas unica
 Mihi superstites essetis, nec crudelius
 Ferrum mactaret hos artus tenerrimos.
 Sed quid luctus? quid lachrymæ? quid suspiria
 Iuuant? migrandum est hinc, præbete ah oscula
 Mihi matculæ uestræ, & liceat prius

Amplexi.

Amplexibus mammas maternas tangere,
Quæ uos diu (proh dolor) enutriuerant.

Valete, nam diutius manere non queo.

Cor frangitur dolore, et me mors pallida
Suis petit iaculis, ut hoc corpusculum
Expugnet: hinc secedam, et ultimam meæ
Vitæ uim ipsa adferam. ualete longius.

F I. M A. Quò uis mater, mane precor matercula,
Ne nos relinquas orphanos miserrimos.

F I. M I N. O genitrix chara, siccine nos deseris?
An' non te nostri miseret? F I L I A. O matercula,
O mea matercula hic mane, mane obsecro.

Non audit, quid soli nunc inceptabimus
Fraterculi? nemo est qui possit aut uelit
Succurrere orphanis, præter materteram.
Eam uisamus. F R A. M A. Ah me ferte hinc ad eam.

C Y. Satellites, sententiam exequamini
Latam de his. S A. I. Magne rex, fiet sicut iubes.

En hic regnum Bel. hic fruaris gaudio. (li.

S E. O horridā mortē. S A. I. Et tu inde quoq; desi-
s e. Au quò perueniam, sine sine me superstitem.

S A. 3. Tibi hic locus manendi non conceditur,
Quare migra ad tuos. Z O. Ah da uitam mihi.

Quò miserum deirudis, et addis uerbera?

S A. Committe te Beel. C A. O fata immania.

S A. I. Audi, te socius euocat, sequere. I O. Occidi,
Et uos sequimini. I E. Væ mihi. H A. Perij.

C Y. Ea consequuti sunt puto, ad quæ uiribus

Summis

Summis diu tendebant noctes & dies.

Iam discedamus hinc ad regia limina,

Nostro expensuri animo quid cum mulierculis

Et prole sit agendum. sanè in pectore

Meo dudum firmissime ratum fuit,

Me subuersurum progeniem hanc: quod eisdem
Fiet, ni consilium mutet clementia.

N.B. Miranda sunt, miranda sunt certissimè,

Distare tam paruo interuallo gaudium,

Tristitiamq; qua propter uerissimè

Voluptatem esse mali parentem dicitur,

Eamq; fœtum misericordiam relinquere.

Id literis ego commendandum censeo,

Vt plurimis exemplum sit, tripudia

Voluptatesq; uitandas summopere.

A C T U S T E R T I L,

S C E N A I.

Therolatra. Hanania.

TErribilis ô Draco, deusq; præpotens,

Ego infelix homo tua numina supplico,

Me rebus in aduersis auxilio tuo

Iuves, & munias aduersus hostium

Meorum laqueos, quorum sunt plurimi.

Sic ipse me uiciissim gratum numini

Tuo exhibebo sacrificijs frequentibus.

H.A. Miror quid hic uetus secum submurmure!

Aut quid habeat cum Dracone commercij?

Adorat, nisi parum prospiciant lumina.

O uitam

O utinam hero meo præsenie istud facias.
 T H. Quod de carnifice hero tuo mihi uerba facias?
 Desine priusquam pugnis contundam os tibi.
 Si me Beel donasset sceptro regio,
 Te cum domino tuo confestim perditum
 Darem. H A. At lætor, quod non queas. hē dic mihi
 Si Beel tuus diuina prædictus fuit
 Virtute, cur non fabris, imbecillibus
 Homunculis istis, tum reluctatus est,
 Cum ipsum de altari celso præcipitem darent?
 T H. Lento gradu dij solent procedere,
 Cum vindicare uolunt lapsus mortalium:
 Sed tarditatem & indulgentiam suam
 Compensant postea pœnarum copia.
 Interitum Bel non longè abhinc plorabitis.
 H A. Ah stulte, quis furor tibi abstulit tuam
 Mente? quod aestimas id appellarier
 Aut esse posse numen, quod est subditum
 Imperio mortis, & quod huius nutui
 Paret. hæc creditu sunt difficilima.
 Imò ipsa mors coram diuino contremit
 Conspictu, & cogitur huius mandata exequi.
 At hæc sinam tractare, placet presentia.
 Ansps te habet, Draconem tibi bono fore?
 Eumq; tuas partes defensurum in malis?
 Cui tu magis queas opitulari, & deus
 Dici. sed secedendum est hunc in angulum:
 Rex presto est, & uenenosam bestiam

Conspicit,

Conspicit, ô si dominus meus conficeret hanc.

S C E N A II.

Cyrus. Daniel. Balthasar. Hananias. Archigrammateus.

QUæ dicas uera sunt, nec non persuadier
Iis possum, recondam in cordis intima.

Sed ex te audire uelim tuam sententiam,
Hoc de Dracone: an non deum pronuncias?

DA. Haudquaquā, nec magis quam Bel pronūcio.

CY. Hem Daniel quid ais? **D**A. Vnus est Deus,
Et ille olympum habet, terra non ingreditur.

AR. Ah quæso Daniel, senex mihi iucundissime,
Ah canæ parce quæso senectuti tuæ,

Os obsecro, linguam moderare, labia
Coerce, nequid ex te incogitantius

Procedat. non te rerum usus eruditj,

Quot unicum uerbum posset tragœdias

Ciere? quot tumultus? & quot grandines?

Contra uero, tacere quot amicitias

Paret, quam benevolentie hominum causa sit?

An non tuis oculis occurrit, quod halat,

Quod comedit, quod bibit, quod graditur solo.

Non est, non est (mihi crede) ligneus, ut Beel.

Quare deum uiuentem iure dixeris optimo.

DA. Id absit, ut uero relicto numine,

Quod clemens est, quod mite, & misericordia

Inexplicabili affluens, sœuæ, truci,

Immani & detestandæ beluæ adhæream:

Per quam peccata, mors, crux & tribulatio
 Totum genus humanum inuasisse dicitur:
 Cuius suasu, Dei præcepta spreta sunt.
 Quare ut breui dicam, ante supremum diem,
 Dei mei, qui machinam cœlestem habet,
 Cultura, in me non ulla uir extirpabitur.
 Nam certo certius mihi Cyre est cognitum,
 Ipsum esse solum & uerum pantocratora,
 Qui tam terrestres res quam olympicas
 Imperijs æternis regit, atq; fulmine,
 Nymbis, tonitrubus, tempestate territat.
 c y. Magna equidem Scylla liberatus es prius;
 At iam caue ne te Charybdis deuoret,
 Viuit Draco, deum ergo iure dixeris.
 D A. Pap.e, deorum quanta futura est copia,
 Si quod uitam degit, id omne nomine
 Diuino dignum erit & Draco fragilis est.
 c y. Quid an Draconem dicis corruptibilem?
 D A. Et hac manu queat uita priuarier,
 Non fuste, non sagittis, & non lancea
 Adhibita ulla. c y. Age tibi potestas plena sit
 Draconis, at fœlici Marte prælum
 In eas uide: precor tibi bona omnia.
 D A. Præstigijs planè nullis tractabo uos,
 Sed candidè, sed integrè agam omnia.
 Quod ut possitis intelligere singuli,
 Balthasarum meum iubeo hic fruere focum:
 Hanania, tu picem & adipem proferas.

G g H A. Factum

H A. Factum puta, prius mihi nil duxero.
 A R. Quid æger & delirus molitur senex?
 Quousq; di stitutus esse animi, rogo,
 Vi pergit: & quando sobrius esse incipit?
 Vereor ne maximum malum sibi attrahat,
 Ut Cæcias nubes attrahere dicitur.
 Nam citra controuersiam vindicta Bel
 Prae foribus est, quam non poterit euadere.

S C E N A III.

Hananías. **D**aniel. **S**ymsai. **N**ehemía. **A**rbelæ. **C**yrus. **B**althasar.

Majori gaudio animus nunquam efferbuit
 Mihi, quoniam hunc diem uidere contigit,
 Quo uerus ille Deus, de quo multa audij
 Priuatim ex hero, in uulgas ubiq; spargitur.
 Verum istud omne debetur domino meo,
 Qui morte spreta liberè professus est
 Hunc & uerbis, & uita syncerissima.
 At quid, quam par est, absum longius?
 Moue pedes Hanania, & fac sis tuo
 Hero gratus: domine præsto sunt singula.

DA. Bene habet, appone hæc igni, et fac liquefcere.

SY. **P**raestigiator quid struit? **D**A. Et cum senseris
 Satis liquoris esse, retrahere, & da mihi.

SY. **O**si mea rex prædius sententia
 Eset, & haberet Symsiana pectora.

HA. En domine, sunt parata hæc, uti iusseras.

DA. Rex magne, integratam noturus meam

Accede,

Accede, & experiere quibus artibus
 Draco cogatur è uiuis discedere.
 Nimirum te Draco prædura uexitat
 Vrgetq; fames, nec non sitis opprimit,
 Eh uentrem imple tuam, sume en opimas dapes.
 N.E. Quid hoc: itan' dij nostri potentiae
 Nullius, ut queant humanis uiribus
 Aduersari, & eas totum confringere?
 Valeant ergo, posthac uel unguem offendier.
 Ipsi orum gratia nullo patiar modo.
 A.R. Ut intumet uenier, ut intus uiscera
 Tumultuantur sœuentia inuicem?
 Ut torta cutis, ut ignita lumina,
 Ut flammis æstuat undiq;, ut uirus euomit.
 Heus Draco, qui misericordia opem præstare diceris;
 Temet iuuia, qui nunc extrema toleras.
 D.A. Tandem liquere existimo, uos hac tenus
 Vanis dijs inferiūsse, & pectoris
 Oculos uestros obnubilatos tenebris
 Multis fuisse, iam uero me spes alit
 Haud dubia, uos lucem noctis clarissimam;
 Vos hunc Deum agnoscere, qui semper fuit
 Ab æterno, qui uerbo fecit omnia,
 Cuius maiestas, cuius misericordia
 Pertingit à terra usq; ad splendida sidera.
 Qui per natum suum, quem tot oraculis
 Nobis promisit, omnem deleturus est
 Labem, qui omnes fideles & iusticiam

Operantes saluabit, & in tabernaculum
Suum recipiet, ut uiuant perenniter.
C Y. O ter quaterq; te beatum Daniel,
Quis usquam te mortalium felicior?
Qui talem habes Deum, & depol circumferam huc
Post hac uigilanter in corde intimo meo.
Hic fulcrum erit, hic forte propugnaculum
Mihi, & hic me sub umbra tutabitur
Suarum alarum: quoniam, ut audio, potest,
Et uult. D A. Procul dubio uult, dicas optimè.
C Y. Tempus nunc prandium desiderat, satis
Superq; habet Draco, quiescat hic permolliter.

S C E N A I I I I .

Polydemus. Therolatra. Sannalla
bath Thorybodes. Stasiotes.

I Bo, Draconem supplicabo, ut filie
Nostræ dignetur interesse nuptijs.
Vxor tute interim cura de prandio,
Utrediens rite sint apposita singula.
Quid hoc rei: Draco intercluso spiritu
Hic mortuus iacet, nil audit amplius.
O facinus audax, ô scelus nefarium.
Spes nostra (proh dolor) sublata est turpiter.
T H. Ecquid tu aie? quod nam facinus tu prædicas?
Penè enecasti me tuis clamoribus.
P O. Rogas? accede propius, & tum semies.
T H. Ni parum uideo, Dracon interemptus est.
Heus heus Draco, heus heus, nos adsumus tuum
Adoratur

Adoraturi numen, exaudi supplices.
 Nil audit. p o. Heus Draco. t h. Surdo canis.
 Polydeme, ferendum censes diutius?
 Ut nos domemur, & subsimus foetidi
 Senis iugo quibus libertas maxima est.
 p o. Prius, quam ad hoc ducar, mortem suspendio
 Queram. t h. Imo me tellus prius absorbeat.
 s a. Saluete ciues optimi. ecquis spargitur
 Rumor per urbem, quidq; uulgas iactitat?
 p o. Malum malo saepè audiui coniungier.
 Et uera sunt que dicuntur diuerbio,
 Nullum malum magnum solum mortalibus
 Vnquam contingere. nam internecionibus
 Beel, sacerdotum, longè indignissima
 Cædes Draconis accedit. s a. Hui quid refers?
 p o. Sic est, uide, res ad extrema redit,
 Nobis sublatæ omnes sunt cæmoniæ,
 Fœlicitas quam maxima, rex dormitat.
 In sacra nostra pro suo arbitrio senex
 Furiosus impetit, nil non tyrannide
 Tollit, fanum profanat, & altaria.
 Et quod meritisimo debet plorarier,
 Deos blasphemis ad usq; tartara
 Plutonia insequitur. nec id quidem satis
 Crudelibus uotis respondet: nam insuper
 Vitam demit. nec hoc satis. quin mortuos
 Afflit, & instar canum hinc atq; hinc trahit.
 s a. Tua me Polydeme uerba planè iam ebrium

Ggg 3 Dolere

Dolore reddiderunt, ita patriæ
 Communis hæc pestis grauiter me commouet,
 Restat, ciues, ut firmo simus pectore,
 Et Iudeum, qui nos in tot angustias
 Induxit, ipsi rapiamus ad supplicium.
 T H. Præfecte, tu uideris istud optime
 Considerasse, quid sit è republica.
 Tuam sententiam probo, consulte uir.
 Huic instituto nulla commoditas deest.
 Vulgus cunctum nostris stabit à partibus.
 Sunt arma ei, sunt corda præsentissima.
 Est audax spiritus, tum, cum infelicior
 Ventus perflat fortunas ipsius & bona.
 Accedit huc, quod fuerit præstansissimum
 Natura summè infesta principatui,
 Monarchis, & qui soli rebus imperant.
 Taceo iam de odio Iudaici Dei,
 Quo tantopere flagrat, ut potius omnia
 Pati uelit, quam hunc recipere intra limina
 Sua, quid multis: nemo non dexteram dabit.
 S A. Prudenter & ornatè tu quoq; differis,
 Thorybodes, & quid tu profers sententia?
 T H. Pro temporis necessitate non puto
 Quicquam, ciues, melius à quoquam consuli
 Potuisse, quam quod nunc pulchrè retulisti hic.
 Quod pace non potest, id ui debet geri.
 S A. Hanc ego meam fidem & promissa singulis
 Vobis do, uos & uestra in tranquillo fore

Omnia

Omnia, si non fracti animis, sed forti constantia
 Omnem metum pellentes, ad sitis mihi.
 Quare domos discedite.
 Si signa tubæ clangor dederit, currite
 Huc ad forum, telis instructi & pectore.
 STA. Curabimus nos nostras partes sedulo.

S C E N A V.

Sanallabath. Buccinator Stasiotes.
 Thorybodes. Polydemus. The-
 rolatra. Vulgus.

T V buccinator heus, properans
 Fac classica sœua sonent citius,
 Quo confluat armigerus populus.
 BV. Quid hæc trepidatio insolita?
 Quid hasta sibi uult uulnifica?
 ST. Heus classice, classica signa dato,
 Facias taratantaricu[m] sonitum.
 BV. Satis est iam quod tu quoq[ue] iubeas,
 Resonet taratantara nunc fremitu.
 TH. Quicunq[ue] patriam & rem publicam cupit
 Saluam, ille nos sequatur, & suum locum
 Nobiscum unâ defendat ab iniuria
 Tyrannica. Tu tympanistes, tympana
 Fac resonent: quid moraris? quin populum excita.
 PO. Adeste ciues, heus adeste singuli,
 Quibus libertatem in columnem seruarier
 Placet, ne lancearum obliuiscanini.
 Hastile de humeris pendeat, ensis de latere.

Ibi in foro præfctus urbis est, pater
 Patriæ, & caput totius reipublicæ.
 Ad illum currite, ille uester dux erit.
 Quid cessas tubicen? t h. Cessas: signa cane.
 Sed hanc uirum sufficere multitudinem
 Credo, si corda intus numero responderint.
 Quis nostram non formidabit præsentiam?
 Præfecte, tu uiris rerum harum nescijs,
 Quæ es eloquentia, recense quid siet
 Causæ, quæ nos præter solitum obarmauerit.
 s a. Haud me fugit quæ uestra sit integritas,
 Qui candor, & qui amor telluris patriæ,
 Ciues mei optimi: quod cum deprehenderim
 Ex argumentis multis, & asperserit
 Animum meum uoluptate incredibili,
 Tamen præ cæteris id longe maximum
 Oble clamentum semper attulit mihi,
 Quod tanto studio, quod contentionibus,
 Curaq; tanta huic usq; cærimonias,
 Religionem, deos, & quicquid ad sacra
 Spectat, defendistis, ne quo malo
 Fato, ne quo casu possent subuertier.
 Hinc inde totum orbem terrarum & gentium,
 Laudes uestræ, nomenq; magnum peruolat.
 Vos prædicant, uos in altum cœlum ferunt
 Laudando, in omnium ore uos uersamini.
 Adeò manes profundos dico consciós
 Famæ uestræ. & quis ignorat Babylonicum

Populum

Populum decus totius mundi machinæ?
 Verum cum non tam pulchrū est laudes quærere,
 Quād eas cum sunt quæsitæ, non amittere:
 Macte ô ciues, ut incepistis, pergite,
 Mecumq; pro focis, aris, & gloria
 Deūm pugnate, tollamus ludibria,
 Superbos contemptus & insolentiam
 Hebrei, qui destituit omnibus sacris
 Nos, & conatur reddere insuper suæ
 Potestatis. quod antequam ciues fieri
 Sinamus, in mortis demur discrimina.
 Quare quicunq; consentitis in necem
 Iudei, dextra sublata indicium facite,
 In hæcq; uerba clare uno omnes ore dicite.

Hac iuro dextera mea,

c.i. Hac iuro, &c.

s.a. Per Draconem & Beel deos,

c.i. Per Draconem, &c.

s.a. Me non sumpturum prandium,

c.i. Me non, &c.

s.a. Nisi Daniel occisus sit,

c.i. Nisi Daniel, &c.

s.a. Hoc ut fiat caput meum

c.i. Hoc ut fiat, &c.

s.a. Ponam, & omnes substantias

c.i. Ponam, & omnes, &c.

s.a. Cum nil rebellionis usquam appareat,

Ad regia recta tendemus limina, &

Nobis poscemos Danielem tradier.

Instructum sit agmen, ego uobis dux ero.

SCENA VI.

Arioth. Sanallabath. cum seditionis. Cyrus. Daniel.

Nisi mente lapsus sim, non procul hinc audio
Fragorem armorum, crepitat en tellus sonitu.
At recte diuinaui: quid insania hæc
Sibi uult, ciues: quid arma(rogo)micantia?
Quid tantum in uos rex potuit committere,
Quod dignum sit tanta armorum violentia?
Hoccine est humanū factū, aut inceptū? hoccine est
Ciuis, duella inferre magistrati?
Quem summus atq; maximus Deus
In terris constituit, ut frenum imponeret
Nostrae libidini, & tetris flagitijs,
Vt nostram pensitaret salutem vigil,
Et nos uicissim summa obedientia
Ipsum audiremus, humiles toti & subditi.
S. A. Vnde tibi tot audaciæ, tam liberè
In nos stomachari? tace, non est animus
Nobis tecū agere, aut nostra aperire cōsilia. (feras,
A. R. Bona uerba quæso. s. A. Quin ad regē ocyus re:
Populum sibi uelle loqui dic, sine mora prodeat.
A. R. Hem magne rex, hem uir illuſtrissime, uide,
Indomitum, insanum uulgas colloquium petit.
C. Y. Ecquid tāta sibi intempries uult: qd populus

Sanalla.

Sanallabath tecum: quid hastæ: quid gladij?

Dic quid sibi uult nouus & Mauortius ille furor?

s A. Non est furor, sed meritò susceptus dolor.

c v. Proh deū atq; hominū fidē, quid est si nō furor.

Sed quid sibi turba tumultuosa uelit, recites.

s A. Ego supplex nomine cunctorum astantium

Peto per Bel, Draconem, & sacra omnia,

In has manus nostras uelis hic tradere

Iudæum Daniel: quod si impetrabimus,

Confirmamus te tutum omni periculo

Fore: nec arma isthæc tibi Rex infesta erunt,

Sed ualde amica, & multum salutaria.

c v. Quid obsecro mali uobis bonus senex

Dedit: quid erga uos deliquit: dicite,

Quid est quod uestrā erga hominē hūc inuidētiam

Plus plusq; sic acuit: his donis egregijs,

Cumulatis, magnificè de uobis promerito,

Hic est honos: hæc merces: hæcce præmia?

Vos pro tot beneficijs ingentibus

Hanc gratiam refertis: hoc probos decet?

O facinus nullius lingua excusabile.

s A. Quæ Rex iactas hominis in nos beneficia?

Id benefactum dicens, tot sanguinis uirūm

Insontium fusum esse: totq; corpora

Sancta data dilaceranda sæuis bestijs?

Beel cæsum, Draconem cassum lumine,

Infestam urbem cultu Iudaici Dei?

Hæc me hercle beneficia non salutem adferunt,

Sed

- Sed damnum non prosunt, sed obsunt maxime.
 Quare non est quod hæc nobis quasi exprobres,
 Sed his omissti Danielem poscimus.
- C Y. Sapienter is et optimè egit omnia,
 Et quod in rem uestram esse possit, uos modo
 Agnosceretis magnam pietatem uiri.
 Quapropter certum est animo, me nil non prius
 Experturum, antequam auferatis hunc mihi.
- S A. Dimitte nos cum Daniele, quæsumus,
 In pace, priusquam uterque uestrum sentiat,
 Quam bellatrix in nobis iracundia
 Latitet, quam non muliebris animus corporibus
 His inhabitet, sed uirilis et strenuus.
- C Y. Heu mihi quid facias? quid agas? quid respodeas?
 Miser intra sacra et saxa nunc grauiissimis
 Angustijs premor. S A. Cur sic rem protrahis?
 Quod si nihil submissa uota promouent,
 Nil supplices preces, nil blanda monitio,
 Nil dignitas, nil grauitas que uiris ineft.
 Serio rem agemus, atque armis tentabimus.
 Nec est quod nostra paucitas tibi excitet
 Animum, et solatio sit, nam locauimus
 Haud longè abhinc subsidia munitissima,
 Que et ipsa suam nobis astrinxerunt fidem.
- C Y. Si manus abstinebitis uestras,
 S A. Nil efficis. C Y. At abducetis in carceres.
 S A. Minime, sed ad necem die hac adigendus est.
 C Y. Heu grande malum, mi Daniel, rogo me leua

Tuo consilio, & quid sit agendum indica.

D A. Si quem duo mala urgeant, Rex opime,

Id expeti debet, quod in se continet

Securitatis plus, minusq; periculi.

Multo ergo satius est unam animam extinguier,

Eamq; senio confectam, & quæ desineret

Alio qui esse in uiuis, quam multa nullia

Strage & occidione fœda occidier.

C Y. Tu si nos deseris, quis portus noster erit,

Et opitulatio aduersus uersutias,

Quibus subinde nos capient antitheis?

D A. Ne perge obstante uoluntati Dei mei.

Sic fatis nulli mutabilibus complacet:

Sic ille uult, per quem uiuescunt omnia.

Et cum aliter fieri non posset, promptissimus

Resoluat, cum Deo uiuens in secula.

Dominus Deus meus creator sic suam

Ratione perficiet laudem mirabili.

C Y. Robur, Deus tuus addat conatibus:

Virtutibus macte, & suo te spiritu

Iuuet, ut malum tam indignum fortis sufferas,

Et sufferendo uincas, hostium tuum

Superbientes insultus retundito.

Deus tuus hominum sator mortalium,

Tecum siet, suam præstando gratiam.

D A. Recte sapi, commitendum est negotium

Deo. Rex magne, uale. ualete uos uiri.

C Y. O uos iniqui, ô feri, ô scelere acerrimo

Inflammati,

Inflammati, ô uos crudelissimi,
 Quā nam è fornace tam uobis spirant graues
 Irarum æstus: & tanta ruunt incendia?
 Quid propagationi Israeliticæ
 Tam acerbi estis, tam infensi pertinaciter?
 Erit dies, erit quo mirum in modum
 Pœnitentia perpetrasse tam indignum nefas.
 S A. Hic est triumphus: hæc tua est ouatio
 Iudee? siccine tuas uictorias
 Magnas Parnasiæ sequuntur laureæ?
 T H. Quin inuocas tuum dæcum, cui subditam
 Arcem coeli refers, cuiusq; pendeat
 A' nutu terra, & uasti circuitus maris:
 Qui poscit & uelit suos defendere.
 Hunc inuoca, exhibeat nobis qui sit deus.
 S A. Hic desili, hic sceptrum gerit deus tuus,
 Cuius regnum desiderasti tantopere.
 Habet, ciues: domos uestras discedite,
 Et si placet mecum communi prandio
 Ad crafimam lucem simul lœtanini,
 Ibi plura agentur que erunt necessaria.

ACTVS QVARTI,

SCENA I.

Hananiæ.

O cæca, ô crudelis ô ferocissime
 Immanis soboles Babylonica, integris, bonis,
 Pijs & sanctis, omnibus demum nimium
 Heu pertinaciter inimica uatibus.

Quid

Quid est quod adeo commouit bilem tuam
 In hunc spectatū hominē? quid, hominem dictis?
 Imō sanè quidem possem ueracus
 Diuinum & cœlestē prophetam dicere:
 Ut qui nobis miserrimis mortalibus,
 Stupenda pietate & prudentia ferens
 Opem atq; auxilium, minimē recusauerit
 Parare aditum ad cœlestis arcis gaudia.
 O uerē scelerati canes, quos dicitur
 Res sanctas rabidis lacerare dentibus.
 O immundi sues, qui pulchras negligitis
 Margaritas, & obscenis uestris pedibus
 Conculcatis, sœtenti uosmet stercore
 Potius delectantes, & simo putrido.
 Cauete quicunq; estis diuini angeli,
 Vates, & nuncij, diuina oracula
 Et fata arcana propalantes: admoneo
 Cauete, ne uestri thesauri participes
 Feras tam carniuoras uelitis reddere.
 Cruenta mors heri mei spectaculo
 Vobis sicut, ne uisatis solum impium hoc.
 Sed Balthasar meus huc ad me aduentitat,
 Qui plurimum mihi præstat solatij,
 Quoniam calamitatis & curarum socium
 Habere grande malum sèpissime leuat.
 Hic præstolabor dum ueniat.

SCENA II.

Balthasar, Hananias.

Dudum

Dividum Hanania hic esse te, mihi incidit.
H A. Quid cogitabundus obābulas: quid te cruciat?
H A. Violenta fata heri nostri considero,
 Ex quibus haud exiguum dolorem concipio.
B A. Haud incusanda facis: sed aliud dixero
 Tibi, id quod estimeuitabile, neq;
 Potest auerti, nec ulla depellier
 Via, id inquam æqua mente sufferendum erit.
 Non musitandum, neq; defectionibus
 Indulgendum, sed animus erigendus est.
 Cernis rerum omnium uicissitudinem:
 Cernis, qui nunc palmae in morem altus eminet,
 Quod premitur ille, & turpem casum perpetitur.
 Cernis, quem nunc solis splendor illuminat,
 Quod in tenebras ille incidit, atq; in his perit.
 Cernis post tempestates, postq; grandines,
 Cœlum serenum, & clara sidera conspicit:
 Post nubila Phœbus, postq; ponti murmura
 Tranquillitas subsequitur. Sic dubio procul
 Cœli gubernator, terrarum conditor,
 Deus ille quem noster herus sudoribus
 Tantis docuit, suorum neutiquam immemor,
 Infringet omnem prorsus insolentiam
 Eorum qui nunc sibi uidentur tangere
 Vertice cœlum, & malum multo cum scenore
 Iis reddet, qui sitiunt roseum sanguinem
 Piorum, hoc planè tibi persuadeas uelim.
H A. Non aberras, at quoties heri industria,

Mores,

Mores, prudentiam, & dulcem facundiam,
 Grauitatem quoq; tanta comitate conditam,
 Naturam deniq; multo perfectissimam,
 Tenax repetit memoria,
 Toties chēu cur non licitum fuerit mihi
 Insontem cæsum saltem lamentarier?

B A. Sanè multas perdis lachrymas Hanania,
 Ad rem amissam recuperandam faciunt nihil,
 Imò magis tuum dolorem exasperant.
Quare finas, requiescit herus opimus
 In pace tranquilla sed ecce confluunt
 Latrones, etiam Danielem mortuum
 Conuicio iactitaturi, audiamus hic
Quid nam uelint, tu fac ne quicquā horū sentiant.

S C E N A III.

Therolatra. Polydemus. Bal-
 thasar. Hananias.

EN Polydeme nū, ecce tyrones, nouos
 En discipulos sect.e Iudaicæ.
Quos ille liquit, ut possint testarier
 Luorem & inuidentiam permaximam
 Suam, quæ adeò dum inter uiuos ageret, fuit
 Inexhausta, ut quoq; iam extinctus cupuerit
 Eam non extingui, sed longa in tempora
 Viuere, adeamus Polydeme, si placet.
 Salutem uobis optamus, & omnia bona
 Precamur, his tamen conditionibus,
 Hisq; legibus, ut posthac nunquam ingredi

H h h Magistri

Magistri uestrī uelitis uestigia:

B A. Istud absit ut abnegemus hunc deum,

Quem noster herus Daniel testatus est

Fluore sanguinis: quin nostro statuimus

In corde, palam eum fateri uelle nos

Ex tota mente nostra, & totis uiribus.

P O. Quid: an uos duo stimulis recalcitrabitis?

Vnde noua insolentia uestra: unde hic tumor?

H A. Id quod charissimus frater meus satis

Expressè dixit, approbo, nec ulla me

Vertet sententia. semel namq; pectori

Persuasi, nunquam inter mortales degere

Michi dulce fore, si non pro gloria Dei

Mei insignem perpetiar contumeliam.

B A. Si namq; omnes quotquot orbis complectitur

Properamus, & ad unam metam tendimus,

Si mors suas sub leges singulos uocat,

Et persequitur summos ex aequo ut infimos,

Cur non lubenti animo pro eo hinc discederem

Qui post mortem, quod credo nihil hæsitans,

Aliam uitam donat, quæ nullo casui

Obiecta, sed tranquilla & plena gaudij est?

T H. Multis tuum deum crepas: at quis uidet,

Aut uidit unquam, quod ipse esse ostenderit

Se talem, qualem tu falso ore prædicas?

Si tantus est, & si super omnes maximus,

Cur non suum illud posse exhibuit proxime

Qæso: uestræ cum factionis principem

Abdu-

Abduceremus, & pro alimento bestijs
 Proponeremus: hem quid nunc sic obtices?
 H.A. Leges modum' ue Deo optimo atq; maximo
 Præscribere, non decet quenquam mortalium;
 Ipsius in manu sunt cuncta, arbitrij
 Ipsius est iuuare quando & quomodo
 Velit, nouit rationem iuuandi optimam.
 At si probares, poſsim tibi narrare nunc,
 Vbi Deus ille meus constantibus fide
 Adſuerit, & fortem dextram porrexerit.

T.H. Audire non grauabor. P.O. Dicet ſomnia.
 H.A. Postquam Nabuchodonezer princeps diu
 Captiuitate tenuiſſet domum Iſrael,
 Locum idolo fecit, id imperitans coli,
 Deo uero relicto, qui astris inhabitat.
 Ibi tum deicolæ quidam uiri, ſui
 Creatoris fulti ſumma potentia,
 Et quatuor præcipue, quorum in numero fuis
 Daniel, recuſarunt deflectere à ſuo
 Numine, & ſe ad idolum profanum uertere:
 Eos autem pre ceteris locauerat
 Summis in dignitatibus.

Præfecerat regionibus & oppidis,
 Multosq; alios honores atq; munera
 Maxima detulerat ipſis, ita ut hoc modo
 Inter reliquos magistratus ſplendefcerent,
 Ceu lumen ſolis inter reliqua ſidera
 Affixa cœlo ſplendet, omnia ſuperans

Hhh 2

Nitore.

Nitore quid multis fuerant amplissimi.
 Nemo non ipsos obseruare & suspicere.
 At res hæc cum per assentatores palam
 Facta esset regi, et ipse seductus precibus
 Cœpisset animum habere alienatum à quatuor
 Iстis uiris, priuauit primò honoribus
 Illorum tres, Hananiam atq; Misael,
 Assariamq; et deinde in fornacem strui
 Quam iuferat, destinauit, ut ignibus
 Consumerentur: ecce autem cum crederent
 Omnes, flammis uitam ipsos finisse suam,
 Obambulare in medio fornacis simul
 Socio angelo, tuti à flammarum iniuria,
 Ita ut ne capillus quidem minimus fuerit
 Adustus cuiquam, tanta Dei potemia.
 Quod cum uidisset ipse princeps, egredi
 Iussit, laudans uires inexplicabiles,
 Et bonitatem immensam illius Dei, uiros
 Qui liberarat ex necessitatibus
 Vrgentibus. Inde per cunctos terminos
 Babylonici regni edicto præcepit, ut
 Quotquot suæ potestati essent subditi,
 Illum colerent Deum, quem uos illuditis.
 Hic certè mihi credatis, haud diutius
 Opprobrio uobis erit, sed exeret
 Suas uires, cædendo cœtus improbos.
 P o. Compescito linguam scelus: si feceris
 Posthac uel unum uerbum. h a. Nimirum miseris
 Nobis

Nobis ignem quoq; parare conaberis.
 T h. Breui uulgus Iudaicum experiemini,
 Babylonicos uos ciues irritasse sic,
 Haud impunè. b a. Nil unquam promouebitis,
 Valete. p o. Ite in malam crucem: horæ postulant
 Tendamus ut domum, ubi collectis cæteris
 Viris & ciuibus quid faciendum in loco
 Hoc sit, communicabimus.

SCENA. IIII.

Ariel. Habacuc. Daniel.

Hic locus est Habacuc, cuius te gratia
 Ex finibus Iudeæ, in Babylonem, inuidam
 Sanctis uiris terram duxi, absq; corporis
 Tui omni fessitudine.
 In hanc cauernam prospice, & propone cibum
 Diuino Daniel, ut inde domum
 Solumq; patrium me reductore petas.
 Horrende bestiæ, heus leones, carniuoræ,
 Cedite uiro Dei, abstinetе uulnificos
 Dentes ab eo, sic iussit exercitium
 Deus, qui cunctis imperat animantibus.
 H a. Pax tecum D.aniel, salus & gratia
 Altissimi Dei, qui me legauit huc
 Ex Berzoar, ut essem nuncius tibi,
 Se non tui oblitum, sed tenacissimè
 Memorem esse, quare te iubet clementia
 Sua niti: quam ut perspiceres haud exiguum,
 Cibum ecce cum potumittit, que recreent

H h h 3 Fame

Fame afflictum corpus, dent & solatium
Animo tuo, te posse liberarier.

D A. Benedictus es Domine. fortis Deus patrum
Nostrorum, & laude dignus in omnia secula.
Benedictum nomen sanctum gloriae tuæ,
Et concelebrandum sempiterno encomio.
Quoniam agnouisti humilitatem serui tui,
Eumq; respexit à coelesti throno.

Laudate Dominum gentes omnes quas tegit
Sublime coelum, laudibus inquam extollite
Eum, quoniam pious, & misericordia ipsius
In æternum durat, finisq; nescia est.
Dic sancte uir, quod est nomen tibi: & genus
Tuum unde ducis? ut memor tui sicm.

H A. Mihi nomen Habacuc, genusq; est Simeon.
Ego quidem cum Iudea propagatio
Captiuæ abduceretur, diuino monitus
Oraculo, in secretiora contuli
Me loca telluris nostræ, ad quæ furor
Ducis Babylonij non penetrarat. paulisper ubi
Moratus, dum quievisset sœuities
Bellum, tum prodij demum repetens domum.

D A. Ingenti me suffundit gaudio, Habacuc,
Id quod te spiritu diuino ducier
Audio. sed expedi quomodo tam longum iter
Peragere potueris, seu quo peruerteris
Huc comite. libet enim sic colloqui.

H A. Tempus erat Daniel, quo escam messoribus

Meis cogebat ferre, ibi tum rus exiij,
 Gestans quæ uides hic præsentia uascula.
 Et cum iam operarijs propinquus essem, ij
 Quoq; expectantes me uiderent, intonat
 Ecce subito de coelis vox altissimi
 Dei, me detinet: & deinde nuncius
 Missus ab eodem facie formosissima
 Iuuenis, descendit, & salutat suauiter,
 Iubetq; confessim per oras Syrie
 Arabiae q; ad Babylonem me tendere,
 Et hoc te cibo pascere in specu abdito.
 Ego his auditis, rem paulo penitus
 Animo mecum considero, & respondeo,
 Obstacula inter reliqua hoc esse maximum,
 Quod longum sit iter, cuius prorsus sim inscius.
 At stultus haud reuoluebam potentiam
 Dei summam, qui sicut uerbo potuerit
 Creare coelum & terram, & plenitudinem
 Horum, sic posset me horæ unius tempore
 Per uniuersas orbis partes ducere:
 Ille, hec ut dixeram, apprehendit me capititis
 Capillo, & euestigio dicit in locum hunc.
 D A. Iucunda mihi tua uerba sunt, ô Habacuc.
 Subindicant enim proculdubio, Deum
 Miserari uelle sui serui, atq; uincula
 Eius dirumpere, ut fecit sepe antea.
 H A. Benè dicas, nec est quod aliter credideris.
 Spera in Dominum, & sic non potes confundier.

Hhh 4 Ipse,

Ipse ut nosti, est potens robur fidentium,
 Cui non ulla uis potest resistere.
 Accedit huc immensa misericordia,
 Quia erga suos iugiter nunquam non usus est,
 Si exempla maiorum respiciamus modo.
 Et nunc quidem communicare plurima
 Tecum uoluptati esset, ni me tempus hinc
 Vocaret. nam me messores mei manent
 In aruis floridis: tu ualeas interim
 O frater Daniel, Deusq; te suo
 Sancto & diuino spiritu corroboret,
 Ut fortiter superando tot iniurias
 Inimicorum tuorum, triumphare queas,
 Et signa trophya ferre, ampliasq; reddere
 Laudes & gloriam Dei: in longum uale
 Inquam, Deus tecum optimus, qui & maximus.
 D. A. Idem & tibi precor, summasq; soluo gratias
 Pro hoc beneficio, quo me reuocasti ex mortuis
 Quasi, & uitam dedisti: uale uir pie.

A C T V S Q V I N T I,

S C E N A I.

Cyrus. Arbela. Daniel. Praeco.
 Satellites.

F Acilè adhibere fidem possum uerbis tuis:
 Namq; ipsem et idem, ô bone, in corde sentio,
 Quod tu recenses: & communis nos premit
 Anxietas, nauicq; in communi soluimus.
 A R. Sic est. nam quis illo uiro præstantior?

Quis

Quis se similem unquam iactitare ausus fuit?
 Profectò si de cœlo quis delapsus homo
 Fuisse, haud potuisse persuadere mihi.
 Illum diuino præferendum Daniel.
 At expectare non queo quin præueniam,
 Papæ, quid hoc miraculi est?
 Accede magne rex, accede ocyus rogo,
 Accede, uidebis rem nouam, & prodigium
 Inauditum: stat sœuas inter bestias
 Incolumis Daniel: ô fortè illum Deum.
 C. Y. Supreme Deus, captum hoc lōge uincit meū.
 Scio esse te nec mendacem, nec perfidum,
 Ipsa rei magnitudo tamen fidem negat.
 A. R. Sic est, accede. C. Y. Sanè uera prædicas.
 O Daniel, præ nimio lachrumo gaudio:
 Nam non possum modis alijs effundere,
 Et prodere, quod eructat pectus insiliens.
 A. R. Varijs & ego rapior intus affectibus,
 Et cor meum summa exultat læticia.
 C. Y. O deus, ô domine Daniel, quām sunt tua
 Opera miranda, longeq; excedentia
 Cogitationes humanas. quis enim poterit
 Aut mente concipere, aut lingua explicare satis,
 Quæ tu facis, quæ tu rector mortalium
 Moliris hac terra creata inter tua?
 Cedo dextram, & ad nos ascende protinus.
 Suorum, atq; humana destitutorum ope,
 Deum tuum custodem esse, apertè liquet,

Qui te quidem septem per noctes & dies
Inter feras homini omnium infestissimas,
Truces, immanes, immites & inuidas
Sustentauit: benedictus ille in secula.

D A. Iam demum existimo uidere quemlibet
Sani iudicij posse hominem, hunc illum Deum
Magnū, inclytū, robustū, & super omnes positū,
Qui non solum uitam mihi à saevitia
Leonum munijt, sed & alimenta dedit,
Per Habacuc prophetam Israeliticum.

C Y. Per hanc coronam, regia haec insignia,
(Si modo Deus tuus meos dignabitur
Iuuare conatus) per hanc inquam tibi
Iuro coronam, me ulturum brevi scelus
Babyloniorum ciuium. quod si minus
Factum fuerit, posthac me non putauero
Dignum, qui rex regni Babylonici uocer.

P ræco. P R. Paratus o rex magne, iussa tua,
Ut me decet, statim excuar. **C Y.** Abi cito,
Voca in nostram aulam principes.

P R. Negotium hoc, ut conuenit, factum dabo
Promptissimus, segnis mora esto à me procul.

C Y. Satellites. **S A. I.** Domine rex. **C Y.** Accingimini,
Et præfatum cum foederatis prehendite,
Eos dico, qui collocarunt infidias
Nostro huic Daniel. sed hanc geritote rem
Prudenter, ne quis delitcat dolus malus.

S A. I. Tenebitus memoria rex quod imperas.

Socij.

Socij, quam nil non hoc mundo est mutabile:
Ecce, actor cogetur luere pro reo.

S A. II. Merito. sic vindicat sese innocentia.

S A. III. Inuerit cuncta ipsius dies, credite mihi:
Quae detegenda, ea detegit sine dubio.

Hec themis natura est, ut succumbere
Iustos nunquam finat, sed semper erigit.

SCENA II.

Præco. Arioth. Sitophorus. Nehemias. Tamias. Daniel. Cyrus. Satiellites. Sanallabath, cum seditiosis.

EN magne rex, en exequutus sedulo
Id sum, quod iniunxisti mihi famulo tuo.

A R. Nisi me fallant oculi, conspicio Daniel,
Qui nuper est datus diris leonibus.

S I. Is est. A R. Ah quot modis onustus gaudijs
Ingentibus sum; ô incompræhensæ illum deum
Maiestatis, qui nobis restituit uirum

Tot nominibus tollendum ad nitida sidera.

Salue pie presul. S I. Salue antistes optime.

N E. Si saluos uir clarissime. T A. Ave ipsa sanctitas.

D A. Grates, uiri illustres, summas ago singulis.

A R. Gaudemus Daniel te nobis redditum.

C Y. Merito gaudebit tota natio Israel,
Tantum se rursus consequatum esse decus,
Sedete uiri, agemus rem necessariam,

Videtis arbitror dilucidiſſime,

Deus

Deus ille quem nobis reuerendus hic senex
 Tanto occinit labore, quam mirabiliter,
 Prout clemens & fortis est, seruet suos
 Videtis insuper, quam iniuste agant ij,
 Qui sanguine sanctorum suas rigant manus.
 Id quod Deus coeli & terrarum conditor
 Satis & abunde declarauit in eo,
 Quod Danielem haud passus est ab horridis
 Feris, leonibus, antro in caco diripi,
 Sed uitam prorogauit, quam uiuat diu,
 Depellens humanorum cordium tenebras.
 Quare uisum est mihi autores accersere,
 Quis sunt nocentes ista peragenda nece,
 Ut uideant quam contempserint summum Deum.
 At qui uenient trifurciferi huc. homicida gens
 Babylonia, ex sitiens iustorum sanguinem,
 Cur insequata es tantopere bonum hunc uirum?
 Qui contulit in te ingentia beneficia:
 Et in Deum ipsius, quod est miserabile
 Et dictu & auditu: cur tanta conuicia,
 Tantas blasphemias & contumelias
 Tam obstinate edidisti? iam nunc senties
 Lupina gens, quid adferat oues persequi.
 Dic Daniel, quid sit tibi probabile.
 D A. Non id uidetur, Rex, esse deicola euri,
 Vindicta, quam Deus coelorum conditor
 Sibi reseruat, inhiare: quin ei
 Cuius nutu terrentur cuncta animantia,

Qui

Qui dicit, se manus habere vindices,
 Se posse retribuere cuiq; pro merito,
 Et negotium totum commiserim.
 C. Y. Dic Arioih, tuam profersententiam.
 A. R. Quia nunc rogor sententiam, permagne rex,
 Alijs honorem eum lubens concesserim:
 Dicam tamen quod & quitas me iusserit.
 Ac iam primum omnium constare existimo,
 In quem finem nobis magistratus siet
 Praefectus, & in quem usum concessus gladius
 Ei, nempe ut malum auferat è Republica,
 Et populi motus supplicijs coerceat:
 Quo cæteri conspicientes eiusmodi
 Documenta exemplorum, discant desistere
 Et abstinere se à delictis, atq; uiuere
 Quietè tranquilla, in hac societate hominum.
 Quapropter cum hi facinorosi inter reliquæ
 Flagitia hoc longè perpetrarint maximum,
 Quod communem pacem turbantes, optimum
 Virum, & nulla unquā in re, quod scio, culpabile,
 Absq; omni causa sunt conati perdere,
 Et non uulgari, sed nece atrocissima,
 Id reipublicæ mea sententia
 Salutiferum esse uidetur, mortis hoc genus
 Subeant, quo machinati insontem tollere.
 Sunt Daniel. atq; hæc mea est sententia.
 Iam consultandi alijs locum relinquere
 Decet, C. Y. Suam mentem nunc detegat sequens.

A. R. Pro-

A R. Probatur id, quod huic bono viro placet,
Pedibusq; in illius sententiam uolo
Discedere. nam iura, haud ignoro, postulant,
Et æquitas, ut iam dictam poenam luant.

S I. Non hæc possum mutare, quæ prolata sunt.
Sic sentio, ut hi dixerunt, inuictus rex.

N E. Cum & ipse nūc iubear, quid in re hac semia,
Pronunciare, & addere calculum meum,
Id approbo quod nunc differuistis, patres:
Et malefactores hos meo suffragio
Damno in spelæum, quo Leonum habitaculum est,
Quod si simili modo esse possunt per dies
Septem, præsidio Bel & Draconis sui,
In columnes, forsitan uitæ ipsorum consuli
Poterit, & domini regis cor inuertier.

T A. Hos magne rex miseratione iudico
Dignos, cum res in tuto iam & pacata sit.

Nam quid sibi uult tantus legum rigor?
Qui sepe principium est & causa incommodi.
Non tamen omnino liberos euadere
Debere dico, sed culpam hanc præstare queunt
Alia graui poena: quare hoc delibera.

C R. Haud sic fiet. nam quæ dicis, affectibus
Strepunt, quibus solutus sit sanctus iudex.
Amor facit, id amori condonandum erit
Quod dixisti: quin fiat exequitio
Acribodicei. ehem ministri, prehendite hos,
Et ad leones, queis cum Daniel fuit,

Abducite!

*Abducite: heus curate, ut nostis, optimè.
 Nos iam porro in uicem communicabimus,
 Quid sit agendum cum gente Israelitica,
 Quo pacto unus Deus annunciarier
 In nostro regno possit, Deus ille Israel:
 Vos iam spectatores ualete, et plaudite.*

C O R O N I S.

*H Abetis rem totam, auditores optimi:
 Quam si prono et intento audistis pectore,
 Immortales uobis habemus gratias.
 Precamur et, ut singulos altissimus
 Deus, cui tota mundi moles subdita est,
 In aduersis rebus donet constantia,
 Ea qua Danielem donauit, ut hoc
 Aperte uidistis in nostro drammate.
 Nunc ad suas se conserat res quilibet,
 Omnem Deo soli dans gloriam:
 Cui laus, honor, triumphus et uictoria.*

F I N I S.

I O A N-

JOANNI ENTOMIO,
quod fœliciter absoluerit Zorobabelem,
Matthæus Philargyrus.

Sunt homines soliti rebus gaudere secundis,
Ex animo nobis prospера cuncta fluant.
Sed tamē in primis uarijs procul errat in oris,
Si quis amicorum littora rauca fecet.
Huic si contigerit fœlices tangere portus,
Vel datur optatos cernere quando locos,
Festa dies dicetur, io lætentur amici,
Laudabunt superos, restituisse uirum.
Restituisse uirum, puppim rexisse per undam
Fluctuonam, ne mors proh patienda foret.
Quare præcipuos inter uenerande sodales,
Læticia exulto, quod tibi contigerit
Per mare ueliuolum uentis soluiss e secundis,
Optatos q̄ nauim quin petijisse locos.
Hoc mihi nil fateor potuit contingere maius,
Quo tamen audieram tempore, lætus eram.
Det tibi cœlipotens, omneis sic tāgere portus;
Nauita, qui uentos, qui mare, cuncta regit.
Hic nobis Helice, nobis Cynosura, per altū,
Hoc, si uela dabis tu, duce tutus eris.

Z O R O,

ZOROBABEL.

DRAMA SACRVM COMICUM, ex Esdræ libro. In quo typus est regni feliciter constituti: unde monarchæ discant, uirtutibus et prudentiæ præmia esse constituēda. Primū uernaculo Rhythmo olim Basileæ à Xysto Beateleio scriptum, nunc per Ioannem Entomium Auggustanum Latinis numeris redditum.

PERSONAE.

Darius rex Persarum	Buccinator
Auleus scriba.	Onys
Talithybius præco regius	Dromæus
Cophus	Tachystus
Oenocrates	Satellites regiæ
Colax	Mediæ
Zorobabel	Aethiopæ
Hipparchus.	Signifer
Cancellarius	Phrurarchæ
Atrienfis	Dapifer
Pincerna	Nomophylax
Questor	Caduciferi, siue
Præfectus annonæ.	Caduceator
Diadochus	milites gregarij
Thraso	
Anander	

ZOROBABEL.
PROLOGVS IN
Zorobabelem.



Ihil Domini Dei magis quod pro
uehat,
Seu quod souere possit, almā glo-
riam,
Quām si magistratus, pījū; prim-
cipes,
Intelligant, Dei q̄; discant dogmata.
Testantur hæc sacræ tibi uolumina
Legis, docebit ista frequens lectio.
Tacemus hic locos ubiuis obuios.
Iam ponderabimus quid hoc uelit sibi,
Quod exhibet, sacrisq; dictat literis
Esdras: probabis, displicebit neutiquam.
Ut rex Darius, à parentibus genus
Ducens regalibus, pioq; stemmate,
Cultum Dei reeperit fideliter,
Spretis dijs, quos odit maximus Deus,
Pluris putans princeps bonus prudentiam
Honoribus, uenantur isti quos uiri.
Sanguine genus metitur haud iam nobile,
Nec opes Darius ipse suspicit suas,
Regni sui miratur haud potentiam.
Præstantiorem ducit, & laudat magis
Famulum suum præstantem intelligentia.
Honore & dignitate cunctis prælulit,

Solam

Solam respexit iste rex prudentiam:
Dei benignitas ob hoc benigniter,
Multas uiro largita opes, potentiam:
Præ cæteris regem probauit omnibus,
Deum quod agnouit salutis arbitrum,
Babylonicis populum remisit finibus
Iudaicum, manumisit rex optimus.
Aedem uiris reparare permisit sacram;
Illi potestatem colendi fecerat
Deum, pijs obsignat illud iussibus.
Sed rem uidebimus penitus amabilem;
Breuiissimè caput rei tentabimus.
A' calce mox ad fines usq; proferam,
Quantum tenera feret labensq; ætatula;
Quæ non dies uitæ suæ multos habet,
Nulla est habenda ætatis nunc ratio meæ.
Quare rogo, precorq; cum silentio
Audite quæso hoc dramatis notabile
Factum, patebit fructus hic amplissimus.
Intelligetis inde, quam sit utile ad
Rerum statum, si princeps in republica
Prudentia diuina prædictus siet,
Aut iuxta prescriptum uiuant prudentium,
Quando his uiros tales Deus concesserit.
Tacet nunc, adeste cum silentio,
Turbae uiri cauete præstantissimi.

D I X I.

lili 2 ARGV-

ZOROBABEL.
ARGUMENTVM.

Celebrans suum Darius natalem diem,
Tunc sumptuoso satrapas conuiuio
Excepit omnes, & tractauit splendide.
Certamen acre tres parant Satellites.
Primus satelles uina laudat feruida:
Regis secundus euchit potentiam:
Zorobabel autem foeminas laudat pius,
Sed ueritatem candidam longè magis.
Victoriam quare reportat masculam:
Pro præmio uictoriæ mōx impetrat,
Redire quo poscit postliminio domum,
Templum Deo ut suum instauretur inclytum.

ACTVS PRIMI,

SCENA I.

Darius rex solus.

Mihi fideles principes, charissimi,
Hilares meam sententiam perpendite,
Quæ cauſa fit quod uos ad me uocauerim,
Huc regiae iubens subire limina,
Post sumptuosum quod meis conuiuium
Feci uiris: pro more planè regio,
Celebranda natalis dies mihi cum foret,
Pro se ministri quisq; ad aulam conuolat,
Qui se cupid nostro approbari nutui,
Spectare tum uaria solent spectacula,
Varios uidere ludos & certamina,
Iactant iocos tunc libere, ac facetias,

Ludos

Ludos equestres, curuum certamina,
Victoribus corona præmium datur.
Quidam sagittis corpus exercent suum,
Pro uiribus certare tentant quilibet.
Tunc quisq; pro se rem gerit fortissime,
Quo gloriā reportet hinc laudabilem,
Meā sibi ut quoquo modo clementiam
Deuinciat, mihi se totos approbent.
Regalis hoc modo ecce liberalitas
Ad liberales artes incitat uiros,
Tam præmijs quam honoribus propositis.
Regno probè possunt nostro conducere,
Pro temporis successibus, tales uiri.
Nouum genus uidete nunc certaminis,
Nullo prius quod antè uisum est tempore.
Non aula nostra, nulla regni portio
Eiusmodi uidit genus certaminis.
Prudentia est huius certaminis typus.
Audite, cum cibo refertus surgerem,
Suauissimo corpus potu cum maduit,
Mox me quieti tradidi placidissimæ.
Securus ut diu quieui molliter,
Somnoq; postquam expergesfactus intimo:
Me conuenere tres uires ualidissimi,
Qui corporis mei gerunt custodiam,
Quod diligenter exequuntur, & bene,
Hunc offerunt mihi libellum supplicem,
Qui singulis uobis coram recitabitur.

ZOROBABEL.
*Quis sensus huius sit, studiose attendite.
 Recitato schedam aperte Cancellarie,
 Ut principes petita illorum intelligent.*

SCENA II.

Aulæus scriba.

Attende quæ petamus, ô rex inclyte,
Hono^s, decus regni tui laudabile:
Humiles preces nostras rogo perpendito
Clementer, & benignè, quod semper facis,
Regem fauore prosequuntur qui suum,
Nomenq^z regis laudibus concelebrant:
Nihil fuit quod comparare gloriam
Possit mage, & regni decus tutarier,
Quam si locus prudentiae relinquitur,
Nutritur, & summis ornatur præmij.
Quare decet tuam magis clementiam,
Multa benignitate prudentes uiros
Fouere, dignitatis his gradus dare,
Honoribusq^z ornare. Multi en hodie
Retulere dona pro uirtute splendida,
Victorijs, quas quisq^z nactus, acribus,
Melior tamen nulla extitit uictoria,
Præ cæteris, quæ sit uehenda laudibus,
Prudentia quam si quis antecellere
Possit uiros multis gradibus acerrimos,
Quare preces nostras, rogamus supplices,
Exaudiás, parui nec aestimes uiros,

Rex

Rex magne, qui tuis decoris subditis,
 Si nostra nil ualeat tuis autoritas,
 Tuos ministros esse quod sciant, uiris,
 Nos rectius ministros intellexeris.
 Monumenta prisca multa exempla continent,
 Humili gradu uiros fuisse præditos
 Prudentia, & præcelluisse diuites.
 Hic nobilis ualde est, qui præditus p[ro]p[ter]e ob[lig]e est
 Præ cæteris uera uiris prudentia.
 Sapientiam non bulla aut uestis arguit.
 Humanitatis est tuæ rex maxime,
 Post hac uiris prudentibus proponere,
 Præstantius multo, & brabeion dulcius,
 Homini ut locus priuato, sitq[ue] accessio,
Queat bonis honoribus fungi suis.
 Problema nostrum quisq[ue] habet rex maxime,
 Probare quod cupit pro uiribus suis,
 Et qua ualeat sua graui prudentia.
 Primus sibi uinum uideri dictitat
 Donum Dei longe omnium fortissimum.
 Alter fauorem gratiamq[ue] maximi
 Regis, contendit fortiorem cæteris.
 Sed tertius, quiddam nouum iam proferet,
 Aßignat iste foeminiis robur ualens:
 Exceptione sed seruata maxima,
Quod ueritas palmam teneat uictorie,
 Semper manu sua potenti fortiter.
 Sed te penes, Rex, sit censura, & principes,

Cui uestra palmam adiudicant suffragia,
 Ille esto uictor gloriōsus, praeium
 Reportet, & coronam cum uictoria.
 Hoc nomini semper tuo laudabile
 O rex erit, si prae dicetur undiq;
 Si fama diuulgabitur apud exteris
 Gentes, tuæ quæ ditioni subiacent,
 Summum quod hic tenet locum prudentia.
 Celebris docet uulgaris hæc parœmia,
 Artes honos alit, fouetq; largiter,
 Virtutis nutrimentum est optimum.
 Quare preces he supplices, o sceptriger,
 Curæ uelim forentq; consultantibus,
 Nostrisq; uoti compotes nos redderent,
 Post hac magis magisq; quo prudentia
 Plantetur, & regnum tuum per secula
 Laudetur, longè celebretur undiq;;
 Operamq; nunc summo nostram studio tibi
 Trado, boniç; consulito quæ scripsimus.

SCENA III.

Darius. Talthybius.

Vos principes, & regni nostri satrapæ,
 Populum gubernantes meum fideliter,
 Ex supplici libello quid uiri petant,
 Satis superq; uobis nunc est cognitum.
 Nunc oxyus uocabimus ad nos uiros,
 Qua sint uiri prudentia aestimabimus;
 Pro dignitate dein rei sententijs

Per ordinem collectis, iudicabimus.
 Quare uiros nobis uocatu Talthybi,
 Mox apparere ne morentur impera.
 TA. Mandata rex nunc exequar celerime.

CHORVS PRIMVS.

Ex Psal. XV. Domine quis habitabit in
 tabernaculo tuo?

QVis nam cunctipotens incolet, o Deus,
 Templum conspicuum laudibus hic tuum?
 QVis dignus fuerit, quis poterit rogo
 Versari sedulò montis in arcibus?
 Viuens innocue, pectore candido,
 QUod iustum est operans, ueraq; dictitans,
 Qui non alterius nominis est nocens,
 Non damno socium turpiter afficit.
 Vicinum opprobrio haud afficiens suum,
 Famam non lacerans nomina proximi,
 Assuetos homines turpia prodere
 Contemnens, mala qui facta uolunt sequi.
 Obseruans Domini dogmata qui colunt:
 Qui iurans, opus hoc haud facit irritum:
 VUsura insuper haud auxerit æs suum,
 Insontem super haud munera sumpserit.
 Hoc quisquis faciet tempore quolibet,
 Perpurus manet hic, crimine dum caret,
 Hic saluabitur ut suppicio carens,
 Aeterno perit tempore, sed manet.

SCENA I.

Talthybius. Cophus. Darius.

Oenocrates.

Vos regis apparere iussu dicto,

Qui literis prætenditis certamina.

C O. Prompti studemus iussa regis execui.

D A. Iam uos ministri, quos fideles arbitror,

Prodite uoti compotes, fit copia

Vobis ministris nunc dicendi liberè.

Actate qui prouectiore, initium

Orationis auspicetur, interim

Vos auscultate summo cum silentio.

OE. Qu' in quoquidem nunc copiam fandi dedit

Rex maximus, pro regia clementia,

Omnesq; quotquot absent uiri boni,

Quid quisq; possit pro suo arbitrio loqui,

Proferre quæ uiro placent cuilibet:

Ex plurimis propositum hoc solum placet,

Præ cæteris uinum puto fortissimum.

Manifesta res cunctis patet mortalibus:

Probatione res puto non indiget.

Nil fortius profecto in rebus omnibus

Existit, alta mente si quis reputet:

Nil latius uires, quam uina feruida,

Extendit, orbe toto, ubiq; gentium.

Tyrannidem diram hoc exercet. Non sinit

Mortalium quenquam esse iure liberum,

Pessundat

Pessundat uniuersos uiribus suis.
Non ulla uis, non ulla usquam potentia
Quæ poscit huic uel paululum resistere
Non ipse Rex Medorum, nullus satrapum
Procerum' ue ab istius liber tyrannide est.
Adusq; seruum futilem, dominium quidem
Exercet hoc, nullis parens mortalibus.
Nemo fuit tam prudens ullo tempore,
Tam cautus, ut uitauerit tyrannidem,
Potentiamq; uini ineuitabilem.
Vis quælibet, sit quanta quanta sternitur,
Cum uina uirtutem atq; robur exerunt.
Est magna uirtus memis, ut quæ cœlitus
Traxit suam (præclarar e) originem:
Succumbit ast magnæ uini potentiae.
Sed nulla uis menti potest resistere,
Potest suis uinum sedare uiribus
Sensus, caputq; deicxit loco suo,
Ratio sagax uino captiuia dicitur.
Aequaliter uinum uniuersis imperat.
Vinum penes non est respectus diuitum.
Fert susq; deq; principum potentiam:
Nullamq; habet rationem ullius pauperis.
Pastorq; Rexq; idem sunt, seu seruus miser,
Seu principis fit constitutus quis gradu.
Priuatus atq; rector æquè seruiunt,
Parentq; uicti, uini fortitudine.
Non istud est fortassis tam mirabile,

Nam

Nam quolibet retro fuit id tempore,
 Ut si quis esset uel rex, uel dominus potens,
 Mitis, benignus, liberalis maximè,
 Huic promptius seruire quilibet uolet:
 Isto modo fit regnum multo firmius.
 Similis inest uino natura, & in doles,
 Est mite, dulce, forte, ad hæc bibentibus
 Haud parua præstat cum uirtute munera,
 Hoc plura, quo quis haurit istud largius.
 Melius enim sermo fluit post pocula,
 Diserta multo lingua redditur magis,
 Omnem procul profligat mœstitudinem,
 Fert gaudium, multam lætitiam merum.
 Animosiores reddit largum pectore:
 Parui facit putare diuitias, opes,
 Curare nil de debitis, inopia,
 Omnes dolores abiisci atq; negligi.
 An credas esse, terra quod ferax alat,
 Virtute uino conferendum quod siet?
 Vbi enim locum tenet uinum dignissimum,
 Ibi est honos, decus, remota turpia.
 Quid: quòd solet magnam regis potentiam
 Domare: quid, quòd principum tyrannicos
 Animos facit, fiant ut mansuetissimi.
 Imò facit quo dignitatis regiæ
 Non sit memor, decori oblitus turpiter.
 Non sceptra, non coronam, non diademata,
 Non purpuram curat temulentus amplius.

Contrà

Contrà suas merum uirtutes exerit,
In pauperis fortunas mirabiliter.
Virùm prius qui uixerat pauperi imus,
Vt moribus superbis sit, reddit merum:
Inflatq; mentem, uana ut arrogantia
Tumescat, oblitus sortis pauper suæ,
Vt iactet amplas diuitias felix suæ,
Cui non domi suæ fuit teruncum:
Et uerba profert surgens sesquipedalia,
Qui mutus antè, conscius miser sibi.
Vis quanta sit uini, obseruabis amplius:
Coniuncta rumpit uincla amicitiae citò.
Non foedus est, non hospitalis tessera
Tam firma, tam suffulta iustis legibus,
Quam non refringat aut rumpat uirtus meri.
Amor nihil, faterna nilq; charitas
Illi ualet, uinum ista cuncta despicit.
Vinosus ecce ferrum stringit, non habens
Rationem amici, quemlibet uirum petit.
Inuadit omnes non seruato discrimine,
Numerum nihil curat, nullam frequentiam,
Discurrit & confert manus cum millibus.
Sed per quietem si uinum edormierit,
Statim uanescit omne quod uoluit prius
Vino grauatus exequi suauissimo.
Vestris uiri perpenditote mentibus,
Num iure uino debeat is optimo
Victoriam, & num cunctis fortius siet.

E X C A P I T E Q V A R T O,

Darius rex. Colax satelles.

VIdere dic tuum Colax suauissime,
Cunctis tuam declara nunc prudentiam.
c o. O rex tui regni decus laudabile,
O principes regi Dario qui fauent,
Pro dignitate ut quisq; compellandus est,
Dicturus hic quæ sim breui cognoscite,
Ex uniuersis uobis atq; singulis
Problema quoddam propositum quæsiuerim.
Vlo'ne perceperistis ante tempore
Mortalis ullius uiri potentiam,
Terra, mari, per cuncta mundi climata,
Quæ conferenda sit.
Non tanta creditote ullis temporibus
Fuit potestas, quæ sit ausa Mediæ
Sceptro & coronæ, maiestati Regiæ,
Temerariè quoquo modo se opponere.
Parere & obsequi paratus quilibet.
Ad bella si suos iubet rex subditos,
Capeſſit arma quilibet crepantia,
Montes iugis quæ celsa tangunt sidera,
Turres, poli ferire stellas quæ solent,
Nituntur isti uiribus conuellere.
Montes suis mouere sedibus uolunt,
Direptioni quisq; ciuium studet
Urbis, soletq; in hac sudare strenue.

Mandat

Mandata regis tam piè colunt uiri,
Ut turpe ducant in duello gnauiter
Rem gerere, sed certatim pro se quilibet
Forti manu cupidum perduellibus
Vel cominus uel eminus iam congredi.
Non ultimus, sed primus esse quilibet
In hostium castris, in muro, in aggere
Contendit, idq; tamum regis nomine.
Iactura uitæ dicitur parui breuis.
Hæc omnibus semper uiris sententia,
Nullo modo regis mandata linquere.
Luetq; bello parta præda uberrima,
Quæ sita ex armis gloria ex uictoria
Debetur omnis Regi longè maxima.
Quid, quod suis laboribus terram colens,
Ut sospes atq; saluus esse rex queat,
Aulam suis laboribus regis fouet,
Satis superq; sit uini atq; tritici,
Ut commensatus toti regno suppetat,
Retinere quo suam possit potentiam,
Tributa fisco principis reddenda sunt.
Sunt uerba regis optimi lex uiuida,
Auferre uox regis potest uitam omnibus.
Præscribit ille quo modo se quilibet,
Moresq; debeat suos componere.
Recte facit, regis præcepta qui colit.
Solus potest rex, quæ placebunt, optimè,
Et quæ uidentur usui esse, persequi.

Cibum capit, indulget uino largius,
 Carpit leuem somnum, uigil rex excubat,
 Nulli tamen facti rationem reddere
 Tenetur, arbitrio gerit suo omnia.
 Satellites fidei curam fideliter
 Vitæ gerunt, & corporis custodiam,
 A quo recedunt ne latum digitum quidem,
 Huius tuentur maiestatem fortiter.
 Orationi nunc meæ finem uiri
 Impono: uos hanc nostram controuersiam
 Nunc æquitatis lance rectè expendite,
 Maior' ne ueritas penes uirum siet
 Qui iam prior dixit, uel me penes modo.

SCENA III.

Darius. Zorobabel.

Minister heus fidelis, te uices habent,
 Problema nunc tuum paucis edissere.
 Z o. Quoniam quidem mihi rex loquendi copiam
 Fecit, sine omni dicam contumelia,
 Orationis nunc meæ telam ordiar.
 Testabor hoc uos omnes incliti uiri,
 Verißima esse quæ nos dicturi sumus.
 Rationibus uosedocebo liquidis,
 Quod nec potens rex sit, nec uina fortia,
 Si conferantur his quæ nos probabimus.
 Nam si meam quis percipiet sententiam,
 Muliebris antecellit hæc sexus sagax.
 Potentior censenda cauſsa effectibus:

Rex

Rex ipse natus est potens de fœmina,
 Hinc quidquid est hominum, genus traxit suum,
 Seu sit colonus, rex, pastor, dux, artifex,
 Originem de fœminis trahit suam.
 Mortalium totum genus est ex fœmina.
 Immensa si quis possidebit pondera
 Auri nitentis, aut talenta argentea,
 Hinc si puella arriserit uenustior,
 Opes nihil quam umbra illi leuis.
 In hac uigil, somnoq; pressus mentem habet
 Desixius, cogitatione sedula
 Placere quo posset pueræ amabili.
 Illi magis uultus pueræ lacteus
 Arridet, auri gaza quam ditißima.
 Nati parentes deserunt charißimos,
 Et patriam relinquunt en dulcissimam,
 Qua nil potest antiquius contingere,
 Caussa elegantis atq; amatæ fœminæ.
 Mulierculis pleriq; affectant obsequi,
 Parere, nil recusant ne uilißimum
 Seruitium quidem detrectant exequi:
 Tam cæco amore amant mulieres plurimi,
 Vento ut leui uitam audeant committere.
 Haud ulla sunt tam dira illis pericula,
 Que non amoris caussa perferant uiri,
 In uniuersum cuncti. Namq; bellicos
 Motus amoris caussa saepe concitant,
 Et saxa, et ignes, et maris discrimina

Subire nil recusant isti mancipes,
Ut mos geratur imperiosæ fœminæ.
Vxorios uideas uiros quam plurimos,
Qui non habent rationem honesti, turpiter
Res perpetrant, modo obsequantur fœminis.
Negatis hoc? nemo negat, certo scio,
Nec principum quisquam, nec rex ipsius negat.
Rapina, furtæ, cædes, insidiæ, doli
Fiunt, modo ut mulieris imperio satis
Fiat, libido ut expleatur insolens.
Discrimen haud ullum fuerit tam fleibile,
Tam dira nulla sunt, inquam, pericula,
Vxorius quæ non subire peruelit,
Dum coniugis seruare gratiam queat,
Et expleat luxuriam insatiabilem.
Vnius amplexus noctis pecuniae
Summa graui, turpis gynæocratumenus
Emit, sibi fauorem ignauus comparans.
Dignam rei si quis fidem desiderat,
Exempla sunt eius rei quam plurima,
Quod fœminarum amoris caussa plurimi
Aequum bonum, atq; honesta qui reliquerint,
Charaq; libertate & uita turpiter
Miseri priuati sint. Id euidentius
Fiet, magisq; exemplo nunc probabile.
Quis quæso uestrum est, qui negare id audeat,
Quin rex siet fortis, potens præ cæteris?
Huic comparandus nullus usquam gentium est:

Vid?

Vidi tamen meis istud oculis, uiri,
Quod concubina regis gnata Bartaci,
Primarij uiri, sedebat Apame
A' dextra regis monarchæ maximi,
Diadema regi detrahebat regium,
Regis decus: suo imponentem uerticib;
Regemq; uerberat hæc lœua manu.
Ad hec bonus rex contuetur pellicem,
Et ore aperto arridens, non gry mussitat;
Hanc contumeliam uorans acerrimam,
Si rideat ista, ridet ille rex miser.
Sed cum tuerit illo toruo lumine,
Blanditur illi ceu captator gratiæ,
Tantisper illi conciliata hæc annuit.
Quare uiri, nemo negabit ut puto,
Mulierculis potestatem esse maximam;
Quibus parere pro se quisq; uirum studet.
Quid, ô uiri, in me sic uos intuemini?
Quid murmuratis? quid' ue hæc muſitatio
Sibi uult? Sunt uestra isthæc suffragia?
Sunt ludus atq; iocus, que iam diximus.
Quid porro sim dicturus, hic attendite.
Fortes quidem mulieres, nemo istud negat.
Immensa terræ magnitudo, ad hæc polus
Opinione celsior, mundum tamen
Radijs uagans sol ambit unico die,
Solus potest hæc efficere uerus Deus.
Mortalibus stupenda hæc sunt miracula:

Kkk z Sed

Sed maius hoc, præstantiusq; est omnibus,
Quæ manat ex eodem ueritas Deo.
Nil ueritate fortius mortalium
In rebus. Hanc orbis sinuosus laudibus
Ad astra fert, cœlorum hanc concelebrant throni,
Elementa rerum ueritatem maximam
Merito timent, tremiscunt, horrent singula.
Non error ullus est in ista lubricus.
Si conferas cum ueritate fortia
Ex uite nata uina, iniqua maximè
Iniustus ipse rex est sepiuscule,
Plenæ dolo fallaci sunt mulierculæ.
In uniuersum, tota gens mortalium
In uanitate mersa oberrat perditissimè,
Non ueritas inest rebus mortalium
Corrupta sunt sed uanitate singula.
Mendacio peribit gens mortalium,
At ueritas æterna durat secula.
Non hanc penes respectus est mortalium.
Nam pauperem & potentem iuxta hæc æstimat.
Hæc æquitate quæ facit, statuit bona.
Iniquitat; non tamen locum dat ueritas:
Cunctis benignam se exhibet. mitissima
Hinc innotescit illius potentia,
In orbe terrarum, per regna & oppida.
Aequum bonumq; quod bene seruat iudicans.
Uiam penes robur, maiestas regia,
Et dignitas potens in multa secula,

ZOROBABEL.

117

Huic ueritatis sit Deo laus maximo.

CHORVS SECUNDVS,

In laudem ueritatis.

SEmpre laudibus est uehenda magnis,

Quam laudat bene, ueritas, satelles.

Hanc palmam tribuisse ueritati

Dicemus, merito uehenda laude.

Dixit Pythagoras, deus colendus

Quod sit, post tamen ipsa ueritasq;:

Non hac qui fruitur, beatiorem

Contingit fieri, datur' ue cuiquam:

Vllus' ue est animo cibus repertus,

Qui sit dulcior ipsa ueritate.

Durat secula ueritas, manetq;

Conflans plurima: sed peribit ille,

Mendax qui fuerit, loquensq; falsa,

Ceu sumus periit leues in auras.

Christum uos celebrate ueritatis

Autorem, bona qui rependit omni.

Vocem tollite uos, mouete cantus,

Quorum pectore ueritas resedit.

ACTVS TERTIUS,

SCENA I.

Rex cum principibus suis consultat, quo quisq;
satellitum præmio dignus sit.

Darius, Satrapas Persicæ, Satrapas
Mediae, et reliqui prin-
cipes.

Kkk 2 Ex

518 ZOROBABEL

Ex tribus istis, principes charissimi,

Quis cæteris uidetur hic prudenter?

Docete, quisq; proferens sententiam.

Tuum uidere expone præses Persidis.

P.E. **Q**uoniam fateri ueritatem maximus

Rex iussit, ecce ueritas palmam sibi,

Sententia mea, nam uictrix, uendicet.

D.A. **Q**uid sentias, palam dic princeps Mediæ.

S.A.M.E. **A**nimo placent uiri meo isti singuli:

Longe tamen uidetur hic præstantior,

Qui ueritati gloriam tribuit suam,

Huic candido nunc suffragabor calculo.

D.A. Hipparche mi, cui tu palmam tribuis rogo?

H.I. Zorobabel esse dico uere nobilem

Virtute, fortitudine, & sapientia:

Quae uera, non famosa tibi est nobilitas,

Distabit à bonis nihil uirtutibus,

Bona fide rex magne tutò hoc credito,

Palmam cuiquam hac in re nolle obtrudere,

Nel auribus cuiusquam hoc blanditijs dare,

Zorobabel arridet quod præ cæteris.

Quis non putauerit, quod omnipotens Deus

In gratiam Regem receperit suam:

Quin te corona regia donauerit,

Ac tot bonis, potentia & uirtutibus;

Idem sed ipse te donauit hoc uiro,

Regni tui decus qui præstantissimum est

Cuiusmodi dabit tibi posthac plurimos.

Honore

ZOROBABEL.

59

Honore quo quis dignus est iuuenis bonus,
 Reuerentia summa colendus omnibus.
 Quotquot uelim, sunt principes regni tui,
 Ad hunc modum sint prædicti prudentia,
 Ut prædictus fates sic nouissimus.
 Hoc si queam uotis effectum reddere,
 Non dubitarem id iactura substantiae.
 En tantum abest, ut hoc iniquo animo feram,
 Si principes inter posthac numerabitur.
 Hic euidentis uirtutis exemplum meis
 Oculis erit, semper tueri quod lubet.
 Gens ipsius gaudebit hoc meritò uiro,
 Cui sum futurus ego posthac fauentior.
 Sepissime mirabar, o rex inclyte,
 Quæ causa sit quod Cyrus huic adeo fuit,
 Regnum bonis cum retineret legibus.
 Sed iam uidere me caussam istius puto.
 Pietate rex erat plenus, prudentia,
 Quæ prouenit diuinitus mortalibus.
 Haec serio, quæcunque sunt rex, differo
 Ut me mouet simplicitas, quod res docet
 Suadere nunc uelim postlimimo uirum hunc
 Reduceres, Cyrus sicut fecit prius,
 Qui pristinam dedit potestatem suam.
 Nunc cæteri quid hac de re pronuncient,
 Quæ singulis probentur, ex his quærito,
 D. A. Ecquid fidelis legum custos, dic tua
 Mihi pro fide, et legum uigore: quis tibi

Kk 4

Videtur

Videtur optime dixisse. N o. Maxime
Rex, liberè quidem fateor, sed imprudentior
 Tamen, me am. Putau, sed stultissimè,
 Non posse quenquam quicquam de virtutibus
 Prudenter aut cordate ueris dicere,
Nisi prius titulotenus Doctor: sed hic
 Videmus hoc, cordat a quod prudentia
 Satelliti data est talis diuinitus,
Qualem sibi uero uel Rex, uel principum
Quisquam suis rebus gerendis peruolet
Dari. D A. Tuam sententiam doctissime,
In quaſtione iſthac, mi Cancellarie
Aperi. C A N. Lubens quidem iſtud o Rex fecero.
 Semper putau cordatam prudentiam
 Cum maxima potestate eſſe uinculo
 Vinctam insolubili copulatam: sed modo
 Video ſecus, in hoc uili satellite:
 Non annuli, non uestis rubens murice.
 Satellites sapienter pro ſe ſinguli
 Dixere, ſed præ cæteris hic Zorobabel,
 Sapientia diuina & eloquentia
 Inſtructus haud uulgari, dignum præmio
 Pronuncio, uictorem preſtantissimum.
D A. Tuq; Atriensis, tu fidelis regiae
 Custos meæ, dic quid de controverſia
 Satellitum diſertorum tu ſentias.
A T. Hipparchus hoc, o Rex, dixit, quod ſentio.
 Eſt laude digna iſtorum concertatio:

Palmam tamen Philalethes iste retinet:
 Ornandus est profecto insigni munere
 Et euchendus ad quoddam fastigium,
 Et principes inter numerandus maximos.

S I. Nolo amplius post hac, sicut consueveram.

Nullius estimationis spernere
 Prae me uiros, parui putare proximos.

Fatebor, illi do locum, cedo procul.

Si militaribus licet decernere

Decursibus, præstare me uirum queo,
 Sensus fugit prorsus meos prudentia.

P H. De commeatu prouidere possumus:

Si uerba sunt facienda de prudentia,

Satelliti palmam promptus concesserim.

D A. Non credidisse tantam inesse satelliti

Prudentiam, quem nullus obseruauerit.

P I. Ego hactenus uinum, ut munus quoq; postulat,
 Operam dedi quo nil cuiquam desit meri.

Cui debeatur, qui quidem prudentiam

Parum curauit; sed tamen satellitem

Laudauero, qui intelligit sapientiam.

Q V. Isthiccine est Zorobabel, qui non dudum

Tribunus extitit: sed nescio tamen

Quibus modis fauore regis maximi

Exciderat, est ne restitutus gratiae?

Hic auferet iure palmam uictoriae,

Alijs quibuslibet longe præstantior.

Iudeus hic quamvis sit, attamen potest

522 ZOROBABEL.

Ornare dignis ueritatem laudibus.

Tecmirijs certis patet, Iudaicum

Populum, Deum uerum coluisse cum fide.

PRAE. A.N. Si quis fidē uerbis meis incredulus

Hic derogauerit, uideat, documenta sunt,

Non est iocus, sunt uera quæ is nunc prædicat.

Ex pectoris Dei sinu hæc prudentia

Dubio procul fluit profusè & largiter.

SCENA II.

Zorobabeli offert uotū, defert honorem, ad dignitatē uehit. Zorobabel admonet promissi, petet postliminium, uoti fit compos.

Darius. Zorobabel.

Spectata nobis est satis, ô mi Zorobabel,

Diserta iam prudensq; dexteritas tua.

Maioribus rebus minister natus es,

Quam qui satelles noster esse debcas.

Quare minister ô mihi charissime,

Votis locus iam sit tuis liberrimus.

Tu iure compos ecce uotis, si petas,

Fieri potes. Ne sis petendo segnior.

Locus tibi à me consecretur proximus,

Propinquus appellaberis semper meus,

Quod extitisti cæteris prudentior.

Z.O. Quoniam mihi data est per te Rex maxime,

Pro præmio euicto petendi copia,

Paucis aduerte quid uelim rex inclyte.

Meministi adhuc opinor anno proximo,

Babyl.

ZOROBABEL

22

Babylonici cum sceptra regni sumeres,
Votum Deo uouisse, si respexerit
Benignus, teq; ut maiores auxerit,
Te uelle mox gentem postliminio piam
Reducere, & suis donare finibus,
Quam rex Babel Nabuchadnezer maximus
Graui prius captiuitate presserat:
Urbem sacram instaurare, & genti reddere
Nostræ: atq; uasa sacra, quæ Cyrus prius
Decreuerat Babylonico discrimine.

Tu uoueras ô Rex templum Deo sacrum,
Summo prius uastatum à gente barbara,
Incendio ab Edom nefaria manu.

Huius memor uoti tui rex inclyte
Sis, ne sequantur te nefanda incommoda.

Edicta per regna & per territoria,
Ne gentium quisquam impeditat uotum tuum,
Affixa curato, ut Maiestas salua sit
Dei, salusq; rerum regni rex tui.

Hæ sunt preces, hæc uota Rex sunt maxime,
Quæ pro mea abs te nunc peto uictoria.
D A. Quæcunq; fide corporis custos mei
Petis tibi ista spondeo per dexteram
Fidemq; nostram, per caput iuro meum,
Et per coronam, & per sceptrum hoc eburneum,
Voti tui tu uictor compos factus es.

Id osculo hoc amico testatum uolo,
Amplexibusq; amicis. Nunc tu principum

Fulgebis

524 ZOROBABEL.

Fulgebis ornamentis clarus ordine.
En purpuratus esto nunc, & annulo
Decorus. Ecce te ducem pronuncio,
Populi ducenti, que m liberum uolo.
Vos principes multo mihi charissimi,
Testes adestis istius negotij.
Vos interim facite moras hic paululum,
Negotium istud dum scribae mandauero: (sequor.
Heus scriba, nos sequere intro. s c. O Rex proptius

CHORVS III.

Ex Psalmo CXIII. Laudate pueri Dominum.

Laudibus tollant pueri tenentem
Regna terrarum, nitidumq; cœlum,
Nomen æterni celebrent Tonantis
Carmine dulci.
Duret hæc cunctos speciosos in annos
Gloria, & soli Domino ferendus
Est honos, uiuo simul, & potenti,
Non simulachris.

Solis ex ortu rutilantis, atq;
Quæ cadit nocture gione cœli
Lumen hoc clarum, celebrentur alni
Nomina regis.

Hæc super celsi uolitare cœli
Cardines flexos, super astra picta
Aetheris magni uideas potentis
Nomina regis.

Equis est nostro similis benignus

Atq; præcelso Domino, polo qui
Despicit terras, humiliq; summum
Spectat Olympum.

Aduuat cunctos miseros, egenos
Puluere ex foedo miserè iacentes
Subleuat clemens, domat & superbos,
Terq; potentes.

Principes inter medium potentes,
Hic locat fidum populi patronum,
Ut regat dextra pietate gemem,
Iusticiaq;.

Hic facit lata steriles parentes
Prole fœcundos, generationis
Inditur summi dominantis almo
Robore uirtus.

ACTVS QVARTI,

SCENA I.

Dum hæc intus transiguntur, principes conferunt
inter se sermones uarios.

Nomophylax. Atriensis. Satrapes.
Mediæ. Hipparchus. Dapifer. Si-
gnifer. Quæstor. Præfectus anno-
næ. Satrapes Aethiopæ.

Qvo'nam modo uobis placet contentio,
Inter satellites que commissa est modò,
Ridiculi nihil hic est, principes boni.
Orationes has equidem probauerim:
Verum tamen res ista, ut stultus, omnino

Nobis

Nobis malum portendet haud dubie exitum.

A T. Sic ipse, (nescio quid mens præsigiat,

Animo) licet paulo antè diu indisimulauerim.

Hebreus at captiuus iste homo mancipi

Euectus in tantum princeps fastigium,

Magnum dabit nobis (uereor) potens malum.

Nobis peribit fastus & potentia.

S A M E. Periculi nihil fuerit nobis puto,

Ad arduos honores si quis aduenia

Peruenerit uirtutibus, laudabile

Nomen sibi parauerit, non artibus

Malis, dolo, aut mala fraudulentia.

Nihil nobis nascetur hinc incommodi.

N O. Iniqua tantum est, credite, iniudentia,

Paruam uiri quod hinc reportant gratiam,

Odisse uirtutes solemus exterum.

Liuoris istius hec causa est unica.

Quin hoc magis summo labore incumbere

Cunctos decet, uirtutibus laudem bonis

Nobis parare, gloriam, uitæ decus.

H I. Sæpiissime mirabar infortunium,

Quod aduenias uexat: spernuntur undiq;

Tantum ueremur, nostra ne superbia

Minuatur, & fastus premant nostros uiri

Sapientia præstantes. haud opinor hic

Tam pertinacis nulla causa odio subest.

D A. Obtestor hoc summi Dei atq; maximi

(Verbis meis procul inuidia tamen)

Babylonicas

Babylonicas res non floruisse tempore
Alio magis, nec ipsas inquam Persicas,
Quam cum generosus iste Daniel
Ex Israel captiuus in Babylonico
Præcelluit regno, clarus prudentia,
In regis aula gesit rem dexterime.

s i. Miror quid hac in re tu Quæstor sentias?

Quid sentiant illi, nos intelleximus.

Q.v. Fœliciter regi Dario quælibet

Tum contigere, cum uates Daniel pius,

Babylonie terris uirentis aduena,

Zorobabel ut posthac erit semper bonus.

s i. Mecum facis profecto. Nam sic sentio:

Historias ueteres si quis domesticas

Non negligenter lectitans excusserit,

Satis superq; exemplorum producere

Poterit, quibus res ista fuit probabilis.

Cum fertilem Iosephus Aegyptum pius

Penetraret, et locum teneret proximum

Regi, decus, summam et nactus potentiam,

Magis uiri semper, magisq; gloria

Accreuit, auctus non honoribus minus,

Quam dignis ipse antehac fuerat uirtutibus.

Quæ causa sit, præfctus annonæ mihi

Hic explicet uelim, mihiq; suggerat.

p R. A N. Si quæris ex me caussam, chare signifer,

Dicam tibi uerum, ut res poscit, ordine.

Israelitæ uerum nouerunt Deum,

Hoc

Hoc libere pronunciabo iugiter.
 Designat hic in pluribus miracula,
 Sed maxime per hos quos iustos & pios
 Nouit, licet statu seruili seruant,
 Per hos tamen suam potentiam exerit.
 H. L. Ego nil moror, quod quidem parum candidè
 De gente Iudeorum hinc inde sentiunt.
 Zorobabel hic, mihi probatus admodum
 Est nobilis, totus licet natalibus
 Obscurioribus planè prouenerit.
 Multo tamen conductit hic regi magis
 Virtutibus, prudentia atq; industria,
 Quām plurium Chaldei uel autochthones.
 Et quid, parentibus bonis prosapiam,
 Genus meum quod duxerim: virtutibus
 Sunt aestimandi, nobiles qui sunt viri.
 Virtute qui præcellit, ille est nobilis.
 S. A. A. E. Est uera sanè, quam profers, sententia:
 Generositas non sumitur à parentibus.
 Claro genere natus si quis, sed negligit
 Artes bonas, parentes dedecorat suos,
 Generi suo labem affert turpidinis.
 S. A. M. E. Res disputatione certè haud indiget.
 Thesaurus est longe optimus prudentia,
 Ausferre quem nullius uel fraude uel dolo
 Poterit: uiro qualem uidemus inditam.
 Hunc nobilem dico, atq; dignum principis
 Gradu, probatur indoles,

Ac nescio, an posſit certare maximis
Qui claruerunt ullo ſeculo tuiris.

SCENA II.

Miles quidam ambit succedere in locum Zorobabelis.

Diadochus. Phrurarcha.

Phrurarcha, quid miles petat gregarius,
Aduerto, quæſo amotis hinc ambagibus.
Non te latet, quod cefſet iſtud temporis
Nunc militaris functio. Quare rogo,
Pro me preceptor maiestatem regiam,
Seu tempus id, ſeu poſtulet neceſſitas:
Quod militem bonum fortemq; conuenit;
Id ſedulus curabo ſemper credito.
P. Miles tui rationem mi fortissime,
Ut par erit, habebo ſedulō,
Meritis tuis debetur iſtud strenuis
Ut tu ſatellitis fungaris munere,
In hunc uiri lo cum ſuccedes arbitror.

C H O R V S Q V A R T V S.

Ex Psal. XLVII. Omnes gentes plaudite manib⁹.

Plausibus crebris populi frequentes,
Voce festiuſa reſonate læti,
Grata gaudentes Domino potenti
Iubila fertē.

Imperat celsus etiam potenter,
Territans rerum Dominus caducæ
Incolas terræ, ſpaciosa mundi

Climata rector.

Lll

Subdidit

Subdidit uerbo populos potenti

Christus à cultu fidei remotos,

Regna subiecit pedibus maligna

Plurima nostris.

Fecit hæredes, statuitq; regni

Nos sui charam sobolem Abrahami,

Quos pio sanctos adamauit almus

Pectore Christus.

Iubilo uectus Deus est ad astra

Celsa, quem clara tuba uoce tollit

Aetheris summa ad rutilantis usq;

Climata cœli.

Nunc Deum psalmis celebrate sacris,

Et melo dulces canitote laudes,

Cuncta regnanti cithara sonante

Ludite regi.

Rex enim terræ Deus uniuersæ,

Iussa quæ Christus iubet imperator,

Factent cuncti studio fideles

Omnia prompto.

Qui regit gentes, populos gubernat

Extimos, sanctus Deus ille rerum

Rector, in sancta sedet en honoris

Sede benignus.

Principes ultro & populi uenē e,

Qui Deo subdant sua colla terræ,

Quem ferunt multum coluisse semper

τὸν πατέρα ἐθύον.

Nam

Nam super reges proceresq; terræ
 Altior, magnum & celebre gerentes
 Nomen, haud ulli gerit ipse sceptra
 Rite gerenda.

ACTVS QVINTI,

SCENA I.

Zorobabel solus obambulat secum, ac Deo
 gratias agit.

Zorobabel.

Benedictus ô noster Deus celithrone,
 Prudentia qui nunc me ornasti plurima,
 Seruum tuum, beas tantis uirtutibus.
 Vehendus es semper mihi summis laudibus,
 Dedisti quod seruo tuo prudentiam,
 Per hancq; dignitatem longè maximam,
 Nomen tuum multis iactabo laudibus.
 Beneficij tanti non obliuiscar ô
 Deus benigne, donec hosce rexerit
 Vitalis artus atq; membra spiritus.
 Sit nomini laus & perennis gloria
 Semper tuo, & uitæ diebus omnibus:
 Quoniam tuis largiris dona plurima,
 Nomen tuum per nostrum predicabitur
 Os semper posthac, in cuncta secula.
 Sed ecce Rex ipse, Darius ipse nunc uenit.

SCENA II.

Rex dat Caduceatori publicandi decreti negotium.

Darius. Caducifer,

Lil 2 Heus

Heus tu Caducifer, legitio bullam uiris,
 Auro nitentem fulgido, uerissimam
 Mentis meæ testem recense clarus,
 Ut uniuersi singuliq; intelligent,
 Zorobabelem propter hanc uictoriæ,
 Factum ducem postliminij Iudaici,
 Sicut prius Rex Cyrus destinauerat
 Abire liberos, & urbis inclytæ
 Solymæ instaurare mandans ille moenia,
 Fieriq; sacra summo ac maximo Deo.
 Sed morte rex & fatis interceptus est,
 Opus istud impeditum est fraudibus, dolo malo.
 Verum Dei nunc nactus ipse gratiam, ut
 Successorim regno ipsius tam florido,
 Prognatus ex obscuræ gentis stemmate,
 Domum Israel ego manumissam uolo,
 Zorobabel nunc eius rei uolo ducem:
 Id esse firmum, publicè pronuncia.
 C.A. Quod me iubes, curauero rex maxime,
 Negotium non est quod me morabitur.

SCENA III.

Caduceator publicat regis edictum de Israeliticæ
 domus manumissione, datur
 prius signum tuba.

Caducifer. Buccinator.

H EUS buccinator, fac tubæ clangor sonet.
 B v. Fungar meo probè, ut uidebis, munere.
 Nunc tuba datur signum.
 Silentium populares atq; principes

Præstate,

Præstate, dum decreta regis dixero.
Fauete linguis uniuersi & singuli,
Audite quæ regis uoluntas dictitat.
Darius ipse Rex uester Babyloniae,
Et Mediae, atq; Persiae, atq; Syrie,
Phœniciæq; quæ ad Libanum celsum sita est,
Et Indiæ, Aethiopumq; summi maximi
Dei minister, uniuersis singulisq;
Optamus & precamur uobis principes,
Populiq; nostro paſsim scepiro subditi,
Et gratiam & fauorem Regis maximi,
Qui cuncta nutu maiestatis concutit.
Postquam mei regni satelles aulicus,
Zorobabel, Israeliſ ex tribu ſuum
Referens genus, ſumma uirtute præditus,
Meruit ſuis uirtutibus dexterrimis,
Locum ſecundum post thronum iſtum regium,
Efflagitauit ut ſuæ gentis grauem
Captiuitatem, qua tenetur, ſoluerem,
Liceat domum poſtliminio reducier.
Edicimus ergo, ſi quis Clementiæ
Noſtræ fauorem ſaluum & integrum uolet,
Nullo modo faciat uiris negotium,
Aut impedire tentet his iter ſuum,
Solymorum ad urbem, ad territorium
Suum, ut colant agros ſuos, Deo ſuo
Quæ ant sacram domum instaurare, & moenia,
Vastata ab Idumæis, atq; diruta,

Ll 3 Faciantq;

34 ZOROPABEL

Faciantq; sacra patrio ritu & modo,
Vero Deo. Verum deum fatebimur,
Quem cultibus pijs ueneratur israel.
Qui in re belli posse derunt prædia,
Agrosq; uillas, casas, seu tuguria,
Cedunto eis locum, & colant nivalia
In finibus patrijs longo post tempore.
Nunc annuo sumptu dabuntur aurei
Bis sex uiris sic mille, donec optimè
Structura templi consummatur inclytæ.
Peragantur insuper Deo libamina
Boum, satis palatum quoq; ipsis degrege
Dentur uolumus haud grauatum regio.
Et dignitatem Antistes seruet pristinam
Saluam sibi suam, & honores integros,
Præstetur illis uictus omni tempore,
Ad rem sacram peragendam dentur aurei
Sex mille in annos pensione singulos.
Et extruentibus pensetur præmium,
Quod maximum est, libertas grata & aurea
Merceq; digna singulis laboribus,
Communicatio laboris æqua sit,
Et militi qui missus in præsidium,
Ex ære nostro habeat suum stipendum.
Thesaurus autem templi qui Babylonie diu
Scruatus est illesus retro tempore
Saluusq; longo, quem Nabuchadnezer is
Qui duxerat captiuos hos grauißime,

Ad

ZOROBABEL.

55

Ad impios simulacrum culcus transtulit,
Aurum micans, argentum seu solidè nitens,
Seu gemma candens, siue ebur sit Indicum,
Siue ornamenta, uasa seu fulgentia,
Reddantur istis cuncta nunc, procul mors
Sit, stat meæ mentis constans sententia.
Non esse fas agnosco, gaza regia
Quicquam sacra rei teneri. Ob id uolo,
Quamadmodum prius Cyrus decreuerat,
Reddantur hæc Domino suo æterno Deo:
Quod hactenus neglectum fraude perfida
Septem tyrannorum dolo regnantium.
Sed me Deus postquam respexit optimus,
Faciam satis uoto potentis, quod prius
Zorobabel hic contendit à me sedulo.
Edicta nostra hæc seruet, qui clementie
Nostræ sibi fauorem affectat integrum.

SCENA IIII.

Datur nunciis negotium, ut edictum per
regna diuulgent.

Darius. Scriba. Orys, Dramæus,
Tachistus, nuncij.

Nunc archigrammateus que sunt fidei tuæ
Commissa, non mireris: exequere ocyus.

SCR. aut ATRI. Huc nuncij cursum uolantes ten-
dite,

Audite quid regis uelit clementia,
Hinc aufer Orys litteras, te proripe

Babylonicas revise terras ocyus.

Tu, literæ tradantur omnes, perfice.

O K. O scriba, nunc iter paratus ingredi,

Recte, optimè curabitur quod præcipis.

s c. Nec tu moreris ô Dromæ longius,

Fac commodo pergas abire tempore.

De monte tu iubeto nunc Libani cedros

Omnes secare, & conere bipennibus

Structura templi ut consummetur inclyti.

Ne causa prætendatur ulla dicio.

D R. Pro uiribus conor meis discedere,

Mandata quæ sunt ocyus nunc exequar.

s c. Terram Palæstinam Diactor ocyus

Perambula Tachiste, istud diploma da

Populis, Idumæam terram incolentibus.

De pace namq; publica est hæc actio,

Ex parte sunt mandata, quæ prælecta sunt.

T A. In me futura nulla discessus mora,

Peruius hinc uolabo more Pegasi.

S C E N A V.

Phrurarcha intercedit apud regem pro milite, ut in
locum Zorobabelis subrogetur.

Phrurarcha. Darius. Scriba. Diadochus. Thraso. Anander.

E St quod petam à te Rex, pro nostro munere.

Creandus est nouus satelles, corporis

Custos tui, qui fidus atq; martius

Sit: en uirum fortissimum in re bellica,

Cuius

Cuius fides spectata nunc penitus mihi.
 Comperta ni sit uita militis probè,
 Nunquam tuam rex fallerem clementiam
 Existimatione falsa credito.
 Sicut decet, se gesit hic uiriliter,
 Et militis probè perfunctus munere.
Quare mei me rex uoti fac compotem,
 Non poenitebit hoc tuam clementiam.
 D. A. Hic integer cum sit fortis, cumq; impiger,
 Edocetus ut primum, mihi nunc spondeat,
 Suo probe uelit quod fungi munere.
 Heus scriba, uerba huic dicta solennia,
 Ut quid boni poscat munus satellitis,
 Sciat, suo & probè fungatur munere.
 s. c. Adeptus est à rege si quis gratiam,
 Ut fecerit regni sui satellitem,
 Hic audiat quid munus eius postulet.
 Hec illius præscripta est norma & regula:
 Iurabit hic se uelle summa iugiter
 Vigilantia obseruare regem, neutiquam
 A' rege ne latum digitum discedere,
 Summa fide corpus regis tutarier,
 Forti manu à domesticis & exteris
 Arcere dannis, & malis periculis:
 Subeat prius uitæ suæ discrimina,
 Quàm rex malum seu damna noxia sentiat.
 Subesse perfidam fidem si senserit,
 Mox incident manus hic carnificis rudis,

Rex ut prius decreuit hoc mitissimus.

P. H. Heus nunc manu forti bipennes arripe,
Ne deserat quod iusurandum te mouet.

D. I. Certe meo rite perfungar munere,
Putare quod uelim, mihi & confidere.

T. H. R. Fortunet omne quod facis Deus potens,
Laetor secunda quod fortuna affulserit.

A. N. Fortuna saepe commodum fert alteri:
Apparet illud hoc praesenti tempore.

Quælætior fortuna nuper contigit
Zorobabel, haec nunc commodo tibi quoq;

D. I. Semper locus bonis datur uirtutibus.
Thesaurus ingens uirtus est olympica.

Virtutibus nihil extitit præstantius.

Virtus prudentiae coniuncta est optima,
Satellitis nacto munus. Vos plaudite,
Valete spectatores festiuissimi.

DRAMATIS FINIS.

CHORVS V.

Mix Psalmo CXXXVIII. Super flumina Babylonis, &c.

Zorobabel.

QUum federemus rapidos ad amnes,
Terra quos nutrit Babylonis altæ,
Fleuimus, planctus miseri edebamus,
Illachrymantes.

Nam Sion mentem quoties subibat,
Fudimus semper lachrymas amaras,
Sæpe nos tristes madido rigamus

Plumine

ZOROBABEL

39

Flumine uultus.

Musicas illic citharas dolore

Fiximus ramis salicis amaræ,

Quas alit ripæ gelidis aquos as

Humor in uluis.

Sorte qui dura tenuere captos,

Festa poscebant citharæ sonantis

Signa, quærebant caneremus ore

Carmina tristi.

Inter e& nostros gemitus iubebant,

More nos nostro ut patrio canamus,

Exigunt cantus hilar es Sionis

Edere auite.

Quomodo cantus alijs in aruis

Possimus laetos canere, hic alacre,

Quis dijs quæso melos insonabit

Carmine uanis?

Cum tui nunquam meminisse possum,

Ciuitas magnis opulenta donis,

Amplius cum non poteris amari

Patria dulcis,

Tunc me& Musæ taceat sonorum

Carmen, ac nostræ fileant Camœnæ

Non Deo deinceps citharæ potent

Plectra sonanti.

Intus hærescat stupido palato

Lingua, si uiuens meminisse cesso,

Gaudeo si quid magis est futurum

Urbe

Vrbe beata.

Sis memor gentis genitor Idūmes,
Quām tuum tractent populum malignē.
Sæuior cunctis fuit illa nuper
Hostibus urbis.

Funditus mandat sacra ciuitatis
Erui sanctæ loca, iniquiores
Ne qua pars possit superesse fundi
Iussa iterabunt.

Tu manu forti Babylon peribis.
Lege qui reddit tibi cuncta eadem,
Quiq; mensura metietur æqua,
Dico beatum.

Qui tuam prolem teneram secabit,
Conteret saxis teneras puellas,
Iste dicatur magis esse foelix
Tempore quo quis.

E P I L O G V S.

AVdiſſe uos opinor omnes optimè,
Viri uirtute quauis præstantissimi,
Plantanda quòd cunctis modis prudentia:
Quim nationibus cunctis id confrat,
Bonis si magistratus esset artibus
Instructus, atq; intelligeret cultum Dei,
Non poenitenda res in urbibus foret,
Quod proh dolor fit rarius. Sed quo breuis
Oratio sit, multa præteribimus.
Nam que uidistis, sunt opinor cognita.

Hic



Hic, auditores, facta templi mentio.
Sed forsitan sunt qui non intellexerint,
Erroris hinc caussam mali rapiunt sibi.
Nam scripta Petri qui reuoluit altius,
Procul labore intelligit mysterium
Venerabilis templi, domusq; fulgidæ.
Non hæc domus saxis quadrangularibus
Constructa, templi signat hoc mysterium.
Nunc Christianos innocentes, & pios,
Per saxa tu quadrata imaginabere,
Generata per baptismum sancta pectora.
Sed in locatione tum fundaminis
In primis obseruandum erit (sic arbitror)
Ne sumptibus parcatur ullis, aut bonis.
Nam pendet ex illo totum negotium.
Fundamen illud uirtus est heroica:
Dico fidem, qua consummantur omnia.
Nunquid, domus ni fundamenta iacta sint,
Non tecta, non paries ponuntur solide.
Quare patres uos nunc rogamus optimi,
Res sita nunc uestram penes est custodiam:
Vos publicarum nunc rerum estis præsides,
Existimate uestrros ecce liberos,
Nos, postmodum in uestrros locos succedere,
Sic ut Deus commiserit quibuslibet,
Nos liberos putate præstantissimi
Vestros uiri: nos non sues, nos non canes,
Nos publicæ rei sed seminarium,

Animosa

542 ZOROBABEL.


Animosa gentis totius spes, credite.
 Quare pijs si uultis esse præsides,
 Hoc aestimate lucrum præstantissimum,
 Ut collocetis optimè fundamina,
 Quæ sustinere possint structuram bene.
 Huc destinata quondam erant ecclesiæ
 Piæ facultates nostris maioribus,
 Alimentum ut senes primum, dein literis
 Iuuenes pijs enutrircentur liberi.
 Non est satis, honos diuini numinis
 Si duret tam diu, quam uita permanet:
 Doctis uiris est consulendum in posterum.
 Republicam considerate rectius,
 Hoc diligenter uos monemus, ô uiri.
 In pace nunc abite, ex hinc discedite.
 Multas, uiri, uobis habemus gratias,
 Quod nos dignati estis uestra præsentia. DIXI.

ERRATVM.

Pagina 528. uers. ultimo lege, probatur liberalis indeoles.

DRAMATVM SACRORVM TOMI
SECUNDI FINIS.

B A S I L E A E E X O F F I .
cina Ioannis Oporini, Anno Salutis partæ
M. D. XLVII. Mense
Martio.



i Bagy odi i fidei
Lied und Sang i Dode
Erß und fñ i Egypte
Offel gret myn garnet le

Huniz ynta sige Balde

get i fidei i thron me
get i fidei i thron me
get i fidei i thron me
get i fidei i thron me

120 120 120 120

Verbi aperte
rispaciuntur
commodi
et modici
aliquotem.



